

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
4 K
33







# DE RELIGIONE GENTILIVM,

errorumque apud eos causis.

Authore

EDOARDO

Barone Herbert de Cherbury, & Castri Insulæ de Kerry in Hibernia,

& à Sacris Belli Consiliis Regibus Optimis Jacobo & Carolo.










AMSTELÆDAMI,

Typis BLAEVIORVM,

M DC LXIII.

# LECTORI.



Væ dudum ſolertiſſimus Author pretioſiſſima ſibi comparavit cimelia, nunc demum liberaliter in lucem evulgat, & publici juris facit clariſſimus I. Voſſius magni Ger. Ioan. Isaacus filius. Quid hoc theſauro ditius magnificentiusve reperiri poteſt, ubi non ſolum templa Veterum, præſtantiſſimaque illorum ſupellex, Deorum nempe ſtatuæ, ſimulachra, effigies, ſuis unicuique propriis veſtitæ ornamentis, deſcribuntur, ſed & dii ipſi aut benefici, aut nocentes diſcernuntur; & hoc quidem apud Gentiles olim Idololatriæ ſuperſtitionibuſque deditos; ut noveris, tu, inquam, ſagaciſſime rerum antiquiſſimarum Indagator, quam ſingulari perquiſierit ſtudio Vir curioſiſſimus, Veterum Paganorum ritus, ceremonias, ſacrificia, victimas, ſacerdotes, impiiſſimoſque illorum mores, quibus plebi imponerent, infinitoſque quibus illam calliditate ſua implicarent errores; hic quippe eſt ſcopus Authoris, ut profligatis tot errorum tenebris, quodnam iiſdem Summi Dei lumen affulſerit, oſtendat. Cum autem innumeri pene fuerint cultus, non potuit aliàs quam immenſo labore illos inveſtigare, necnon & convenientiam & diſcrepantiam ab invicem demonſtrare; nam & Heroïcum cultum & Divinum, qua ratione, & quibus tributum, paſſim diſtinguit; unde non modò Deos Gentilium, ſed & antiquos Heroas & præclaros rerum Inventores ſæpenumero in medium adducit. Porrò nunquam ſatis dixero, ſi quam multas brevi hoc compendio antiquitatum divitias accumularit, recenſere velim: tu, quæſo, perlegas, indeque te monitum à me gaudeas. Vale.



I N-

# INDEX
## CAPITVM.



DE

# DE RELIGIONE GENTILIVM,

## errorumque apud eos caufis.

### CAPVT I.

*Occafio totius operis.*



QVum diu multumque mecum reputaffem, num ad falutem æternam comparandam communia aliqua media cuncto humano generi ita propofita effent, ut Providentia divina Vniverfalis inde adftrui & ftabiliri poffet, non leves occurrebant dubitationes. Patres quippe Ecclefiæ complurimos antiquam pervulgatamque Gentilium religionem non deridiculo tantum habuiffe, fed & damnaffe, quin & pofterioris fæculi Theologos haud mitius de omnibus extra pomœria fua agentibus fenfiffe comperi; adeo ut longe maxima hominum pars ex eorum fententiâ fuppliciis æternis addiceretur. Quæ cum duriora mihi viderentur dogmata, quam ut *Optimi Maximique Dei* attributis convenire poffent, libros Gentilium evolvere cœpi. Sed quum Deos ab illis plerumque adductos non homines tantum, fed & criminibus fœdatos fuiffe teftarentur eorum Hiftoriæ: Quum etiam facra, ritus, & ceremonias eorum demum inepta infanaque fuiffe animadvertiffem, nihil propius abfuit quam ut in vulgarem de Ethnicis opinionem defcenderem. Cæterum quum Providentiam divinam Vniverfalem haud ita pro dignitate fuâ afferi poffe perfpicerem, fedulo inquirere cœpi, num Deus eodem fignificato quo apud noftros audit, olim acciperetur. Et cum Deus nobis perfectus, immenfus, æternus eft, illis nonnunquam naturam five vim aliquam imperfectam, finitam, & caducam denotare intelligerem; adeo ut non Cælum, Planetæ, Stellæ, Ætherii Aëriique tantum Spiritus; fed & homines præclare de humano genere, vel Patriâ fuâ meriti, indeque in cælos ex communi voto relati, quin & Imperatores (quorum aliqui peffimi) dum adhuc in vi-

vis essent, & ipsa Febris, Pavor, Pallorque Dii Deæque inter Gentiles vocentur; quo pacto quicquid paulo supra sortem humanam, vel captum vulgi constitutum erat, Deus protinus ab illis habebatur; ubi tamen vel *Summi*, vel *Optimi Maximique* attributum una adjunctum fuit, Deum nostrum Patremque communem iis titulis indicatum fuisse satis liquet, adeo ut ὁμωνυμία heic subsit, quâ explicatâ quæ de Diis Gentilium cum Deo nostro collatis dubia, non multo negotio evanescent. Sed neque sacra, ritusque Gentilium effecêre, ut plebes populusque tum temporis mihi plane exosi sint. Quum sacra illa, ritusque, Sacerdotum prorsus inventa fuerint, qua ratione non in Gentiles, qui dicto audientes fuere, sed in eorum Antistites heic culpa redundare debeat. Sacerdotes autem non minus superstitiones Idololatriamque invexisse, quam rixas contentionesque ubique Gentium seruisse, nulli dubium esse arbitror. Quapropter de Laicorum Gentilium statu futuro haut ita temere decerni oportere, ac Theologis quibusdam visum est, facilè mihi persuaderi patior; quum nihil eorum vitio magis verti posset, quam quod authoritati Pontificum suorum Sacerdotalique collegio semet totos subjecerint. Quum præcipua itaque à casto Dei Summi cultu defectio in Sacerdotalem ordinem non inepte rejici debeat, animum porro ad investigandum adjeci, an è Gentilium superstitionum glomere filum aliquod veritatis extricari daretur, quo semetipsos è Labyrintho errorum illorum expedirent. Atque ita articuli quinque occurrebant, quos non nostri tantum, sed universi Orbis Cœtus pro veris indubitatisque habere debent. Nempe (I.) *Esse Deum summum*, (II.) *Coli debere*; (III.) *Virtutem, Pietatemque esse præcipuas partes Cultus divini*, (IV.) *Dolendum esse ob peccata, ab usque resipiscendum*, (V.) *Dari ex Bonitate Justitiâque divina præmium vel pœnam, tum in hac vitâ, tum post hanc vitam*. Quos quidem articulos post enarratas sequiores Ethnicæ religionis partes, ad calcem libri fusius explicabimus. Unde etiam filum illud necti posse, cujus auxilio è Labyrintho quovis errorum semetipsos subduxisse se perspicaciores saltem Gentiles, existimamus. Neque inconsiderate heic Labyrinthi verbum usurpatum à me sciat Lector. Cum enim quatuor olim fuerint Labyrinthi miro artificio extructi, scil: *Creticus*, *Ægyptius*, *Lemnius* & *Italicus*; Ita ex his præcipuè locis manavit, in exteras nationes, superstitiosa fere omnis religio. Sed ne inconsulti etiam hoc in argumento essent Theologi recentiores, illos obnixè petii, quid de animabus Paganorum sive Gentilium sentirent. Inter quos qui atrociores, sed & literarum omnium saltem humanarum rudiores fuere, ita fere respondebant: *Post Adam* lapsum ex massâ quadam damnatâ homines cunctos efformatos productosque fuisse, horum aliquot ex Dei be-

beneplacito (sed Christi morte interveniente) in gloriam æternam electos, sed longe majorem hominum partem, immo omnes qui necdum nomen Christi vel ex famâ audierant, reprobatos exitioque æterno destinatos esse. Sed neque Gentiles ex vitâ quantumvis laudabili juvari, quum moralia penitusque inania eorum essent opera. Cæterum ubi in solum Dei beneplacitum tam Mortem Christi, tum salutis aut damnationis æternæ causas heic referri perspexeram, illos haut ita ex rationum momentis, ac ex decretis quibusdam rigidis (sed quæ nulli satis comperta essent) opinionem suam tuentes animadverteram; sed neque eos ab arcanis Dei consiliis ita esse putaveram, ut aliquid certi heic statuerent: Quapropter tanquam iniquissimos tum *Dei Optimi Maximi*, tum hominum æstimatores, sacerdotes illos tandem rejeci. Quînam enim crederem Deum justum in æternâ reprobatione hominum illorum sibi complacere velle, quibus nulla ad salutem æternam indulsit media, aut animas ad ejus similitudinem factas infunderet, quas ita necessario damnatas iri præviderat, ut nulla evadendi superesset via? Equidem haut satis mihi exploratum fuit quomodo *Optimus Maximusque* audiret ille Deus, qui inscios invitósque crearet damnaretque homines. Alios igitur conveni Theologos, qui Christum Paganis sive Gentilibus sanctè honestéque viventibus in ipso mortis articulo revelatum, eosque ita in Paradisum adductos esse contendebant. Sed quia neque ex historiis, neque traditionibus, neque validis tandem conjecturis firmata esset, mihi parùm verisimilis videbatur eorum opinio: Hosce tamen Sacerdotes prioribus longe clementiores in humanum genus agnovi; sed qui nihil solidi ad muniendum eorum dogma afferrent. Denique eorum, qui Scholastici vocantur, libros consului, si quid æquius rectiúsque de Gentilibus statuerent. Cæterum quum Scholastici illi opere desultorio, à fide ad rationem, mox etiam à ratione ad fidem mirâ agilitate transilirent, quum porro id acuminis in dubiorum suorum distinctionibus solutionibusque ostenderent, ut spinas partiri viderentur, haut ea prorsus inveni unde scrupuli heic nostri eximerentur. Inter alia tamen axiomata hoc ab illis sancitum esse reperi, *Nempe facientibus quod in se est, non deesse gratiam salutarem.* Postea etiam alios Authores, sed præcipuè Collium virum doctum de animabus Paganorum scribentem, egregiósque in hunc finem ex antiquioribus Patribus locos adducentem perlegi. Quos in eam opinionem devenisse comperi, ut quosdam melioris notæ Paganos pro ingenti Dei misericordiâ salutis æternæ compotes fuisse tandem perhiberent. Quorum sententiæ penitus adhæsi, quum haut aliter satis perspicerem, quomodo Providentia Divina Universalis ita salvari posset, ut media aliqua saltem,

unde ad Deum pervenirent, cunctis hominibus subministrarentur. Et quidem quum media ad victum vestitumque heic commoda suppeditarit cunctis Natura sive Providentia rerum communis, suspicari non potui eundem Deum, sive ex Naturâ sive ex Gratiâ in suppeditandis ad beatiorem hoc nostro statum mediis ulli hominum deesse posse vel velle, adeo, ut licet mediis illis parum recte vel fæliciter usi sint Gentiles, haut ita tamen per Deum *Optimum Maximum* steterit, quo minus salvi fierent. Novi satis quidem juxta nostros nulla ex Providentia communi media sufficientia haberi, ubi gratia illorum sive Providentia particularis non una subvenerit, & in eundem concurrerit finem; sed neque aliud volui, quam ut Providentia Vniversalis cuncto humano generi quovis modo constaret. Et quidem quum eundem Deum ac nostrum (quod & S S. & Theologi doctiores fatentur) ex eadem virtute saltem coluerint Gentiles, quin & eundem horrorem scelerum habuerint, ac præmium vel pœnam dari post hanc vitam agnoverint, haut illos quidem ita frustratos esse existimo, ut non amplitudinis Gratiæ illius divinæ (ubi hac vitâ probe functi essent) participes tandem fierent, tum ob id præsertim quod maxime rationales perspicuæque veri cultus divini partes illis innotuerint: neque igitur Ethnicæ religionis (quæ inepta, incongrua, solœcissansque mihi semper videbatur) molem ullatenus propugnare animus est: sed veritates illas solummodo proponere, quæ in mediis etiam Gentilium tenebris elucebant. Hisce quippe ubi superstitiones figmentáque commiscuerint, vel animas suas criminibus, quæ nulla satis eluat Pœnitentia, commaculaverint: à seipsis perditio propria, Deo verò summo in æternum sit gloria. An vero hæc media ad meliorem vitam comparandam ita sufficiant, ut Beatitudo æterna inde necessariò sequatur, suo loco disquiremus.

## CAP. II.

### *De Origine religiosi Cultus apud Gentiles. quo significato Deus olim acciperetur; quid primo vel præcipue in hac rerum Vniversitate cultum fuit.*

MEntem humanam notis egressam finibus, statum hoc nostro meliorem quovis sæculo ambiisse testatur non egena solum inopsque hominis conditio, sed religiosi passim cultus clamant, sanioresque ubique Philosophiæ. Haut tanta quippe ullus heic percepit vitæ commoda, ut ad eorum fruitionem se totum comparatum fuisse existimaverit, vel adeo exigua conscientiæ probè suo munere defungentis spes,

ſpes, ut non altius quiddam quam in hoc mundo dari poſſet, ex animæ vi quadam internâ ſpiraverit. Quum enim ex naturâ ſuâ ita præcellat mens noſtra, ut ad æterna propriè feratur, & in illis ſolis tandem acquieſcat, tum demum in faſtidium voluptatum quæ externos ſolummodo oblectant ſenſus, facillime delabatur fragilis & lubrica mortalium conditio, haut illic tantum inſiſtendum judicaverant veteres, ſed quaſi rerum heic omnium ſive pertæſi eſſent, ſive ſaturi, ad ulterius quiddam quantumvis incompertum, profectionem maturabant, non miſeri afflictique tantum, ſed pii probique paſſim homines. Atque heic reconditi alicujus Numinis ratio ſeſe primò explicuit. Dum enim Author fuit Deus, ut vitæ æternæ beatioriſque ſtatus deſiderium cunctis inderetur, ſeipſum unà qui & vita æterna illa & Beatiſſimus eſt, tacite indicavit. Attamen quum haud ita pro dignitate ſuâ coli poſſet Deus ille, quem nulla arcana ſatis oſtenderit ratio, ſeipſum porro in inſigni hujus mundi opificio patefecit; Cujus partes etiam dum ſuſpiciebant ſedulo, & contemplabantur veteres, an æternum aliquod ſive heic ſive alibi daretur, anxiè inveſtigaverant, non ignari ex caducis non niſi caduca dimanare poſſe bona. Quo in ſcrutinio quum omnia in ſublunari hoc mundo uti ortui, ita interitui obnoxia eſſe cernerent, ad Cælum & Stellas converſi, ſempiternum quendam Beatumque in illis ſolis ævo quocunque ſtatum obſervaverant. Quin & accuratius ſtellas ſpeculantes, earum motui, calori, lumini, & influentiæ rerum omnium quæ heic viſuntur, cauſas ſaltem proximas tribuerant. Adeo ut antiquorum doctiſſimi, ex ſtellis fixis, eorum quæ eodem modo ſemper ſe habent, ex erraticis, eorum quæ mutationem ſubeunt, ex utriſque ſimul eorum quæ viciſſitudinem induunt, rationem normamque ubique peterent. Quæ perſpicax eorum opinio effecit, etiam ut veneratio & cultus non levis illis adhiberetur; non qualis Summo Numini, ſed qualis præcipuis ejus Miniſtris, qui in conſpectum prodierunt, conveniret. Inde Θεȣ̃ ſive Dei appellatio Stellæ data; non ſub ea tamen acceptione, quâ nobis hodie uſitata eſt, ſed longe aliâ; quum Dei nomen non ſolummodo ſtellis, ſed iis fere omnibus, quæ inſigniter juvarent, immo & nonnunquam nocerent, olim tributum fuiſſe norint doctiores. Inter Stellas autem quæ primæ erant magnitudinis, Splendoris & Virtutis, puta *Sol*, & *Luna*, & Erraticæ in genere demum prius quam fixæ, in Deorum numerum erant adſcitæ. Inter Erraticas poſt duo magna Luminaria inclaruit primo Stella Phoſphorus ſive Venus, quæ variis ſub nominibus, uti reliqui Planetæ, longe lateque colebatur. Acceſſit tandem in illorum numerum Stella Mercurii, uti quæ Solis fuerit ſive aſſecla ſive comes ( & eo modo quo Phoſphorus ) Solem circumiret illo

nunc ſuperior, nunc inferior. Stellas enim *Martis*, & *Iovis*, & *Saturni* neſciviſſe videtur ipſa vetuſtas; licet bene antiquis temporibus & reliquæ erraticæ (præter illas quas Galilæi Teleſcopium detexerat) tandem innotuerint; & ex ipſo colore inter ſe diſtinguerentur. Ita ut Venus candida ſemper, Mercurius cæruleus, Iupiter rufus & flavus; Mars cruoris inſtar purpureus vel nigricans, Saturnus plumbeus vel pallidus viſeretur. Hoc porro animadverſum fuit, quod non ſcintillarent uti Stellæ fixæ, niſi quod Martis Stella tanquam minax ſuos nonnunquam vibraret radios. Quum demum ſubſequentibus ſæculis phantaſiam ſive ſenſum internum in illis agnoſcerent nobiles quidam Philoſophi; nonnulli etiam ultrà tactum, viſum, & auditum: (qui ſenſus igni etiam à Magno Coo tributi fuere.) Quum denique animatas, intelligentes & rationales fecerint alii, (ne nobiliſſimo corpori nobiliſſima deeſſet forma) haut ita mirum videri debet, ſi adeo pronum in earum obſervantiam & venerationem quandam (inferioris licet gradus eſſet) humanum genus; quum iis omnibus à quibus beneficia accepimus, cultum debitum reddere ab ipſa naturâ homini ſit inſitum. Adde ut αὐτοκίνητα vel à ſeipſis mota motus expertibus, ſplendida obſcuris, bona noxiis, ſempiterna exoleſcentibus in quovis genere nemo non facile prætulerit. Quapropter etiam major Stellæ alicui (ſed cumprimis Soli & Lunæ) quam mortali ulli (in faſtigio ſummo licet rerum conſtituto) cultus ex eorum ſententiâ & reverentia competeret. Quæ opinio etiam apud Indos teſte Ioſepho Acoſtâ & aliis hodierno die obtinet. Illi enim ea omnia colunt, quorum vires maximas in res naturales experti ſunt. Religione ita ingruente quæri cœptum eſt, num Deus aliquis ſive Numen ipſis præeſſet Stellis, ſed hoc quoque obtinuit. Quum enim in Stellis non diverſos ſolummodo, ſed contrarios effectus obſervaverit Antiquitas, Deum aliquem, qui omnia contemperaret, facile agnoverint. Cui ſummum etiam cultum adhibendum decreverant. Eâ lege tamen ut ſtellis ſuus etiam conſtiterit honos, quum ex immortali earum naturâ præcipue in Dei ſummi notitiam pervenerint. Licet igitur in ſeipſo antiquior ſit Dei illius ſummi cultus, uti qui in ipſo corde ſit deſcriptus; quatenus tamen ex ſplendidis & incorruptibilibus Solis & Lunæ corporibus primum ejus ſpecimen aliquod utcunque habuerint Majores noſtri, ſi non antiquiſſimum, certe maxime univerſalem cultum, qualis qualis fuerit, Stellis datum fuiſſe ex Authoribus colligere licet, quum gradatim ita ad ſummi Numinis cultum profecti ſint. In operibus quippe ſuis cum eluceat Dei Poteſtas, Sapientia, Bonitas, cum ex illis etiam nobis præcipuè innoteſcat, haut ſane aliter Deum congredi potuerunt; via eadem utriſque cum communis fuerit. In melioris vitæ ſpem ex cultu divino

vino & amore (ipsâ suadente conscientiâ) inde provecti in Stellis illustriora Dei supremi opera, in operibus suis Deum ipsum coluerant olim homines. Neque alia tum temporis religionis extabat formula. Quæstio inde orta est, num præter mentem puram piamque vitam alius Dei cultus commodè institui posset; hucusque enim ex notitiis communibus ipsi cordi infixis sapiebant Gentiles. Emersit inde quædam hominum secta qui ritus & ceremonias hisce adjiciendas esse dictitaverant. Hoc etiam ex eo firmatur, quod Religio olim δεισιδαιμονία appellaretur, eodemque porro vocabulo יהי Deus & Dæmones ab Hebræis vocarentur, uti observavit doctiss. Vossius ex Sanhedrin: c. 7. § 10. Si enim (inquiebant) cuivis magnitudini præbendus sit aliquis externus cultus, si ipsa demum Regia potestas ritibus & ceremoniis cumprimis fulciatur, nonne præstantissimus Deo illi, à quo omnia, deferendus est cultus? Nonne præcipui ejus ministri unà venerandi, cum haut satis pro majestate sua coli possit Deus summus, ubi negligenter habiti fuerint, uti qui illum ordine quodam, haut licet dignatione antistant & præeunt: quin aditus potius ex virtute & ritu omni sacro in astra ex astris ad Deum ipsum tentetur: hâc si excidamus, haut aliam ad Deum summum vel semitam inire possumus. Permovere vulgus non invenusta hæc & similia rationum momenta, ita tamen ut nescierint planè qua insuper adveneratione, quibus ritibus vel cæremoniis coleretur summus Deus. Progressu inde temporis, ut in Rabbini non delirantis operis habetur, extiterunt inter homines Pseudoprophetæ, dictitantes præceptum sibi atque imperatum à Deo ut stellam hanc vel illam, quin & omnia sydera colerent, iis sacrificarent, ac certo modo libarent, templumque iis extruerent, tum etiam ut facerent simulachrum ejus, quod ab omnibus mulieribus quoque & parvulis & reliquis terræ hominibus coleretur. Itaque & indicarunt illis figuram quam ipsi commenti erant, dicentes eam esse simulachrum stellæ per Prophetiam sibi revelatam. Tum aggressi sunt homines simulachra in templis, & sub arboribus in montium cacuminibus & collibus ponere. Dein congregati adorabant ea, universis indicantes ab illis simulachris bona & mala omnia provenire, & proinde summo jure coli & metui. Sacerdotes autem eorum ex ipso cultu incrementa rerum & prospera cuncta promittebant, præcipientes quæ facerent quibusve abstinerent. Exorti deinde sunt aliqui impostores, (ut ex eodem Rabbino aliis etiam concurrentibus liquet) qui ipsam sibi stellam aut Sphæram, aut Angelum loquutum dicebant, ac præcepisse ut hoc modo sese colerent, tum commonstrasse sibi rationem cultus sui, & quæ facienda, & quæ fugienda essent. Tum diffusum verbum illud per totum mundum ut colerent imagines, ex præcipuo

puo quamquam cultu ſacrificando & adorando. Hæc ex Rabbino. Quomodo porro hoc Dei verbum (ita enim Stella vocabatur,) ad illos perveniret, aperte ſignificabant dicentes,ſe per totam noctem in templo Stellæ ſive Dei illius cubaſſe, atque per ſomnium præcepta illa immiſſa vel revelata fuiſſe: neque aliqua certior Oraculorum ratio per id temporis fuit. Mos hic ab Ægyptiis primo traditus, uti qui primi Deorum ſive Stellarum perceperint notitiam, & templa ſtatuerint, & lucos & ſolemnes ediderint conventus. Ad Syros demum tranſiit & finitimas nationes, & inde ad Græcos & Romanos, (ab Oriente enim omnis fere religio & ſuperſtitio manavit) neque abolitus fuit ante Conſtantini tempora, qui non ignarus malorum quæ ſub illo obtentu in templis patrabantur, morem hunc penitus tolli curavit. Hinc tamen per primæva tempora tot religionum figmenta & monſtra in credulum & iners vulgus ſparſa fuere, cui (cum nefas eſſet contradicere) præcepta eorum quævis, licet ex ſomniis ſolummodo hauſta, obtrudebantur. Haud ita facile tamen populo impoſuiſſent iſto modo ſacerdotes, niſi unà prophetias quaſdam de rebus futuris admiſcuiſſent, quæ ſub dubiis terminis æquivociſque prolatæ, ſi eæ aliqua ſaltem ex parte eventum ſortitæ eſſent, authoritatem illis fidemque conciliavere immenſam; ſin è contra falſæ prorſus eſſent prophetiæ, haut ita tamen animum deſpondebant ſacerdotes. Si enim triſtia vel mala vice alicujus boni ab illis per prophetiam promiſſi eveniſſent, id peccatis populi Deum à propoſito ſuo avertentibus tribuerant, ſacra inde fieri debere, (quorum ipſi aliquam abligurirent partem) quo ita placaretur numen, ſuadentes: ſin vero vice mali ab illis prædicti bonum aliquod accidiſſet, id precibus ſacriſque eorum permiſſum voluere, qui mala ita averruncaſſent, ut facilis grataque hoc modo prophetiæ jactura eſſet: utcunque tandem res cecidiſſet, ſeſe ſartos tectoſque ſervabant, imminuta neque tantillum apud populum eorum exiſtimatione vel gratiâ. Obſervatio porro curſus ſtellarum, & earum ortus & occaſus, & conjunctionum variarum, & quo tempore, ſed præcipue in Ægypto facta fuit, ubi in aprico aëre ob cæli perpetuò ibi vigentem ſerenitatem pernoctaverant ſacerdotes, exinde etiam plurima pollicentes, unde de fertilitate anni & hujuſmodi aliis certiores eſſent, ex quibus omina etiam captabat populus; ſed quia hæc quoque ſine ſtipendio fieri nequière, & illud quoque erogabatur. Adeo ut divitias inde corraderent hominum vaferrimi, & in eam tandem venerint exiſtimationem, ut in eorum collegium cooptarentur primores homines & magnates; quum ad ducendum populum nihil plus efficeret, quam ut crederent Dei ſcita & oracula ab illis ſolis peti potuiſſe, unde etiam in Pontificum ordinem & ipſi

Chaul.

Lucian. de Deâ Syria. Strabo l. 5.

Euſeb. Pamph.

ipſi Cæſares tandem ſuffecti fuere, Ciceroque ipſe Augur factus. Poſtquam ſeptem Planetis ita tributus eſſet divinus honos, ſed cumprimis Soli, Lunæ, & Phoſphoro (qui & Lucifer, & Heſperus, & Veſper, & Venus, &c. vocatus fuit) & deinde Mercurio, qui & Markolis, & Margamah, & Ἑρμῆς, & Στίλβων vocabatur, & reliquis Planetis. Omnia ſydera cælo infixa, ſed ante reliqua, Canis qui & Sirius appellabatur. Proxime & Piſces, qui Syria numina & Cupidinem & Venerem ſignificabant, vocabantur, ab Orientalibus & deinde ab aliis colebantur. Sed quum viderent ſimul tempeſtates oriri ab Arione, Arcturo & Coronâ, Ventos à Capra & Hœdis, pluviam ab Hyadibus & Pleiadibus, æſtum à Caniculis, & anterioribus partibus Leonis, provenire, his præſertim cultus divinus adhibitus fuit. In dubium poſtea venit num una cum Stellis cælum ipſum colendum eſſet, quum non aliud immenſum vel infinitum præter Cælum in rebus dari eſſet veriſimile. Sed non ſolummodo Cælum divino honore colendum decreverant ſacerdotes, ſed & ipſi Philoſophi celebriores, adeo ut non Stagyrita tantum, ſed eminus ejus Præceptor ita ſtatuerint. Cujus hanc rationem adduxit Stagirita: Ἕκαστόν ἐστιν, ὧν ἔργόν ἐστιν, ἕνεκα τοῦ ἔργου· θεοῦ δὲ ἐνέργεια ἀθανασία, τοῦτο δ' ἐστὶ ζωὴ ἀΐδιος· ὥστ' ἀνάγκη τῷ θείῳ κίνησιν ἀΐδιον ὑπάρχειν, ἐπεὶ δὲ ὁ Οὐρανὸς τοιοῦτος, σῶμα γάρ τι θεῖον, διὰ τοῦτο ἔχει ἐγκύκλιον σῶμα, ὃ φύσει κινεῖται κύκλῳ ἀεί. Vnumquodque eorum quorum eſt opus, id eſt, operis cauſa. Dei vero operatio immortalitas eſt, hoc autem eſt perpetua vita, quare Deo perpetuum ineſſe motum neceſſe eſt. Quum vero cælum ſit tale (eſt enim corpus quoddam divinum) eo corpus habet rotundum quod natura ſuâ in orbem movetur. Non tantum ideo Stellas Deos & ſupremum porro aliquem Deum omnium Moderatorem, ſed & cælum ipſum Deum ſtatuerunt olim Sacerdotes & Philoſophi. Septem demum Planetis ſeptem intelligentias præficientes eo ordine, ut minùs intelligentem Lunaris orbis quam Solaris intelligentiam, minus etiam intelligentes ſeptem Planetarum intelligentias quam primi Orbis Motorem crediderint. Inferiores hoc modo intelligentias ſive Motores Planetarum in habitudine ad Supremum Motorem conſtituentes. In diſquiſitionem deinde venit, an non & cælum hoc quod videmus eſſet corpus, & partes haberet dextras, & ſiniſtras, ſuperiores & inferiores, raras & denſas, an non cum appetitu moveretur, quum motum ſine appetitu vix dari poſſe in vivente exiſtimaverint, & hujuſmodi alia, quæ inter doctiores agitata ſtupidiorum ſenſus parum quidem permovebant, qui ſatis habuerunt, cælum illud, cui ineſſent Stellæ, tanquam Deum coli debere. Diis plurimis ita agnitis diverſos illis cultus exhibere vel ipſa ſuaſiſſe videtur Deorum diverſitas,

German. in Arat.

Ariſtoteles 2. de Cælo c.3. tex. 17.

sitas, quod in rem suam ita vertebant callidum olim sacerdotum genus, ut diversas utique cultuum rationes comminiscerentur, quibus sacris, quâ victimâ Deus unusquisque conciliaretur, sive placaretur, subinde indicantes. Hinc igitur tot cultuum portenta ubique terrarum diffusa sunt, sacerdotibus ubique ex somniosis suis imaginationibus populo imponentibus. Sed & hoc pejus, quod quum ex verâ virtute, vel hinc ubi exciderint ex pœnitentiâ verâ pacem internam comparare debuissent, ad ritus & sacra quæ ipsi peragerent res perducta est, quasi illos solos exaudirent Dii eorum, neque alius Μεσίτης, vel Mediator inter superos & homines præter sacerdotem daretur. Postquam ita invaluerat religiosus superioris Orbis cultus, quæri cœptum est, num & ipsa Tellus coli deberet; sed & hoc quoque obtinuit. Quum enim post Solem & sydera sese maxime offerat tellus hominum & omnium animantium productrix & altrix, venerationem illi non levem tribuerant majores nostri, adeo ut principem Telluri locum in elementis dederint doctissimi Philosophi, illam Deorum antiquissimam vocitantes. Quum illam primo (ex eorum sententia) destinaverit Natura; reliqua proximè, atque in Telluris gratiam. Tandem etiam à sacerdotibus antiqua Mater dicebatur, quam cælo nuptam voluere, adeo ut cælum Marem, Tellurem fœminam æmulari docuerint, unde etiam Dii Γαμήλιοι sive Nuptiales à Græcis & Romanis vocabantur. Telluri autem venerationem adhibendam esse multis rationibus suadebant: nam si parentes colendi, multo magis Tellus, à qua non solummodo Parentes nostri, sed ea omnia quæ nobis ex usu sunt ortum trahunt, & in cujus etiam sinum postquam hanc vitam emeriti sumus, recipimur. Cælos quidem inferioribus omnibus præstare, sed adeo dissitos esse ut solummodo aspectui pateant: Tellurem vero in contubernium suum nos admisisse. Intra illius ambitum demum ejusque ex beneficio jus nostrum omne & authoritatem existere, ideoque multis nominibus colendam esse. Facile populo obtrudebatur prona hæc Telluris veneratio. Principes Dii ita facti Cælum & Terra ut Varroni placet, in Ægypto Serapis & Isis, apud Phœnices Daantes & Astarte, alibi Saturnus & Ops vocabantur. Mox in examen venit an non & Ignis æque ac Tellus colendus fuerit, sed quia per calorem terrena omnia agunt, adeo ut formæ magis quam materiæ respondeat Ignis, quia demum ultra calorem suam lucem syderum instar diffundit, quia tandem non putrescit, neque ubi fomes adest, deficit, ideo in Deorum numerum relatus est ignis. Cujus cultum etiam sed in Dei summi gloriam antiquissimum esse suo loco monstrabimus; quod inter Iudæos Deus appelletur ignis consumens in Mosis Deuter. 4. videre est, sed circa loci hujus explicationem

*Varro l. 4 de L. L.*

*Ignis cultus.*

tionem consulantur nostri Theologi. Tot cultibus haut onerati sacerdotes ad Aquæ venerationem accedebant. Ita persuasi quod sine humido calidum ad rerum generationem adeo non proficeret, ut omnia potius absumeret, ejus frigore adurentem retundi calorem ignis, ejus humore molliri siccitatem & duritiem terræ, ut omnia ita in temperiem venirent; esse demum terrâ superiorem, hominique alimentum præbere magis commodum; diutiùs enim sine cibo quam potu vivere possunt homines. Ex eâ demum omnia potissimùm fieri & gigni. Cujus exemplum etiam proposuit sagax olim Philosophus: fingatur (inquit) ingens Vrceus aliquot jugerum terræ capax, quorum pondus etiam minutatim ex lance æstimetur, sementem heic grani vel olerum, quæ aquâ pluviâ solummodo irrigetur, primo anno facias, quorum pondus etiam ex lance æstimetur, atque ita per aliquot annos, totus deinde proventus ponderetur: postremò etiam seminentur quercus, abietes, fagi, ulmi & cætera arborum genera, quæ in debitam magnitudinem & proceritatem crescere sinantur, excindantur demum arbores, & in lancem frustatim ponantur, ubi autem horum omnium pondus simul constiterit, æquale saltem terræ quæ primo in urceum immittebatur esse comperiet, neque tantillo interea ex terræ ipsius pondere imminuto, adeo ut ex aquâ in terram decidente totam emersisse molem necessum ex experimento isto fuerit: inde Aquæ tanquam Deo exhibitus cultus, qui inter Persas adeo solennis fuit, ut illorum nemini manus ipso vivo flumine lavare; vel in illud inspuere, vel nares emungere, vel (brevi) sordidum aliquod conjicere licuerit. Non superfuit jam inter elementa quod coleretur nisi Aër, sed ejus cultum suasit ipsa vastitas, quæ in tres regiones divisa, & à terrâ ad Lunam extensa, centies fere millies globum terræ Aquæque excedit: tum ipsa necessitas cum sine Aëre & cæcus, & surdus, & mutus esset homo. Quod nullum insuper elementum in pulmones attrahi posset, adeo ùt licet ad quatuor dies neque ultra puram inediam sustinere queat homo sanus & integer (neque enim de pituitosis quibusdam loquimur, quorum miræ extant historiæ) sine Aëre neque per momentum vivere possumus, Divinitatem hanc Aëris multis rationibus munire conati sunt Philosophi quidam. Sed præcipue Anaximenes, & Diogenes Apolloniates, & inter Poëtas Ennius. Ille est is Iupiter, quem dico, quem Græci vocant Aërem, qui ventus est & nubes, & imber postea, atque ex imbre frigus, ventus post fit aër denuò, quod & firmat usitata loquendi formula sub Dio vel sub Divo, & sub Iove, id est in aprico aëre, cum Iupiter aliquando pro Aëre figuratè apud antiquos accipi soleat, qua de re suo loco fusius. Anima tandem ipsa ab ἀέριν spirare dicitur. Quapropter

*Aqua cultus.*

*Aëris cultus.*

*V. Varro. de L. L. l. 4.*

Lactan. de op. Dei. 1. c. 17.

etiam Varro apud Lactantium inquit, anima est Aër conceptus in ore, defervefactus in pulmone, tepefactus in Corde, diffusus in Corpus: ubi nihil immutandum censeo, contra quam sentit vir doctissimus, qui heic legendum vult tepefactus in pulmone, fervefactus in Corde. Fugit forte virum alioquin linguæ Latinæ callentissimum, defervefacere idem significare ac fervefacere, neque refrigerationem inde innui, uti in Catone de Brassicæ medicamentis, & Plinio videre est. Fervere porro non semper respectu caloris dici, sed ebullitionis, ita ut æstus maris & mare ipsum nonnunquam fervidum vocetur, quo sensu ex ventilatione pulmonum fervefactum sive defervefactum esse aërem voluit Varro. Sed neque Partes Mundi insigniores colendas solummodo, sed & totum ipsum Mundum tanquam pulcherrimam Dei imaginem colendum esse censebat Antiquitas: de quibus fusiùs in sequentibus agemus. Postea in tantum processit cultus, ut & homines colerentur. Quum enim ex Elementis, quæ jam in cultum recepta compositum esset humanum genus, & melioris sui partis originem insuperè Cælo traheret, quum demum homines ipsis præcellerent Elementis, plurimáque in se haberent, quæ ex Elementorum quatuor qualitatibus (quocunque modo mistis) educi nequiêre; quum denique homo non solummodo animantibus reliquis, sed homo homini etiam dignatione præstaret, haut negligendum & ipsius hominis cultum, qui semet supra vulgarem sortem ex præclaris & arduis actionibus erexerit, existimaverant, eo nomine, ut virtutem, (quæ omni cultu digna) sanciri putantes. Quomodo in Animalcula quædam postea cultus quidam particularis descenderit, explicandum maneret, nisi quod inter nationes quasdam solummodo & præsertim inter Ægyptios cultus neutiquam universalis extiterat. Quamvis enim superstitio multorum in religionis specimen quoddam transire posset, quod à paucis solummodo superstitiose factum, non satis in religionem asseritur. Nos autem haut alia quam quæ omnes (vel plerique saltem coluere, sub religionis titulo ponimus. Maxime antiquum interea & maxime universalem religiosum cultum, ex optimis Authoribus qui extant statuimus, adeo ut si Iudæos olim excipias, quos antiquissimos mortalium fuisse docent S. S. (sed qui particularem & ignotum quoddam gentibus numen colere credebantur,) haut alia fuit sane diffusa olim per totum orbem religio, neque aliam fere jam inter Indos Occidentales (nisi ubi Christianam religionem edocentur aliqui) vel inter Indos Orientales (nisi ubi satis recens illa Mahumedana religio, & nuper etiam Christiana in aliquibus Indiæ locis extat) invenire possumus: non negamus commisceri hosce cultus quosdam particulares, ita tamen ut hucusque conventum esse inter Indos saltem si hominum cultum demus,

Mundi cultus.

demus, saniores testantur scriptores. Ex quibus patet Deum Summum omnium moderatorem, Solem deinde & Lunam, Phosphori & Mercurii Stellas, deinde etiam reliquos Planetas & Stellas fixas, sed inter illas præcipue stellam Canis,& Pisces,tum Arionem,Arcturum,& Coronam,Capram & Hœdos, Hyades,& Plejades, Caniculam & anteriores partes Leonis, tandem etiam & quatuor Elementa, & ut paucis dicam, præclarissimas quasvis mundi partes, & totum denique Mundum, tanquam perfectissimam Dei summi imaginem, cultu sed omnino diverso (quod & diversi eorum ritus indicant) culta fuisse: Quum enim Deum (uti supra innuimus) id omne vocitarint, quod vim aliquam eximiam in inferiora, sed in homines præcipuè ederet: hæc omnia suo unumquodque gradu venerabantur Gentiles: quæ interea ad virtutem morumque sanctimoniam spectant, non ex religione tantum, sed ex Philosophiis, Legibus, & ipsis etiam in foro interno descriptis notis ubique petentes. Hæc igitur fuere numina illa sive Dii, quæ cultu aliquo divino colenda esse voluit Antiquitas: Quæ cultum etiam hominibus præclarè de Patriâ suâ sive genere humano meritis decrevit. De quo cultu suo loco. Reliquum est ut hæc omnia, vel eorum saltem præcipua ex Authorum antiquorum testimoniis probemus & firmemus, quo ita vera Gentilium Religio omnibus patefiat: De quâ etiam Censuram nostram ad calcem libri apponemus.

## CAP. III.

*Cur variæ Appellationes Deo olim datæ, & quænam illæ fuerint.*

NUmerosa luxuriansque fuit olim Deorum nomenclatura, dum unusquisque pro patrio sermone tum & arbitrio suo Diis nomina imponeret, & Epitheta diversa Diis data in eorum calculum tandem accederent. Sed & hoc quoque à gravissimo Authore comprobatum fuit, dum ait tot Dei Appellationes esse possunt quot munera: adeoque si triginta millia Deûm nomina (quod ab OEnomao & Hesiodo in θεογονίᾳ perhibetur) supponat quispiam, & tot ejus munera dari fatendum est. Immo quum innumera sint Dei O. M. Beneficia humanò generi collata, sub innumeris illum celebrari nominibus novum videri non potest. Sint igitur Summi Dei Attributa infinita, quum ultra captum nostrum nedum sermonem vulgarem infinitæ extant ejus virtutes, tametsi nullis melius aut tutius (meo judicio) nobis consignari queat Epithetis, quam iis quæ ab omni ævo hodiéque in ipsis Indiis tributa summo Deo comperias; Nempe ut sit *Optimus* & *Maximus*, adeo

*Sen. l. 5. de Ben. c. 17.*

adeo ut neque *Optimus*, nisi summâ tum potestate tum voluntate benefaciendi esset præditus; neque *Maximus*, nisi beneficia sua undequáque collocaret, satis prædicari queat. Atque heic quidem provinciam satis difficilem capessimus, quum in caliginem tenebricosam Vetustatis & ipsas quasi parentales Majorum nostrorum umbras conjiciamur. Atque heic à Iudæis telam exordiar; licet enim scrupulus à præstantissimo Iosepho Scaligero sit injectus, uti qui favere videatur historiæ Dynastiarum à Manethone memoratarum; unde longe ante Adami tempora extarent sæcula. Licet porro Diodorus Siculus & Sinensium Chronologiæ, de rebus gestis per plurima mille annorum ante mundi Creationem à Mose traditam mentionem faciat: Quia tamen à Iudæis veteris Codicis Authoritas primo manavit, ab illis præcipuè originem nominum Dei inter illos receptorum arcessam. Neque obstabit, quod ritus plurimos religiosos ab Ægyptiis ad illos traductos fuisse, contendunt Antiqui scriptores. Quum enim obsoleta sit vetusta Ægyptiorum lingua, tum abolita eorum Religio (nisi quatenus in reliquiis Authorum quorundam & Hieroglyphicis Romæ, & alibi servatis horum vestigia quædam supersunt) haut diu heic insistendum judicavimus. Agnoscimus quidem, ab Deucalionis diluvio, aliisque Cataclysmis, ob Aëris quasi perpetuam serenitatem immunes esse potuisse Ægyptios, adeoque monumenta illorum in bene longum tempus mansisse; sed quia nullum eorum testimonium cui fidi queat, hodierno die extat, Argumentum nostrum persequentes, observamus ex Sanchoniathone Hebræorum El, si modo sit Phænicum (Il uti quibusdam placet,) neque enim (quantumvis fuerint inimicissimi) eorum linguæ aliter quam Dialecto distinguebantur, Hebræis ut Deum significaret, Phœnicibus tamen Saturnum fuisse; si Porphyrii loco ab Eusebio adducto credere fas sit, quem unà cum Doctissimi Gerardi Vossii judicio hac de re apponere placuit: Κρόνος τοίνυν, ὃν οἱ Φοίνικες Ἰσραὴλ προσαγορεύουσι, βασιλεύων τῆς χώρας Φοινίκων, καὶ ὕστερον μετὰ τὴν τοῦ βίου τελευτὴν εἰς τὸν τοῦ Κρόνου ἀστέρα καθιερωθεὶς, ἐξ ἐπιχωρίας Νύμφης Ανωβρὲτ λεγομένης υἱὸν ἔχων μονογενῆ, ὃν διὰ τοῦτο Ἰεοὺδ ἐκάλουν τοῦ μονογενοῦς· οὕτως ἔτι καὶ νῦν καλουμένου παρὰ τοῖς Φοίνιξι, κινδύνων ἐκ πολέμου μεγίστων κατειληφότων τὴν χώραν βασιλικῷ κοσμήσας σχήματι τὸν υἱὸν βωμόν τε κατασκευασάμενος, κατέθυσεν. Saturnus igitur, quem Phœnices Israëlem nominant, quemque post obitum in Astrum sui Nominis consecrarunt, quum iis locis regnaret, filium unigenam ex Nymphâ quadam Indigenâ nomine Anobret haberet, quem propterea Ieoud dixere vocabulo, hodieque unigenam notante linguâ Phœnicià, cumque in gravissimum Belli periculum Regio incidisset, illum ipsum regio ornatum habitu in arâ ad hoc exstructâ immolavit. Vbi hæc tria dici vide-

Diod. Sic. l. 1.

videmus, Israel esse Phœniciæ regem vetustissimum eundem ac Saturnum; fuisse Israeli filium μονογενῆ, unde Ieoud dictus sit Phœnicibus; illum esse à parente immolatum. Vnde potius hæc originem duxisse arbitremur, quam quod Israelem nepotem confuderit cum avo Abrahamo, cui mandatum, ut sacrificaret Deo filium μονογενῆ; sic enim est Gene. 22. 1. Accipe filium tuum unicum, ubi unicum Hebraicè dicit Iehid, quod valde convenit cum Phœnicio Iehoud. Nempe hæ linguæ solà differebant dialecto. Et sane in Orphaicis etiam sive Onamacriticis Abram vocatur μονογενὴς, ubi confunduntur Abram, & Isaac, uti superius Abram & Iacob. Hæc arbitror sic satis verisimilia videri. Nolim tamen super istis cum aliquo contendere. Video ipse quæ jure scrupulum injicere possint: præcipue illud quod parum credibile est, Phœnices pro Deo summo, hoc est, Molocho sive Saturno, habituros Israelem, parentem gentis vicinæ maximéque exosæ, quod satis Sacra testatur historia. Itaque corruptus videtur Eusebii locus, proque Ἰσραὴλ legendum Ἰλ. occasionem prætulerit errori quod qui compendio literarum studerent, sæpius Ἰλ. pro Ἰσραὴλ lineola superinductâ exararent. Atqui hic nihil tale erat, quia Phœnicibus Il, qui Hebræis El, quod unum ex Dei decem nominibus. Eos vero Saturnum non Israelem, sed illum dixisse, ipse nobis Author Santhoniathon, idque apud Eusebium hunc eodem libro: verba sunt ista: Παραλαβὼν ὁ Οὐρανὸς τὴν τοῦ Πατρὸς ἀρχὴν, ἄγεται πρὸς γάμον τὴν γῆν, καὶ ποιεῖται ἐξ αὐτῆς παῖδας τὸν Ἰλον τὸν καὶ Κρόνον, καὶ Βέτυλον καὶ Δάγων ὅς ἐστι Σιτὼν καὶ Ἀτλαντα. Cælus autem ubi paternum accepit regnum, Tellurem duxit uxorem ac filios ex eâ genuit quatuor, Ilum qui Saturnus dictus est, & Betylum & Dagonem, qui aliter Sito & Atlanta. Apertior etiam locus ejusdem Sanchoniathonis ibidem, Οἱ δὲ σύμμαχοι Ἴλου, τοῦ Κρόνου Ἐλοεὶμ ἐπικλήθησαν, ὡς ἂν Κρόνιοι οὗτοι ἦσαν οἱ λεγόμενοι ἐπὶ Κρόνου. Socii autem Ili, qui idem Saturnus erat, Elohim quasi Saturnios appellarent à Saturno. ubi Ἐλοεὶμ non aliud est, quam Hebræorum Elohim. Quomodo subinde Angelos, Iudices, falsos etiam Deos, immo & summum atque unicum Deum Mosaici operis initio & passim in Scripturis vocari, vel pueris constat. Atque ad hanc conjecturam in familiari sermone, mihi præire memini divinum virum Hugonem Grotium illustrissimum Regni Suecici apud Christianissimum Regem Legatum. Hæc ex Vossio. Certe Saturno olim filios unicos imolatos fuisse à Gentilibus, tum præcipue à Phœnicibus, fidem faciunt antiqui Authores. Ita Sanchoniathon: Κρόνῳ γὰρ Φοίνικες καθ' ἕκαστον ἔτος ἔθυον, τὰ ἀγαπητὰ καὶ μονογενῆ τῶν τέκνων. Phœnices quotannis sacrificabant Saturno dilectissimos filios & unicos: quod & valde firmat Porphyrius lib. 2. de Abstin. ab esu Animal.

*Euf. ora. in Consta. laudem.*

mal. vid. pl. Voss. pag. 364. Saturnum porro vocatum fuisse El testatur Damascius, Φοίνικες καὶ Σύροι τὸν Κρόνον Ἠλ, καὶ Βὴλ, καὶ Βολαθὴν ἐπονομάζουσι. Phœnices & Syri Saturnum vocant El; & Bel, & Bolathen. Ἠλ vero esse Solem, ostendit Servius. Omnes inquit in illis partibus Solem colunt, qui eorum linguâ Hel dicitur, unde & Ἥλιος, sed de his fusiùs ubi de nominibus Solis & cultu. Atque hæc quidem de nomine El, cujus plurale Elim, qui etiam sunt Angeli, Exod. 15. 13, & Elohim, cujus singulare Eloah, sufficient. Ad calcem solummodo adnotabimus nominis Dei Elohim, qui in principio dicitur creasse cælum & terras, multiplicem dari sensum, adeo ut valde diversas textus illius interpretationes in Gordonio Scoto videre sit.

*Damasc. in Isidor. apud Photium.*

*Servius de Belo Phœnice.*

*Hab. 11. 12. 34.*

Ad alterum nomen Iehovah sive Iah accedimus, ubi etiam integrum locum ex eodem Vossio apponam. Est vero Iacchus ab יה Iah, uno ex Dei nominibus, ex quo Halelu-ja, hoc est, Laudate Dominum. Nempe sanctum hoc nomen Iah vel Iach gentiles resonare solent in suis Chorcis. Quemadmodum & usurpasse in iis videntur nomen tetragrammatum יהוה, sive id sonuit Iave vel Iehave, ut Samaritani efferebant. Vnde & existimo esse, quod Ιαβε pro eo sit apud Epiphanium hæresi 40, quæ est Archonticorum: sive pronunciarint Ieheve ut Mercerus & Drusius censent: sive Iehovah ut præferunt puncta Masoritica, de quo disputare non est hujus loci. Solum dicam non displicere eorum sententiam, qui exinde, quod acclamarent יהו, existimant factum illud Græcum in Βάκχε. Quomodo sit ex posteriore parte vocabuli יה; sane notum est, Vau abire sæpe in B, unde Varro Græcis Βάῤῥων, Virgilius Βιργίλιος. Sed si de Baccho displicet, saltem ex tetragrammato vel Iah est Ιαω. De quo sic Diod. Sic. lib. 1. Παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις Μωσῆν ἱστοροῦσι τὸν Ιαὼ ἐπικαλούμενον θεὸν προσποιήσασθαι τοὺς νόμους αὐτῷ διδόναι. Iudæi referunt Mose fingi Deum qui dicitur Iao, leges sibi tradidisse. Vbi Iao sine dubio vel pro nomine tetragrammato, vel idem est ac Iah, quod habemus Exod. 28. & in Psalmis crebro. Vtinam vero extaret Labeonis liber ex quo ista refert Macrob. l. 1. Sat. c. 18. Consultus Apollo Clarius quis Deorum habendus sit qui vocatur Iao, ita effatus est:

Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ιαώ,
Χείματι μέν τ' Ἀΐδην, Δία δ' εἴαρος ἀρχομένοιο,
Ἠέλιον δὲ θέρεος, μετὰ δὲ φθινοπώρου δ' ἁβρὸν Ιαώ.

Quæ ad verbum malo quam simili versu transferre: *Dic omnium supremum Deum esse Iao, Hieme quidem Plutonem & Iovem Vere incipiente: & Solem æstate, autumno autem mollem (aut festivum) Iao.* Subjungit deinde Macrobius: Hujus oraculi vim numinis, nominisque interpretationem,

quâ

quâ Liber Pater & Sol Ἰάω significatur, exsecutus est Cornelius Labeo in libro cui titulus est *De Oraculo Apollinis Clarii*. Hæc Vossius lib. II, cap. XIV. Quomodo expurgationem criminum ex ritibus quibusdam & præcipuè Vanno, de quo in S. S. etiam mentio, huic Ἰάω tribuerunt Gentiles, suo loco dicemus. Sed & Deum Sabaoth, id est Exercituum, (quod unum ex Dei nominibus in S. S.) fuisse Gentilibus Liberum, sive Bacchum, in quo Sol colebatur, ex pluribus locis colligi potest: sed præsertim ex Aristophane, qui Bacchum sive Liberum passim Σαϐάζιον vocat, quod etiam in Diod. Sic. lib. 3. & Luciano in Deorum Consil. Harpocratione in Σάϐοι, Eustachio in Dionysii περιήγησιν videre est. Huic fidem etiam facit vetus inscriptio, *Q. Nunnius Alexander donum dedit Iovi Sabbazio*, qui in veteribus Apuleji membranis etiam Sabadius dicitur. In sacris Sabazii serpens in sinum initiatis dimittebatur: quo de ritu sic Arnob. lib. 5. *Ipsa sacra & ritus initiationis ipsius quibus Sabadius nomen est, testimonio esse poterunt veritati, in quibus aureus coluber in sinum dimittitur consecratis, & eximitur rursus ab inferioribus partibus.* ubi *Sabadius* idem quod *Sabazius*; uti placet doctissimo Vossio. Ita etiam Iulius Firmicus Maternus *Serpentem colentes Iovem, Anguem, quum initiantur, per sinum ducunt.* Serpens is aliquibus symbolum erat Dei aliis mundi, aliis juventutis, sive renovationis, qui Liberida deponat; aliis Temporis, cum caudam suam sub guttur attractam occultat; eaque species in Saturni dextra statuebatur, ut Pierius habet; atque ita Terram circumeuntem Solem denotabat. Hoc Sabazii numen, quod exteræ nationes ab Ægyptiis, vel Syris, hausisse videntur, fuit Romanis & Græcis peregrinum. Ita Cicero. Novos vero Deos, & in eis colendis nocturnas pervigilationes, sic Aristophanes facetissimus Poëta veteris Comœdiæ vexat, ut Sabazius, & quidem alii Dii peregrini judicati, è civitate ejiciantur. Est vero Sabazius ab Hebræo צבא militia sive exercitus. Vnde 1 Sam. 5. Psal. 24, 59, & alibi Κύριος Σαϐαώθ, sive Deus Sabaoth, id est, *exercituum* vocatur Deus; quod nihil commune habet cum Iudaico Sabbato quietem significante; contra quam sentit Plutarchus, qui Σάϐϐατον, sive Sabbathum à Sabbazio dici vult.

*Iul. Firm. de erro. prof. rel.*

*Pierius in Hierog.*

*Cic. 2. de Leg.*

Celebre aliud Dei nomen superest, quod in S. S. usurpatur, *Adonai*, videsis Psal. 24. Esa. 19, 4. derivatur autem ab Adon, id est, Dominus, quo sensu recipitur etiam apud Plautum, ubi per *Donni*, vel *Adoni* intelligitur *Domine mi*. Sed per Adonin quoque Solem significari apud Gentes, testatur Macrobius. *Adonin* quoque Solem esse, non dubitabitur inspecta religione Assyriorum, apud quos Veneris Architidis (lege *Atergatis*) & Adonis maxima olim veneratio viguit, quam nunc

*Plau. in Pænul.*

*Macr. l. 1 Sat. c. 21.*

*Voss. l. 11. c. IV.*

 Phœ-

Phœnices tenent. *Nam Physici terræ superius Hemisphærium, cujus partem incolimus, Veneris appellatione coluerunt; inferius vero Hemisphærium terræ Proserpinam vocaverunt. Ergo apud Assyrios sive Phœnices lugens inducitur Dea, quod Sol annuo gressu per duodecim Signorum ordinem pergens, partem quoque Hemisphærii inferioris ingreditur, quia de duodecim Signis sex superiora, sex inferiora censentur, & cum est in inferioribus, & ideò dies breviores facit, lugere creditur Dea, tanquam Sole raptu mortis temporalis amisso, à Proserpina retento, quam Numen Terræ inferioris Circuli & Antipodum diximus; rursumque Adonin redditum credi volunt, cum Sol evictis sex signis inferioris ordinis, incipit nostri Circuli lustrare Hemisphærium, cum incremento luminis & dierum. Ab apro autem tradunt interemptum Adonin, Hyemis imaginem in hoc animali fingentes, quod Aper hispidus & asper, gaudet locis humidis & lutosis, pruinaque contectis. Ergo hyems veluti vulnus est Solis, quæ & lucem ejus nobis minuit, & calorem; quod utrumque animantibus accidit morte.* Hæc Macrobius. Phœnicum lingua etiam Adonis vocabatur Gingras; unde tibiæ nomen, qua Adonidi lugubres ciebant cantus, cujus mentio etiam facta Isa. 28, & Ier. 8. ubi Hebraicum עגור non harundo, vel pica est, sed grus, vel anser. Tibia enim illa ex anseris tibia facta fuit, ad quam saltationes institutæ: inde gingrire anserum vocum proprium est. Hispanus Aldrete tamen vocis Gingras originem à radice Syra Ghenag, hoc est, *venari*, deducit, sed duriuscule. Ritus populo indictus in Adonidis sacris, fuit, ut se verberibus lacerarent, quasi Adonidi parentantes, & capita raderent, ut Ægyptii faciunt mortuo Api: quod si quæ mulierum comam alere maluerunt, eas uno die se peregrinis prostituisse legimus, & quod inde meruissent, obtulisse Veneri. Lectus etiam Adonidi & Veneri sternebatur, post luctum die hoc repræsentatum: postero die omnes gaudium testabantur ob redditum vitæ Adonin. Plura de his videre est in Luciano de Dea Syria; & Plutarcho in Alcibiade & Nicia. Sacra hæc vocata Adonia, quorum mentionem fieri verisimile est Ezech. 8. *Et introduxit me ad ostium portæ Domus Domini, quæ est ad Aquilonem, & ibi sedebant mulieres plangentes Thamur*: ubi per *Thamur* B. Hieronymus intelligit Adonidem; & Procopius etiam in Ies. 18. ubi porro refert Martem se convertisse in Adonidem. Adonidem vero fuisse Bacchum, ait Plutarchus lib. 4. Symp. c. 5. Sed quia tum Astra sub hominum, tum homines sub Astrorum nominibus colebantur, quid ad Astra, quid ad homines pertineat, in confusa Authorum discrepantium historia haut facile conjicias: quod ubique adnotasse in iis, quæ circa priscos Deos narrantur, magni erit momenti, ad expediendos difficiles Scriptorum locos. Aliquando enim à Diis eorumque sacris mysticis, ad cognomines viros, tum vice ver-

Pollux l. 4. c. 10.

sa,

fa, transit Historia. An vero per Adonidem non Sol tantum, sed frumentum intelligatur, dubitari potest. Huic enim *Adonia* Sacra convenire videntur, uti ex Ammiano Marcellino patet: *Fœminæ miserabilis planctu in primævo flore succisam spem gentis solitis fletibus conclamabant, ut lachrymari cultrices Venereæ sæpe spectentur in solemnibus Adonidis sacris: quod simulachrum aliquod esse frugum adultarum, religiones mysticæ docent.* Fuere & Ammian. Marcell. l. 19.
horti Adonii, de quibus Scholiastes Theocriti ad ejus Idyllium 15: Εἰώθασι γὰρ ἐν τοῖς Ἀδωνίοις πυρὺς καὶ κρίθας σπείρειν ἐν τισὶ προαστείοις, καὶ τὰς φυλδίοντας κήπους Ἀδωνίους προσαγορεύειν. *Consueverunt in Adonis frumenta & hordea serere in quibusdam suburbiis, & consitos hortos Adonios nuncupare.* Sed & alia quoque de hortis Adoniis conijci possunt. Atque hæc de nomine *Adonai*, ejusque apud Phœnices acceptione, uti qui Solem inde coluerunt, dicta sufficient. Sunt & alia Dei nomina sive attributa, ut *Schaddai*, &c. in S. S. tradita, & à B. Hieronymo memorata, circa quæ consulantur Authores qui in S. S. commentaria ediderunt. Hæc saltem fuere solenniora summi Dei nomina inter Hebræos extantia. Quæ etiam ad Solem, Sabazio excepto, à Gentilibus reducta fuisse, ex supra allatis conjecturam facere licet. Adeo ut quamvis superius Sole numen sub hisce præsertim vocabulis coluerunt Hebræi, Solem, neque aliud numen, intellexerunt Gentiles, nisi fortasse in Sole, tanquam præclaro Dei summi specimine, & sensibili ejus, ut Plato vocat, simulachro, Deum summum ab illis cultum fuisse censeas: quod non facile abnuerem, præsertim quum Symbolica fuerit omnis fere religio Veterum; uti qui non solummodo hoc in illo, sed aliud ex alio colerent: sacerdotibus id ex industria procurantibus, quò populum sibi obnoxium redderent. Ingeniosus quippe fuit tum ad populum sub religiosis formulis adstringendum, tum ad quæstum captandum, Sacerdotalis semper Ordo. Quod à Gentilibus supra dicta Dei nomina Hebræi haberent, ut quidam contendunt, haud mihi verisimile videtur, quum ab Oriente ad Græcos & Romanos transierit omnis fere religiosus cultus: tametsi non diffiteor sacra quædam particularia ab illorum sacerdotibus adinventa fuisse. Vt ut sit, sacra ritusque Hebræorum & Gentilium, in pluribus parum discrepantia fuisse, satis liquet; quod etiam in sequentibus manifestius patebit. Atque hæc de Dei Summi nominibus *El*, & *Elohim*, *Iah* & *Iehovah*, *Sabaoth* & *Adonai* dicta sunto: ad variam *Solis* nomenclaturam inter Gentiles usitatam accedimus.

## CAP. IV.

### *De Solis cultu, & variis ejus nominibus.*

SOlis cultum tum antiquum maxime, tum universalem fuisse, testantur non solummodo S. S. sed Homerus, & Hesiodus, ipsi quoque veteres Historici: quum enim in Cælis Deum summum sedem suam posuisse, ex communi sententiâ crederent; (quum immortalis immortali conveniat) nihil illic adeo conspicuum viderant, vel quod mage cultu dignum judicarent Gentiles. Ad Cælos igitur, ex ipso Naturæ dictamine, non maximis in periculis tantum, sed in rebus secundis, oculos supplicesque manus tendebant, illuc vota sua nuncupabant; conscii optimum quodvis aliunde peti non posse. Incongruum demum existimaverant, ut qui cultum ab omnibus flagitaret, à cultoribus suis sese absconderet Deus. Solem igitur Deum fere omnes Gentiles statuebant, non summum quidem, sed summo proximum, ejusque præclarissimam iconem, licet alii Mundum totum tanquam Deo plenum, Summi Numinis imaginem speciosam apprime præ se ferre contenderent. Certe (uti olim dictum) qui Solem vice summi Dei coluerunt, perinde fecere, ac illi, qui ad Aulam potentissimi Principis accedentes, quem primum amictu splendido indutum cernerent, Regium illi cultum deferendum existimaverant. Rectius igitur Peruanus ille Inca, qui à quodam interrogatus, num aliud supremum præter Solem numen statueret? imò inquit; neque enim summus ille Deus, sed summi Dei Minister, qui per totum circumlatus orbem, mandata Dei summi exequitur & obit. Apposite quidem. Quomodo enim summus existimaretur, à quo sublunaria omnia absumpta, & in cineres redacta essent, si modo solus ageret? Sit igitur Dei summi sensibile aliquod simulachrum, non utique summus Deus; quo in gradu illum coluerant etiam Gentilium Sapientissimi; non ignari Deum illum in re unicâ aliquâ haud satis conspici posse, quem nec tota rerum Natura nobis satis pro dignitate suâ consignaverit. Non liquet satis cujus figuræ sit Sol, nempe an tetragonus, an polygonus, an (uti vulgus existimat) rotundus sit: fieri enim potest, ubi Solem conspicimus, ut ejus anguli è longinquo spectati depereant oculo, quemadmodum in turribus quadratis fit, quæ deprocul spectatæ, in rotundam formam ex distantiâ nimiâ accedere videntur; quin etsi cava esset fornax, igne plena, (ut Anaximander censuit,) protuberare tamen oculo videtur: quorum causas in Opticis videre est. Sed ut figuram ejus tanquam dubiam mittamus, saltem patet, ex demonstrationibus Mathematicis, quantitatem ejus centies sexagies sexies, vel, juxta alios, centies

*Historia de las Incas, Garc. de Vega.*

ties & quadragesies Terræ globum superare; velocitatem tantam, ut unius horæ spatio permeet decies centena millena milliarium; quæ tamen velocitas in tantum à firmamento superatur, ut ejus diurnus motus in horis 24. millia passuum 42308437 transigat: quam velocitatem, inquit Fr. Patricius, si posset avis quæpiam consequi, unâ tantum horâ totam terrâmcircumiret 1884 vicibus, hoc est uno tantum minuto $31\frac{2}{7}$ vicibus; ultimo fulgorem lucemque tantam emitteret, ubi diem præstat, ut neque astra reliqua, neque totius Terræ ignes in unum conflati, ignem talem, vel tantum efficerent. His rationibus freti Gentiles, tum quod ex ejus motu Ver, Æstas, Autumnus & Bruma sequerentur, indeque causâ sive ortus, sive interitus omnium Animalium, & plantarum heic darentur, Solem deum statuerunt; tum Ægyptii cumprimis, quorum Theologiâ μόνος ἱερατῶ Θεὸς vocatur, quod tamen ita intelligendum, ut reliqua Astra cultu etiam divino dignarentur, præstantiorem Soli ut tribuerint cultum. Ab Ægyptiis autem Sol vocabatur Osiris; licet enim apud Plutarchum plures alios Gentilium deos æque ac Solem significet Osiris: Sol tamen proprie fuit. Vide Macrob. lib. 1. Sat. c. 21. cui lucem afferunt Diodori Siculi verba, ubi ait: Ἥλιον, id est, Osirim, sive Solem primo imperasse Ægyptiis cognominem Astro quod in Cælis. Videatur & Statius: *------ Seu te roseum Titana vocari*
*Gentis Athemoniæ ritu, seu præstat Osirim*
*Frugiferum ------*

*Plut. de Osir. & Isi.*


*Diod. Sic. Bibl.*

Osirim linguâ Ægyptiacâ *multoculum* significare, quod orbem multis radiis collustret, author est Diod. Sic. l. 1. Extitit etiam apud Ægyptios Solis nomen *Orus*, qui cultus Heliopoli fuit tauro ibidem nomine Mnevis illi consecrato: Ludi etiam heic instituti, ubi imagines Deorum ferebantur sacris thensarum vehiculis. Signa hæc erant ξόανα (ut testatur Servius) id est simulachra brevia, quæ portabantur in lecticis, & ab ipsis mota infundebant vaticinationem: huc respicit illud Amos 5, 26, 7, 43. *Portasti* sive *Bajulasti tabernaculum Molech*, quæ tabernacula sive thensæ à bubus, equis, vel asinis trahebantur, & aliquandò etiam ab hominibus, & vices delubrorum supplebant. Ritus antiqui cultus Solis fuit, ut erectum pollicem ori admoverent, (qui etiam aliis diis communis fuit) & deinde corpus circumagerent, quod à Romanis dextrorsum, à Gallis sinistrorsum factum fuisse, tradunt Authores. Solem orientem colebant olim Gentiles; Israëlitæ è contrario ad occidentem conversi, preces fundebant; quem usum tamen antiquabant Christiani, ad orientem reversi. Fuit & apud Ægyptios Solis nomen Tiphon, de quo suo loco. Phœnicibus etiam Sol cultus fuit; ubi prænotandum est Phœnicem partem esse Syriæ, ad littus sitæ, quæ

*Diod. Sic. 1. Macr. 1. Sat. c. 21.*

*Gen. 10. 15*

C 3 Ca-



*Canaan* in S. S. vocatur. Chanaan genuit Sidonem, ut S. Hier. addit, à quo urbs in Phœnice *Sidon* vocatur; porro & fuit terminus Chananæorum. A Sidone, donec venias in Geraram, usque Gazen, donec ingrediaris Sidonem; ut non negaverim tamen, quin nomen commune fuerit XII aliis Gentibus, quemadmodum Arias Montanus censet; cujus accolæ, ut Herodotus docet, *mare Rubrum* quondam transgressi, maritima Syriæ habitabant; ex posteriore tamen Plinii descriptione Phœnices Syria circumfundebantur: quæ accuratius heic tradidi, quod à Phœnicibus post Ægyptios religiosus cultus in Occidentem manasse primò videatur; tum quod literas, tum quod navigationem in longinquas partes invenisse crederentur. Ita Critias apud Athenæum: *Phœnicum inventum litera namque loquax*. Ita porro Dionysius Alexandr.

Athenæus lib. 1.

*Pars media nam sede colit, Syriique vocantur,*
*Pars maris à fluctus Phœnicum nomine dicti,*
*Gentis Erythrææ soboles à semine ducta.*
*Hi primi rudibus tentarunt navibus æquor,*
*Mercatumque vagas primi instituêre per undas,*
*Concitaque æterno viderunt Sydera cursu:*
*Quique Iopam, Gazamque colunt & Elaidis arces,*
*Antiquamque Tyron, qui te Berytos amœna,*
*Littera qui Bibli, qui florida rura Sidonis,*
*Postremi nitidos habitant ad fluminis amneis,*
*Et pinguem Tripolin Orthosid ique Marathumque.*

Hunc Festus Avienus imitatus, sic habet:

*------- Salsô quicquid pulsatur ab æstu,*
*Phœnicum regio est. Hi rubro à gurgite quondam*
*Mutavere domos, primique per æquora vecti,*
*Lustravere salum; primi docuere carinis*
*Ferre cavis Orbis commercia; Sydera primi*
*Servavêre Poli -------*

Quum autem testetur Strabo l. 17, ad Gades & alia deinde loca transiisse Phœnices olim; haut ita mirum videri debet, si cultus Sydерum observaverint præ aliis Nautæ eorum, Religiosumque cultum in regiones dissitas invexerint; mercaturam ubique in Mediterraneo mari & ipso in Oceano etiam nonnunquam exercentes; Pœnos, ipsosque Iberos magna ex parte subjugantes. Strabo ait Phœnices ante Homeri ætatem optima Hispaniæ & Africæ tenuisse, donec à Romanis esset abolitum eorum imperium. His solenne fuit Pataicos, qui inter Deos ab illis habebantur, in puppibus navium constituere. Quomodo sculpti vel picti erant Pataici illi, haut satis ex Hesychio constat. Sed Deorum ima-

imagines absque ullius hominis vel animantis figurâ, ab Phœnicibus olim efformatas fuisse, ait Cartarius de imag. Deorum. Sol quoque inter Phœnices fuit cultus, sub nomine *Baal*, vel *Bal*; Assyriis *Bel* dictus. Ita enim Servius: *Assyrios constat Saturnum (quem eundem ac Solem dicunt) Iunonemque coluisse: Quæ numina etiam apud Afros postea culta sunt. Vnde & linguâ Bal Deus appellatur: apud Assyrios autem Bel dicitur (quadam sacrorum ratione) Saturnus & Sol. Alia etiam loca huc spectantia adduci possunt.* A Phœnicibus, & Arabibus etiam, Sol cultus, & vocatur Adon, sive Adonis, sive Adoneus, sive Gingras: *Serv. 1. Æneid.* *Lucian. de Deâ Syria.*

Cultus etiam hic Solis aliquandiu in Iudæâ obtinuit ante Iosiæ tempora, qui abolevit equos, quos dedicarant Reges Iudæ, & currus Solis combussit igni. *4 Reg. c. 23. 12.*

Ad Syriam Mediterraneam accedamus, ubi præter Iudæam, est Comagene (Seleuciam, Antiochiam, Apamæam, Laodiceam complectens, unde etiam Tetrapolis dicta) & Cælo-Syria, sive Cava Syria. Hic Ammonitis fuit ubi Sol cultus, sub nomine Moloc, id est Dominus Universi, sive Milcom, qui disertius Ammonitarum Deus dicitur 3 Regum, 11. 5, & 7. & alibi in Levit. & 4. Reg. quibus ex locis videre est, à parentibus in honorem Molech liberos per ignem traduci solere, non tamen ut vivicomburia inde fierent, sed, ut quibusdam placet, ut februarentur, sive purgarentur, dum inter duos ingentes ignes à Camaris sive Sacerdotibus, vel ex eorum mandato à parentibus ipsis, aut ducebantur, aut gestabantur infantes: quos ibi combustos fuisse credit Aben-Ezra. Huc trahitur locus 4 Regum 17, 31. *ii autem, qui erant de Sepharvaim, comburebant filios suos igni, Adramelech, & Anamelech*: ubi ex præpositione primi verbi magnificus, & fortis, ex secundi Oraculum Molochi intelligi potest. Neque obstat, quod ab aliquibus Priapus habeatur Molech; Solis enim vim generativam denotat ipse Priapus: nec quod Mercurius aliis fuit Molech; non Molech enim, sed Melech nuntius, quod Mercurio competit. Attributa fuit autem Molocho imago ex septem constans conclavibus: Quorum in primum offerrent similam; in alterum, Turturem; in tertium, Ovem; in quartum, Arietem; in quintum, Vitulam; in sextum, Bovem; in septimum, filium; ut proditum à R. Simeone in Ialkut; atque exinde à Paulo Fagio notis in Chaldæam Levitici Paraphrasin. Sacrificandi ritus hic fuit, ut homo in Solis honorem mactaretur, licet enim minores victimæ aliis Diis offerrentur, summo tamen eorum Deo summam convenire victimam, docuerunt isto modo atrocissimi Sacerdotes. Hunc in finem charissimos filios devoveri ab ipsorum parentibus persuadentes, ut Saturnum sive Tempus, quod omnia nata atterit, isto modo imitarentur: quem morem etiam apud *R. Salomo Iac. R. Marmon. R. Ioseph. Karo.*

Afros

Afros nonnullis in locis invaluisse, narrat Minutius Felix.

In Syria Apamæâ quoque Emissæ Sol colebatur, unà cum Mercurio & Marte, ut Iulianus docet Hymno in Solem: nomen ei Elagabalus sive Alagabalus, quæ vox ad Romanos transiens, Heliogabalus efferebatur, quod idem sonat ac Ἥλιος δημιουργός, posteriori parte à veteri Arabico verbo *Gabal*, id est, fictor, sive conditor, vel *à Gebet*, quod montem significat, deductâ. Huic Sacerdotes quidam dicati, ut patet ex inscriptione antiquâ: Sacerdos Solis Dei Elagabali. De iis Festus Avienus:

*—— Flammivomo devoti pectora Soli*
*Vitam agitant, Libanus frondosa cacumina turget,*
*Et tamen his certant Celsi fastigia Templi.*

3 Reg. 19: 18. 1 Paral. 8. 4. In Syriâ Palmyrenâ, ita dicta à Palmyrâ, quæ Hebræis Thamur, Sol quoque colebatur; urbs hæc opus fuit Regis Salomonis, in quâ Templum Solis extitisse, memorat Vopiscus in Aureliano.

Iudæâ, Cælo-Syriâ, Comagene, & Seleucide ita transactâ, ad Mesopotamiam, Babyloniam & Syriam pergit doctissimus Vossius; ubi etiam adnotat Syriæ vocem laxe adeo à Veteribus usurpari, ut has etiam terras eâ comprehendat. Mela l. 1. c. 11. Unde Mela: *Syria, & Cæle dicitur, & Mesopotamia, & Damascene, & Adiabene, & Babylonia, & Iudæa & Sophene.* Item de *Syriâ scribens Plinius, illam terrarum maximam quondam fuisse ait: namque Palæstina vocabatur, quâ contingit Arabas, & Iudæa, & Cæle, dein Phœnicia, & qua recedit intus Damascene, at magis etiamnum meridiana Babylonia, & eadem Mesopotamia inter Euphratem & Tygrim, quæque transit Taurum Sophene, citra vero etiam Comagene, ultra Armenia, Adiabene, Assyria antea dicta.* Quæ Syria igitur, prius Assyria vocabatur, ut ex Herodoto, Trogo, & Tull. 1. de Div. aliis constat. Quin & Chaldæos in Iudæâ statuit Cicero. Assyriis igitur sive Syris, à Chaldæis sive Babyloniis Sol dicebatur Belus, non quidem ἱστορικῶς, iis enim Belus dicitur Nimrodus; sed φυσικῶς, quo nomine signatur præcipue Natura universa, magisque Natura Cælestis, indeque maxime Natura Solaris. Huc etiam Gemma quædam Solem æmulans Plin. l. 37. c. 12. respicit, quæ *Oculus Beli* dicebatur (ita Plinius) Beli Oculus albicans pupillam pingit nigram è medio Aureo fulgore lucentem. Hæc propter suam speciem sacratissimo Assyriorum Deo dicatur. Assyriis quoque Sol Adad, ut Tellus Atergatis. Ita Macrobius: *Assyrii* (inquit) *quem Deum summum maximumque venerarentur, Adad nomen dederunt: ejus nominis interpretatio significat Unus. Hunc ergo ut potentissimum adorant Deum, sed subjungunt Deam nomine Atergatin; omnemque potestatem his duobus attribuunt, Solem Terramque intelligentes.* Docet quoque idem Macrobius: *Simulacrum Adad insigne cerni radiis inclinatis, quibus monstratur vim Cæli in radiis*

*diis esse Solis, qui demittuntur in terram. Tum Atergatis simulachrum radiis sursum versum reclinatis insigne cerni, monstrando vi radiorum superne missorum enasci quaecunque terra progeneret.* An vero Deus hic sit Adad, de quo mentio facta Ies. 66. 17. inter doctiores ambigitur: quorum opiniones videre est in doctissimo Vossio.

In Arabiâ quoque tecto imposita Ara thus Soli quotidie adoleri testatur Strabo: In eàdem Sabaeorum populum etiam myrrham & thus undique convexisse ad delubrum Solis, scribit Theophrastus, qui illud sanctissimum omnium circumjacentium fuisse, asseverat, custodesque habuisse Arabes armatos. Fuit & in Arabiâ cultus *Baalpeor*; de quo in S. S. mentio, quem etiam Priapum fuisse, censet S. Hieronymus, quod ut detur, Priapum tamen μυςικῶς fuisse Solem, testatur Orpheus in Onomacriticis: ---- κατὰ κόσμου *Strab. libr. extremo* *ibid.* *Hieron. l. 2. in Osee. c 9.*

Λαμπρὸν ἄγων φάος ἀφ' οὗ σε Φάνητα κικλήσκω

Ηδε Πρίηπον Ανακτα. *Per mundum emicantem ducens lucem, à quo te Phaneta voco, atque Priapum regem.* Sed Phaneta fuisse Solem, testatur Macrob. quin, etsi Priapus idem fuerit ac Ægyptiorum Horus, Sol inde signatur: Ita Suidas: *Simulachrum Priapi Ori nomine Ægyptiis vocati humana formâ fingitur, dextrâ sceptrum tenens, propterea quod ab eo tum siccum, (sive Terra) tum mare sit monstratum: Laevâ vero tenens veretrum suum intentum, propterea quod semina quae occultabantur, producat in apertum, & manifesta reddat. Alae vero velocitatem motus indicant, Orbis vero disci indicant rotunditatem; Eundem enim ac Solem esse arbitrantur.* Fuit & alius Lampsacenus Priapo cognominis, à cujus historiâ depravatâ fabulae quaedam traductae fuere: sed quas mittendas duximus. satis fuerit indicare μυςικῶς Priapum sive Solem, sive universam naturae vim generativam, antiquitus signasse, tum ejus ἄγαλμα hoc fuisse. Cujus igitur in sinu pudendo nubentes praesidere ut earum pudicitiam prior deus delibasse videretur, docuit Lactantius l. 1, c. 20. & Arnobius l. 4. *Macr. l. 1. Sat. c. 17.*

Adeo non impia & stulta tantum, sed obscoena etiam fuerant Sacerdotum vetera inventa, quin & foetida putidaque, adeo ut coram Idolo Belphegor inter Moabitas ejus cultores conquiniscerent, & fimum egererent, vice thuris stercora haec offerentes. Haut solus tamen hic ritus in Moabitarum & Madianitarum sacris usurpatus. Quum enim Baalphegor, uti Priapus, pene erecto fingeretur: haut alium sacrum magis mysticum vel idoneum invenire potuere quondam ritum, quam (quod in Veneris etiam sacris factum) libidini indulgerent. Ita Num. 25, 12, 13. Israëlitae ad sacrificia Baalphegor esse vocatos, initiatos fuisse huic numini & fornicatos cum filiabus Moab, videre est. Atque praefuisse hisce sacris olim Maacha, matrem Regis Asae, conijcere est ex 3 Reg.

25, 2, & 2 Paralip. 15, 16. & Hieron. in Oseam, c. 4: ubi etiam fœminas hunc in cultum pronas fuisse quondam indicat. Neque obstabit heic apud Athenæum l. 1. Priapum Bacchum vocitatum fuisse: Bacchum enim sive Liberum Solem esse μυστικῶς satis constat. De Chamos, quod alio nomine Belphegor vocatum fuisse docet Hieron. in Ies. 15: 2. non est quod prolixi simus, tum quia turpe sacrum, tum quod ad argumentum nostrum haut satis attineat. non prætereundum tamen in Baisampsa Arabiæ urbe cultum ubique fuisse Solem; quod præter Stephanum in Urb. ipsa nominis significatio, quæ est Solis Domus, monstrat.

A Persis etiam Sol pro Deo habitus fuit: cujus nomen apud eos Mithras, quod probat Hesychius inter plures alios, Μίθρας ἥλιος ἐν Πέρσαις, quod & Suidas in Μίθρα, & veteres inscriptiones firmant. DEO SOLI INVICTO MITHRÆ, & OMNIPOTENTI DEO MITHRÆ. &c. tum Herodotus, qui & ritum cultus ejus affert: θεῶν δὲ μόνον ἥλιον σέβονται, καὶ θύουσι ἵππους, solum è Diis Solem colunt, atque equos sacrificant. quod ait ita Strabo, θεὸν ἥλιον μόνον ἡγοῦνται, τούτῳ δὲ ἱπποθυοῦσι. & Trogus; Solem unum Deum Persæ esse credunt, & equos eidem Deo sacratos, ferunt. Ita Ovid. Fast.

*Placat equo Perses radiis Hyperiona vinctum,*
*Ne detur celeri victima tarda Deo.*

Sed quod de uno deo, ita intelligendum est, ut summum potius Deum denotet. Ita Hesychius: Μίθρας ὁ πρῶτος ἐν Πέρσαις θεός: Persas enim coluisse Lunam, Venerem, & Elementa, postea docebimus. Quatenus igitur summi Dei potestatem vel Majestatem signanter ostendere creditur Sol, eo nomine illum colebant olim omnes fere Gentiles: Persæ duo principia statuebant, Oromazen scilicet, tanquam Boni fontem, & Arimanium mali: hunc ne noceret, illum ut juvaret, quasi illum Iovem, illum Vejovem diceres, inter quos medium & quasi arbitrum posuere Solem. Insignis est Plutarchi locus: Ἐκάλει τὸν μὲν Ὠρομάζην, sive Ὠρομάσδην, τὸν δὲ Ἀρειμάνιον, μέσον δὲ ἀμφοῖν τὸν Μίθρην εἶναι. διὸ καὶ Μίθρην τὸν μεσίτην ὀνομάζουσιν. Vocavit (Zoroastes antiquissimus sc. Philosophus) illum quidem Oromasen, sive Oromasdem, hunc vero Arimanium, medium vero amborum Mithram, eo & Persæ Mithram vocant Mediatorem. Hic etiam τριπλάσιος sive triplex vocatur, sive à potestate, sapientiâ, & bonitate, sive à calore, lumine & influentiâ: utraque enim competit ratio. Mithræ in honorem ignem perpetuum servabant Persæ: quod à Vestalibus etiam inter Romanos factum. Quemadmodum enim Sol imago Dei, ita ignis Solis: Sacerdotes heic πύραθοι dicti, qui per horam quasi ante ignem carmen sive ἐπῳδὰς suas concinebant, verbenas manu tenentes,

Plu. de Iside & Osirid.

tes, & tiaris velati sic dependentibus, ut vittæ maxillas, labiaque contegerent, quæ Strabo fieri ait in delubris τῆς Αναίτιδ☉ καὶ τοῦ Ωμάνου. Strab.l. 11.
ubi posterior ignis & deinde Solis symbolum, prior Lunæ videtur. Huic ut superius equum album sacrificabant Persæ, quod à Massagetis etiam factum testatur Herod. l. 1. & ab Armeniis Xenophon l. 4. Αναβάσεως, qui minus immane certe quam illi, qui Soli hominem immolabant, sacrificium obtulerunt. Soli etiam gemma Mitrax dicatur, illum colore æmulans, qui etiam in Perside gignitur. Hinc etiam Pl.l.37.c.7.
Manichæorum Patriarchas (quos Solem coluisse ait Augustinus tanquam medium inter Boni malique Principium) ita perstringit idem Aug. l. xx. Aug. l. adversus
c. 5. contra Faustum. *Ad Solis gyrum vestra oratio circumvolvitur.* & c. 8. Manich.
*Vestræ vanitati placuit in Sole ponere virtutem Filii, & in luce Sapientiam*: quæ superius allata de Sole illustrant. Sed an cultus ille fuerit symbolicus, an divinus ambigitur. Ipse quidem cum doctissimo Vossio Manichæos haut aliter, quam Gentiles olim Symbolicum transeuntemque in Deum summum cultum innuisse existimaverim. Neque enim unicum tantum alicujus eminentissimæ licet Naturæ partis cultum statuere videntur, qui in toto rerum systemate summum δημιουργὸν sive opificem agnoscentes, illum præcipue venerabantur. Egregium igitur Dei summi emblema, ut sit Sol: Superius tamen Numen aliquod quantumvis ignotum in operibus suis adoraverant. Quam laxus interea fuit Boni Malique Principii cultus, postea dicemus. An vero Adamus ex lapsu suo omnis heic mali fons & scaturigo statui quodammodo possit: An vero Serpens, qui symbolicè Diabolus, alibi examinabimus. Omnes certe unanimiter Theologi Christiani consilium Redemptionis humanæ inde petunt, vel sumunt, ibi etiam, quid revera sit malum disquiremus. Haut enim malum rite dicitur, quod ex justo, occulto licet, Dei judicio in scelerum ultionem editur, quin neque hominis arbitrium, quantumvis in peccata propensum, malum simpliciter dici potest. Pessimæ enim ut consequantur, & inde eveniant actiones, haut principium malum in seipso fuerit, quod ex Dei beneficio in utramque partem accedere potest.

Ab Æthiopibus quoque Sol cultus nomine Assabinus, quem Iovem Æthiopicum dixêre Græci, & Romani, nec incommode, uti censet Vossius, quia Orienti & vicinis Africæ populis, Iupiter non Vranius sive Cælius duntaxat, sed Sol cum Cælo. Huic Cinnamomum sive Cinnamum ex ritu patrio erat sacrum: quod quâ arte fuerit lectum, Sacerdotum solitâ fraude & commentis intervenientibus, videre est apud Theophr. l. 9. c. 5. Plin. l. 12. c. 19. & Solinum c. 31.

In Cyrenaica quoque, sed præcipue in Marmarica, quæ ἱερὰ τοῦ Θεοῦ χώρα, sacra Dei regio vocatur à Diodoro Siculo lib. 17. & Ammonitis

quoque dicitur, Templum Ammonis fuit, in quo Lybicum coluêre Iovem Gentiles, quo sub nomine Solem Occidentem significabant. Ita Macrob. 1 Sat. cap. 21. Hammonem Deum Solem occidentem Lybyes existimabant. Fuit & alterum Hammonis Templum in Meroë Nili Insula, sed celebritate priori inferius. Numen hîc fingebatur cum cornibus Arietinis, quibus, ut inquit idem Macrobius, maxime id Animal valet, ut radiis Sol. Alii ex tortis flexisque Arietinis cornibus dubia & involuta Hammonis responsa innui volunt, quæ, ambigua ut viderentur, certa tamen fuisse credidit Antiquitas. Apud Æthiopes etiam Solis mensa fuit, de quo vide Herodotum in Thalia. Quomodo etiam Æthiopes sacra fecerunt Soli & Memnoni Eoo, cujus statua loquebatur simul ac radius Solaris ejus os pertigerit, videre est in Philostr. de vita Apollonii cap. 3. Pœni quoque & Carthaginienses ex Phœnicum Colonia orti, Solem coluere, ut ex Servii loco supra allato constat, de quibus ita Ennius:

*Ille suis Divis mos sacrificare puellos.*

Atque Piscennius Festus retulit, Carthaginienses Saturno solitos humanas hostias immolare; & cum victi essent ab Agathocle rege Siculorum, iratum sibi deum putavisse. Itaque ut diligentius piaculum solverent, ducentos nobilium filios immolasse. Saturnum autem fuisse Solem supra probavimus. Hoc etiam firmant plurimi alii Authores, ex quibus liquet consuetudinem vere impiam & barbaram, ubique fere terrarum invaluisse; quam tamen in Galliis, & Africa, sustulit Tiberius.

*Lac. l. 1. c. 21.*

*Tertul. in Apolog.*

Atque hæc de nominibus & cultu Solis inter Meridionales & Orientales gentes sufficiant. Non negamus tamen, quosdam inter illos aliter sensisse; si Melæ adhibenda sit fides; qui narrat Atlantes, Africæ populum, Solem execrari, & dum oritur, & dum occidit; ut ipsis agrisque pestiferum. Sed quid non potuit olim sacerdotum, sive superstitio, sive vafrities? Certum est Solem, in Arietem venientem, vapores pestiferos in Africa attollere; sed quos cum in Leonem processerit, absumit; adeo ut post luem diram, ubique inter Afros grassantem, ex qua aliquot millia hominum perierint, cesset omnino, & tum temporis extinguatur pestis.

*Mela l. 1. c. 7.*

Græci & Romani etiam Solem sub diversis nominibus, sed præcipue Apollinis (de quo postea) colebant; quapropter recte quidem Macrobius, dum ait *diversas virtutes Solis nomina Dijs dedisse*; quorum varia etiam in diversis nationibus fuit nomenclatura; ita tamen, ut ad Solem certa & arcana ratione relatæ fuerint appellationes, docente eodem authore. Atque primo sese offert *Phœbi*, à splendore ita dicti, & *Apollinis* nomen, quem Solem esse, monstrat Plato in Cratylo. Ita Cicero:

*Mac. Sat. l 1. c. 17.*

*Cic. l. 3. de N. D.*

ro : Solem Deum esse, Lunamque, quorum alterum Apollinem Græci, alteram Dianam nuncupant. Ita Iulianus Hymno ad Apollinem. Soli Templum in Palatino Romæ Monte posuit Heliogabalus Imperator, qui & ipse quondam in Syria *Solis Sacerdos* fuit. Huc Magnæ Matris typum, & Vestæ ignem, & Palladium, & Ancilia, & omnia Romæ miranda transferri curavit; quin & Iudæorum & Samaritanorum religiones, & Christianorum devotionem illuc transferre conatus est; ut omnium culturarum secretum Heliogabali Sacerdotium teneret: Soli quoque templum in Roma constituit Antoninus Varius. *Lamprid.* Hujus Sacra *Apollinaria* dicta, uti Lunæ *Delia*, quorum ritus aliquot videre est in Proclo in Chrestomathia apud Photium: locus ita vertitur: *Lignum lauris coronant, variisque floribus exornant, cujus in apice ænea sphæra imposita, ex hac minores dependent; medio vero ligno purpureæ Coronæ adaptantur, minores, quam quæ summo fastigio impositæ: Imam vero ligni partem circumvestiunt crocatula. Significat autem ipsis suprema quidem Sphæra Solem, quo Apollinem designant: huic vero subjecta Lunam significat. Globuli vero appensi stellæ, & Astra sunt, Coronæ annuum cursum significant: trecentas enim, & sexaginta conficiunt.* Fuere & in Apollinis honorem ludi quidem solennes instituti, dicti *Apollinares.* De iis Cicero Philipp. *qui ne Apollinares quidem ludos pro sua populique Romani salute apparatos præsens fecit.* Sunt & plura alia, quæ de Solis cultu mystico dici possunt; sed quæ opportunius explicentur, ubi de Apolline in Solem relato postea agetur, quum satis fuerit heic indicasse cultum Solis, quatenus ex Authoribus colligi potest, tum antiquum maxime, tum universalem fuisse; quod & hodierno die inter Indos verum esse comperias.

De Apollinis libris in Capitolio servatis, quos in rebus dubiis consulebant sacerdotes, vel consulere saltem videbantur, vaticinia, futurorumque prædictionem inde captantes, sive ostentantes, non est quod plura subjungam, quum alibi opportunior circa libros antiquorum sacros fiat sermo.

## CAP. V.

### *De nominibus Planetarum ad Solem ductis.*

QVum non valde antiqua circa quosdam Planetas fuerit Gentilium scientia, vel saltem non valde universalis, aliquot Planetarum nomina ad Solem reducta olim fuisse ostendemus; ac primo *Saturnus*, quod in præsens Planetæ nomen *Soli* prorsus competebat, ut ex Servio *Serv. in 1 Æneid.* & Damascio & aliis, supra monstravimus, incomperto tum temporis Pla-

Mac. Sat. l. 1. c. 33. netæ ſegnis motu. Macrobius etiam ex Homero & Cornificio *Iovem*, Solem eſſe declarat. Ita etiam Philo Byblius ex Sanchoniathone apud Euſebium : τοῦτον Θεὸν ἐνόμιζον οὐρανοῦ κύριον, Βεελσάμην καλοῦντες, ὅ ἐστι παρὰ Φοίνιξι, κύριος οὐρανοῦ, Ζεὺς δὲ παρ' Ἕλλησι. *Deum hunc unicum eſſe cœli moderatorem putabant, eum vocantes Beelſamen, quod Phœnicum lingua Dominum Cœli, Græca autem Iovem notat.* Quibus tamen ſub nominibus non Solem in ſe ipſo ita proprie, ac ſummum Deum repræſentantem coluerunt; adeo ut ſymbolicus ſub hiſce nominibus fuerit Solis cultus; licet alias, ut antea diximus, diverſæ Solis virtutes diverſorum ejus nominum in diverſis ſæculis, & locis occaſionem præbuerint.

*Mars* quoque ab antiquioribus Gentium Theologis fuit unum ex *Solis* nominibus, ut Voſſio videtur, ſed præcipue *Mars Sylvanus*, ita à Catone de R. R. c. 83. vocatus. Si modo *Sylvanus* illic à ſylva, ſive materia, ſive ὕλη, quæ fæx omnium Elementorum, id eſt, Ignis ſordidior,
Servius. & Aër; item Aquæ, & terræ ſordidiora, unde cuncta procreantur, ortum ducit. Cui lucem etiam affert Macrobii locus : *Pan ipſe quem*
Serv. in 8 Æn. Mac. l. 1. Sat. c. 22. *vocant Ianum ſub hoc habitu quo cernitur, Solem ſe eſſe prudentioribus permittit intelligi. Hunc Deum Arcades colunt, appellantes* τὸν τῆς ὕλης κύριον, *non Sylvarum Dominum, ſed univerſæ ſubſtantiæ materialis dominatorem ſignificari volentes.* Gloſſa deinde Philoxeni, & Papias, Sylvanum eundem ac Pana faciunt : ſed plura in Voſſio videre eſt, qui durius mea ſententia Martem Sylvanum ad Pana, quam Pana ad Solem trahit. Quid enim Mars Belli Deus cum ſubſtantia materiali rerum omnium ſuſtentatrice commune obtinet? Quapropter potius exiſtimaverim Sylvanum (attributum nempe Martis à Catone datum) ad ipſam Sylvam arboribus conſitam revocandum eſſe; quum ſuſpicio eſſet ubi numen illud non ſatis propitiaretur, ne à lupis Martialibus ibi prædæ inhiantibus dilaniarentur armenta; *Martiales* enim *lupos* vocat Horat. Car. l. 1. Od. 17.

*Nec Martiales hædilia lupos.*

Vnde etiam Marti Sylvano in capita ſingula boum votum fieri, ſuadet eo loco Cato. Martem quippe Deum Belli ipſis etiam in Sylvis immanibus feris imperaſſe putavit vir admodum religionibus deditus; quin & hoc nomine etiam ſacrificia precationeſque Marti offerre, docet idem Cato lib. 41. quarum formulam ibidem videre eſt. Ex quibus tandem colligere licet, haut ſatis à doctiſſimo Voſſio probari Martem unum è Solis nominibus olim fuiſſe.

Mercurium, qui à Cicerone στίλβων, à Marone *Cyllenius Ignis*, ab Apuleio *communis ſtella* vocatur, Solem quoque fuiſſe, cenſet idem Voſſius : ſed neque heic mihi conſtat Cl. viri ſententia. Quæ enim in probationem adferuntur, vel ſtellæ ita dictæ competunt, vel hominibus ſal-

tem,

tem, qui huic stellæ cognomines fuere, ut non negarem tamen symbolica quadam virtute Mercurium, Solem referre posse; magnam certe stellæ hujus virtutem fuisse olim existimaverunt Arcanorum Naturæ Rimatores; uti quæ facilem sese votis hominum permitteret, ad societatem fœdusque non solummodo cum aliis stellis, sed ipso etiam homini propensa; præcipue vero in iis, quæ ad studia & res civiles attinent; pro cujus dimenso alium alio sagaciorem fuisse, etiam credebat Antiquitas. Mercurium hunc nemo ex antiquis Philosophis magis (quod sciam) coluit quam Iulianus Imperator, qui uti Deum summum in Sole, ita in Mercurio tanquam ejus præcipuo, sive stipatore, sive comite, Solis virtutes cum primis edi assterique existimaverat. Ita Ammian. lib. 16. *Iulianus nocte dimidiata semper exurgens, occulte Mercurio semper supplicabat, quem mundi velociorem sensum esse, motum mentium suscitantem, Theologicæ prodidere Doctrinæ. Post quæ ad procudendum ingenium vertebatur, & incredibile quo quantoque ardore, rerum principalium notitiam indagans, & quasi pabula quædam ad sublimiora scandenti conquirens, per omnia Philosophiæ membra prudenter disputando currebat.* Hæc Ammianus, Iuliani miles comesque. Mercurium etiam curam animarum post hanc vitam gessisse, credebatur; sed quia ea quæ mystice de hac stella dicta fuere, cum iis quæ sive historice, sive fabulose de aliis Mercuriis huic stellæ cognominibus, confusa à Veteribus fuere, vix est ut certi aliquid de arcanis eorum circa hanc stellam observationibus, statuere liceat. Magnam quidem huic stellæ potestatem fuisse indjtam, credidere Magi, uti quæ Bono malove facile accederet, vimque ejus conduplicaret; de qua etiam stella lepide quidam dixit: *Quid non facius improbus facere potest, si improbam improbum facit stella stellam?* Sed hæc obiter; satis fuerit igitur heic adnotasse, Saturnum & Iovem ad Solem, & dein ad totam rerum Naturam reduci posse; non ita Martem, & Mercurium, nisi validiora, quàm hactenus videre contigit, adducantur argumenta. Atque hæc de nominibus cultuque *Solis* apud Veteres dicta in præsens sunto: quæ enim nomina ejus communia cum hominibus in Deos relatis, postea explicabimus.

## CAP. VI.

### *De cultu Lunæ, variisque ejus nominibus.*

LVna post Solem proxime colebatur, uti quæ non minus humido principio generationis, quam Sol calido præesset, & quæ alternis vicibus mundum hunc regere credebatur. Quæ etiam à Plinio *Terræ familia-*

Plin. c. 9. Hist. Nat.

*miliarissimum Sydus, & in tenebrarum remedium à Natura repertum*, vocatur; quam etiam efficacissimam statuere licebit, quum ob vicinitatem plus, quam aliud quodvis Astrum, tum in Terram, tum in Aquas agere videatur; non opus est ut plura de hujus Planetæ magnitudine, distantia, motu, phasi dicamus; quum hæc alibi videre liceat. Adnotabimus solummodo inter doctiores Philosophos non minus Terram quam Planetam, habitam fuisse; ita Orpheus:

> Μήσατο δ' ἄλλην γαῖαν ἀπείρεστον, ἥν δε σελήνην·
> Ἀθάνατοι κλήζουσιν, ἐπιχθόνιοι δὲ Μήνην,
> Ἣ πολλ' οὔρε' ἔχει, πολλ' ἄστεα, πολλὰ μέλαθρα.
> *Molitus est aliam Terram infinitam, quam Selenen*
> *Immortales vocant, homines vero Meenen,*
> *Quæ multos montes habet, multas urbes, multas domus.*

Plut. de fac. in Luna.

Quam sententiam secuti sunt Thales, Pythagoras, Anaxagoras, Heraclides, & Ocellus, etjamque Heraclitus. Certe scabram, sive inæqualem esse ejus superficiem, satis constat omnibus, qui etiam sine Telescopio illam intuentur: quod eo consilio à summo rerum Authore factum, ut majus undequaque in inferiorem orbem lumen diffunderet. Si enim læve prorsus, & planum esset Lunæ corpus, non nisi uno aliquo ex puncto sive parte Solares radios reflecteret; (quod in speculo plano parieti appenso, ubi Sol luceret, demonstravit acutissimus *Galilæus*) si rotunda porro esset omnino, non ita amplum projiceret lumen, quum specula plana Solem nobis multo minorem quam speculorum alia, ostendant. Aspera igitur, tum inæqualis superficie sua facta fuit sapientissimo consilio *Luna* & *Tellus*: ut majus lumen diffunderent, mutuasque vices rependerent. Quemadmodum enim Luna Terram, ita Terra Lunam absente Sole illustrat. Quantum in mare & humida omnia possit hoc Sydus; quid etiam in ipsum cerebrum, animæ arcem, possit, notum satis est omnibus; adeo ut mente capti σεληνιακοὶ & *Lunatici* dicantur, quorum mentio facta Matth. 4, 24. Ille etiam qui Mat. 17, 14. *Lunaticus* dicitur, Luc. 9, 39. *Dæmoniacus* vocatur: & Marc. 9, 17, 25. *mutus & surdus*.

Veluti porro Sol olim in Oriente (unde omnis manavit Religiosus cultus) vocatus Bal, sive *Molech*, id est, Dominus, sive Rex: ita *Luna Baaltis*, sive Regina Cæli. Poëtis, & præsertim Æschilo, & Euripidi, Iovis filia fuit. Inter Orientales & Afros etiam Οὐρανία, sive cælestis vocata fuit, Lunâ, ex vernaculis eorum linguis, ita Græcis, & Romanis, redditâ. Itaque & nomen *Cælestis Deæ* legas in veteri Nummo Iuliæ Symiamiræ; quæ mater erat Heliogabali, natione Syra. Primi omnium hanc sub nomine *Veneris Cælestis* venerati sunt Assyrii, ut di-

sertim

ſertim teſtatur Pauſanias in Atticis, ubi ab his Phœnices & Græcos cultum hunc accepiſſe tradit idem Author. Venerem autem Cæleſtem ſive Οὐρανίαν, inter illos, *Lunam* eſſe, pluribus probat doctiſſimus Voſſius: quem conſulas. Fuit & *Aſtarte* nomen *Lunæ*, inter Aſſyrios; cujus ſimulachrum, quemadmodum etiam Iſidis, muliebre fuit, bubulis præditum cornibus; unde *Cornua Lunæ* innuebantur. Hebræis Aſtarte fuit *Aſtaroth* 4 Reg. 23, 13. ubi Salomon ædem dicitur ædificaſſe *Aſtaroth*, Sidoniorum Idolo. LXX habent heic Ἀστάρτη. Hujus figura, vel tota piſcis, vel partim hominis, partim piſcis fuit: ſi Baaltis Luna etiam Dione eſt, ut ex Sanchoniathone legere eſt in Philone Biblio. Baaltis etiam in verbum Beltis contrahitur, quod Dominum ſignificat, quomodo & Reginam Cæli ex B. Hieronymi interpretatione appellat Propheta Ierem. cap. 7, 16; & cap. 44, 17, 18, 19, 25. Fuit & quædam Venus Syria, *Aſtarte* vocata, quam Adonidi nupſiſſe, tradit Cicero, quam *Salambonem* etiam in Ælio Lamprid. in voce Heliogabali vocari veriſimile eſt. Σαλαΐζειν enim Anacreonti eſt *lamentari*: de planctu autem in Adoniis ſacris ſatis conſtat. *Aſtarten* tamen hanc non facile *Lunam* dixerim, ſed mulierem aliquam cognominem, quam *Quartam Venerem* vocat Cicero, loco ſupra allato; ut heic igitur à doctiſſ. Voſſio diſſentiam. *Dea Syria*, ſive *Iuno Aſſyria*, quæ Hieropoli erat, ad *Lunam* quoque referri poteſt, uti & *Atergatis* ſive *Derceto* φυσικῶς conſiderata; de quibus fuſius ubi de Terræ cultu ſermo erit. Vtraque enim Dea, ſi non ubique, plerumque tamen uno nomine, & Lunæ & Terræ numen complectebatur. Inter Babylonios & Aſſyrios quoque *Mylitta* (quam Deam eſſe Herod. lib. 1. prodit) Cl. Voſſio Venus *Vrania*, & deinde *Luna* videtur. Sed Deam illam non Venerem Vraniam, aſt aliam Venerem fuiſſe, quæ *Aphrodite* dicta fuit, in eodem Herod. videre eſt. Quatuor enim Veneres cenſet Cicero lib. 3. de N. D. quarum hæc ex ſpuma maris orta, atque inde *Aphrodite* dicta, ex Mercurio Cupidinem ſecundum natum habuit, quæ (ut mea fert opinio) non Luna, ſed laſciva potius fœmina in Deos à Graijs relata, ſicut etiam inter Romanos Flora olim fuit. Impudicitiam ſatis probant ſacra ejus ibidem & in Val. Max. lib. 2, c. 6. tradita, ut ideo non cæleſte, ſed animale numen prorſus ſit Mylitta, cujus Templum Succoth Benoth vocatum, id eſt, Tabernaculum filiarum, ubi Virgines ſuos operiebantur amatores; Babylonii coloni Iſraëlitis è Samaria eductis ædificarunt, ut legere eſt 4 Reg. 17, 30. Vbi à Venere Benoth, ſive à Benoth Venus, (quod doctiſſimo Ioanni Seldeno placuit) deducitur. At neque Nebo indubium Lunæ eſt nomen, ſed unum ex diverſis Solis nominibus, ſi B. Hieron. credendum eſt, qui Nebo idem numen, ac Cha-

*Sanchoniathon in Euſ. l. 1. de Præp. Euang.*

*Herod. Euterp.*

*Cic. 3. de N. D.*

*Seld. Syntag. de Diis Syris.*

mos, & Belphegor putat, de quibus antea diximus. Hoc certum est, Solem & Lunam Assyriorum & Babyloniorum duo summa numina fuisse, sub aliis licet nominibus culta; inter quæ nullum certe *Venere Vrania* clarius, cujus antiquissimum (ut Herod. id vocat) templum Scythæ depeculati sunt. Sed incertum quoque est Anitis sive Anaitidos Lunæ nomen, tametsi enim Plut. in Artaxerxe & Paus. in Lacon. huic opinioni faveant, Strabo tamen extremo lib. 11. ait legem esse apud Americanos, uti etiam Persas & Medos, ut Virgines longo tempore apud Deam Anaitidem constupratæ, deinde nuptiis dentur, nemine talis mulieris conjugium dedignante; quod obscœnum sacerdotum, sive sacerdotissarum, inventum apud alios obtinuisse, narrat Herodotus: deformioribus interea ita infœliciter huic cultui sese mancipantibus, ut per biennium, vel triennium integræ intactæque starent. Agathias plurima affert testimonia, *Anantidem* esse *Aphroditem*, quam diversam à Venere Vrania esse existimamus, licet Cl. Vossio *Venerem Vraniam* Lunæ Sydus mystice significare, lubenter concesserim. Anaitidos cultum tum Persis, & Babyloniis, tum Medis, Parthis, & Armeniis placuisse, author nobis, inter alios, est Strabo lib. 12. qui in Zelitica, regione Armeniæ sic dicta ab urbe Zela, reges imperasse ait, non quasi in urbe, sed Persicorum Deorum templo: adeo ut Rex idem & Sacerdos esset; à quo igitur Virgines Veneri sacras, in manus virorum traditas fuisse, verisimile est; cujus consimilem inter Peruanos legem videre est in Garcilasso de Vega, Historia *de las Incas*. De Sacris, quæ in honorem Anaitidos instituta fuere, eorumque cum Saturnalibus convenientia, lege Vossium de origine & progressu Idololatriæ lib. 2, cap 22. Arabes quoque, in Orientalium imitationem, Lunam coluere; neque enim diversa valde in Oriente, sub diversis licet nominibus, religio fuit; Solem, Lunam, & Astra reliqua nempe unanimiter venerabantur. An vero Luna sub nomine *Alilat* ab Arabibus culta fuit, quemadmodum Cl. Vossius censet, dubitari potest. Venus enim *Vrania*, quæ ab illo ad Lunam reducitur, mihi heic matutina, vel vespertina stella videtur: quam sententiam ex loco ab eodem Vossio adducto firmaverim. Herod. de Persis ait: Θύουσι δὲ ἡλίῳ τε καὶ σελήνῃ, καὶ γῇ, καὶ πυρὶ, καὶ ὕδατι, καὶ ἀνέμοισι· τούτοισι μὲν μούνοισι θύουσι ἀρχῆθεν: ἐπιμεμαθήκασι δὲ καὶ Οὐρανίῃ θύειν παρά τε Ἀσσυρίων μαθόντες, καὶ Ἀραβίων. καλέουσι δ' Ἀσσύριοι τὴν Ἀφροδίτην Μύλιττα, Ἀράβιοι δὲ Ἀλίττα, Πέρσαι δὲ Μίθραν. *Sacra faciunt Soli & Lunæ, & Terræ & Igni, & Aquæ, & Ventis, hisque sacra faciunt jam ab initio: postea didicerunt sacrificare etiam Vraniæ, & ab Assyriis edocti, & Arabibus: vocant autem Assyrii, Venerem, Mylittam, Arabes Alittam, Persæ Mithram.* Quid heic manifestius, quam quod Σελήνη Lu-

Lunam, Mylitta Assyriorum, & Alitta Arabum *Vraniam*, nempe *Venerem*, significant? diversa igitur Veneris & Lunæ fuerunt illis numina: neque obstat quod Vraniam soli Lunæ competere velit Vossius. Vrania enim Stellæ Veneris æque competit ac Lunæ; sed putavit fortasse vir Eruditus ἄρχουθεν Philosophorum sive Venerem non ita innotuisse, ut in cultum adsciscerετur: sed quid clarius Solis antesignano? quapropter, pace tanti Viri, existimaverim Lunam quidem ab Arabibus cultam fuisse, sed non ubique sub hoc nomine; quum Vrania etiam Stellæ Veneris competat; vel forsan etiam Fortunæ: cui conjecturæ lucem affert locus in Philastrio: *Alia hæresis in Iudæa, quæ reginam, quam & Fortunam cæli nuncupant, quam & Cælestem vocant in Africa.* De cujus cultu suo loco. Quod de *Ciun*, Arabico quoque numine, postea affert idem Vossius, mihi Hespero æque ac Lunæ convenire videtur. Ab Ægyptiis quoque Luna culta fuit. Huic *Isis* inter illos nomen, ut testatur Diod. Siculus, & Plutarchus: quod ut verum esse fatear, ex Iside tamen humidum illud, quod principium est generationis, intelligere nonnunquam licet. Hujus statua fingebatur cornuta (quod Lunæ cornuum symbolum) ex palmarum foliis habens calceamenta; quem in modum etiam à Græcis describitur: Victimæ ei vitulæ erant consecratæ; neque enim vaccam illi mactare licebat. Huic imprimis Apis sacratus fuit, qui Græcis *Epaphus*. Ita Amm. Marcell. lib. 22. *Inter animalia antiquis observationibus consecrata Mnevis & Apis sunt notissima: Mnevis Soli sacrata est, Apis Lunæ*, &c. *Apis autem, non Bos quicumque, sed qui 29 notas particulares haberet.* Hunc ex fulgure vel Lunæ splendore conceptum tradunt; immò & oracula edere solitum; mortuum vocant Serapin: an vero inde Hebræorum *Seraphim*, aliis discutiendum relinquit Gesnerus. *Gesner. de Anim.* Eusebius etiam ex Diodoro inquit: Isim Latinè *Priscam* dicere possumus, Lunæ hoc nomine indito, quasi sempiterna priscaque sit, cui 4 Cornua pingunt: Sacra ejus Bacchicis non absimilia; uti nec absimilis ex fronte saltem figura fuit. Ideo Naso:

*Accedant capiti cornua, Bacchus eris.*

Bacchum enim cornutum fingi, docet Diod. Sic. Hisce de sacris Apulejus ait: Sicuti in Bacchi Sacris Sacerdotes phanatici per plateas & oppida cymbalis & crotalis personantes obstrepebant: ita similiter in Isidis sive Syriæ Deæ festis, brachia dissecantes, vel morsibus suos musculos incursantes, stipes æreas argenteasque multis certatim afferentibus, sinu recipiebant patulo. Apud Cithorenses etiam Isis in cultu fuit, ut tradit Pausanias; cujus in honorem binæ quotannis celebrabantur nundinæ. Verisimile etiam est vitulum aureum aliquandiu inter Israëlitas cultum fuisse; in imitationem hujus Ægyptiorum cultus

tus conflatum. Cum enim peterent Iſraëlitæ, ut Aaron faceret illis Deos, qui eos præcederent, quia neſcirent quid Moſi acciderit, qui illos è terrâ Ægypti eduxit, reſpondit Aaron, *quis veſtrûm habet aurum?* quod ubi oblatum eſſet, projecit in ignem, & progreſſum inde vitulum dixit. De hodierno cultu Bovis in diverſis Indiæ Orientalis regionibus non opus eſt ut plura hic ſubjungamus; quum commodior, ubi de illorum religione ſermo erit, cultum hunc tractandi occaſio proſtet. Inter Afros quoque culta fuit Luna. Ita Herod. θύουσι δὲ ἡλίῳ καὶ σελήνῃ, μούνοισι τούτοισι μὲν πάντες Λίβυες θύουσι. Soli & Lunæ ſolummodo ſacrificant, & quidem Afri univerſi. A Græcis quoque culta fuit Luna, cui nomen inter illos Ἄρτεμις, cujus mentionem facit ſcriptor Act. Apoſt. cap. 19. Μεγάλη ἡ Ἄρτεμις Ἐφεσίων. A Romanis quoque culta fuit Luna ſub nomine Dianæ, quod à Dea vel Divâ Iana κατὰ συγκοπὴν conflatum videtur. Uti enim Ianus Sol, ita Luna Iana Cl. Voſſio eſt; ſed neque Ianus idem ſemper Sol, neque Diana, Luna fuit. Ianus enim quidam in Italiâ prior Saturno regnavit, agriculturamque docuit, unde in Deos poſtea relatus, & divini honores illi decreti. Dianam etiam aliam ab Luna extitiſſe, docent verba Dionyſ. Hal. Τάτιος ἡλίῳ τε καὶ σελήνῃ καὶ Κρόνῳ καὶ Ῥέᾳ, πρὸς τε τούτοις Ἑστίᾳ καὶ Ἡφαίστῳ, καὶ Ἀρτέμιδι καὶ Ἐνυαλίῳ καὶ ἄλλοις θεοῖς, ὧν χαλεπὸν ἐξειπεῖν Ἑλλάδι γλώττῃ τὰ ὀνόματα, ἐν ἁπάσαις τε ταῖς Κουρίαις Ἥρᾳ τραπέζας Κυριτίᾳ λεγομένῃ, αἳ καὶ εἰς τόδε χρόνου κεῖνται. *Tatius vero Soli & Lunæ & Saturno & Rheæ, præterea Veſtæ & Vulcano, & Dianæ & Quirino & aliis Diis, quos nominare Græcis non eſt facile, in omnibus etiam Curiis menſas Iunoni Quiritiæ poſuit; quæ ibi ſitæ ſunt noſtro quoque tempore.* Ex quibus patet aliam à Luna fuiſſe quondam deam Dianam, aliam à Diana Iunonem, quarum utramque Lunam ſignificare, contendit Clariſſimus Voſſius: verum enim verò, ex Symbolicâ quâdam virtute, utræque Deæ ſatis Lunæ quadrare poſſint. Diſtinctas tamen ab initio fuiſſe cenſeo, uti quæ dii animales fuerint, in Deos, vel aſtra relati; facile tamen concedo Dianam in Lunâ, Lunam in Dianâ cultam olim fuiſſe, non ita ubique ſaltem Iunonem, licet veriſimiles tantum, ad ſententiam ſuam adſtruendam, adducat rationes Cl. Voſſius. Ad Lunam etiam *Ilythiiam* pertinere, vult idem Cl. Voſſius: ſed multas fuiſſe *Ilythias*, teſtatur Homerus Il. Π. quas μογοστόκους, id eſt, circa partum laborantes, vocat: quapropter Iunonem quidem, Lucinam, quæ partubus præficiebatur, non ita Dianam ſignificari, ex Ilythiiâ exiſtimaverim: ita tamen ut non negaverim, quin ex multiplici ejus interpretatione, Dianæ ipſi quodammodo conveniat. Equidem confuſa eſt admodum Deorum antiquorum nomenclatura; dum enim Stellæ & homines cognomines plerique fuere, dum etiam de iis ſermonem habebant Hiſtorici, Poëtæ,

Philo-

Philoſophi; unuſquiſque in ſuum trahebant ſenſum (quantum fieri potuit) diverſa in diverſis regionibus vocabula: quapropter etiam evenit, ut quæ illi genuino, alii myſtico, vel Symbolico ſenſu tradiderint ſcripta poſteris, dum inter hæc Poëtæ licentiâ quadam vagâ uſi, omnia temeraverint; unde non ita facilis in apertam veritatis diſquiſitionem datur hiſce ſæculis noſtris aditus. Ceres quoque Lunæ nomen fuit: hoc nobis teſtatur Servius, in Virg. 1 Georg.

*----- Vos ô clariſſima Mundi*
*Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum,*
*Liber & alma Ceres. -----*

*Stoici dicunt non eſſe niſi unum Deum, & unam, & eandem eſſe poteſtatem, quæ pro ratione officiorum noſtrorum variis nominibus appellatur; unde eundem Solem, eundem Liberum, eundem Apollinem vocant: Item Lunam eandem Dianam, eandem Cererem, eandem Iunonem, eandem Proſerpinam, dicunt.* Sed hic Iunonem ſaltem Lunæ nomen eſſe, docet Servius; cui etiam concinit Apulejus, qui eandem facit Dianam, Iunonem, Venerem & Bellonam; *Apul. 11 Met.* eſto, ſed impropriè: quum diverſa inter ſe nomina à veteribus habita fuiſſe, tum Genealogica, tum hiſtorica, tum ornatus, tum ætates, tum veſtitus, tum imagines, tum Templa, tum Sacra eorum diverſa teſtentur: quod pluribus oſtendere non eſt opus. Quantumvis igitur in aliquibus convenirent Deæ illæ, ita ut viribus ſuis contra mala quædam, humanum genus infeſtantia æquipollentes eſſe crederentur, adeo diverſos tamen eorum cultus, &c. fuiſſe, tota affirmat Antiquitas, ut haud viderim, quomodo ad Lunam ſatis reduci queant. Quod minus mirum videbitur, ſi mixtæ virtutis plurima olim fuiſſe veterum numina reputes: ita ut Iſis aliquando Lunam, aliquando paſſivam rerum naturam ſignificet; *Rhea* & *Ops*, nunc Dianam, nunc Tellurem indicet: atque eundem in modum plurima alia numina, quorum hoc in opere mentio facta. De Rheâ ſive Ope, quæ Deûm mater vocata eſt, ita Ovid. lib. 1 de Ponto, eleg. 2.

*Ante Deûm Matrem cornu tibicen adunco*
*Cum canit, exiguæ quis ſtipis æra neget?*
*Scimus ab imperio fieri nil tale Dianæ;*
*Vnde tamen vivat, vaticinator habet.*

*Suada* quoque Dianæ nomen, ſive attributum fuit, ut videre eſt in Pauſaniâ. Venus etiam aliquando *Lunæ* nomen fuit, ſed ob Symbolicam aliquam virtutem; *Pauſ. in Corinth.* quomodo etiam & *Iuno* vocata fuit; quum tamen Venerem, (ſcil. quatenus animale numen eſſet) pellicibus favere crederetur? Iunonem illis infeſtam eſſe, ita lex Numæ: *Pellex ædem Iunonis ne tangito; ſi tanget, agnam fœminam, crinibus dimiſſis cædito.* Sed & recentius

centius inter Romanos Veneris nomen fuisse, ait Macrobius l. 1. Saturn. c. 12. Cinceo etiam Varro consentit, affirmans nomen Veneris, ne sub regibus quidem apud Romanos, vel Latinum, vel Græcum fuisse, quod conjecturam Cla. Seldeni firmat, ut Venus à *Benet* Hebraico deduceretur; nobilis illius pellicis historia una cum propudiosis ejus sacris, ex Oriente arcessita: sed neque ulli fuere Dii Animales Græcorum inter priscos Romanos; neque fabulæ eorum (de commerciis immortalium cum mortalibus) admissæ temporibus Romuli & Numæ, ut legere est in Dyon. Hal. l. 2. Proserpina quoque sive Περσεφόνη μυστικῶς Lunam significat, sed tum proprie, cum sub nostro est Hemisphærio. De ea μυστικῶς Orpheus in hymnis, sive Onomacriticus in initiis, ubi hanc Deam compellans, ait:

Ὡρῶν συμπλέκτειρα, φαόσφορε, ἀγλαόμορφε.

Εὐφεγγὲς, κερόεσσα. ------ *Temporum contectrix, lucifera, excellens forma, bene lucens, cornuta*: At tum alibi invocatur

Πλούτωνος πολύτιμε δάμαρ. ------- *Plutonis veneranda uxor, inclyta vitæ datrix*: sed hoc quidem ἱστορικῶς, vel μυθικῶς intelligendum. Plutonis enim uxorem fuisse, testantur Authores; adeo ut desultoriè ab his ad illos plerumque transeant, dum hominem in Astro, Astrum, in homine colebant. Persephone autem & Ceres inter illos manium præstites erant, id est, animarum, ubi corporibus excesserint. Proserpinam etiam vocatam fuisse Μελιτώδη, tum Theocritus, tum Porphyrius testatur. Quum enim Animæ plerisque Gentium Theologis μέλισσαι, sive Apes appellarentur, ob vitæ dulcedinem, qua corporibus exutæ fruuntur. De hoc videatur Porphyrius l. de Nym. antro. ubi inter alia ait: Lunam generationis reginam, Apis nomenclaturam apud priscos habuisse; Apes à bubus procreatas βουγενεῖς cognominatas; quod nomen etiam animis ad generationem pergentibus attribuitur: cæterum non simpliciter omnes animas ad generationem prodeuntes nominabant Apes, sed duntaxat illas, quæ vitam hic acturæ erant justam, iterumque reversuræ, postquam fecissent, quæ diis grata essent: etenim Apicula animal est ad pristinum locum reverti solitum, justitiæ studiosum, & sobrietatis; unde *sobria sacrificia* cum melle peraguntur. Hæc Porphyrius. Luna etiam, quum apud Inferos illuminat, *Libera* est, ut Sol, quando inferis lucet, *Liber* vocatur. vide Liv. l. 3. Tacit 2. Annal. Macrob. Sat. c. 14. Tandem Hecate quoque Luna est, proprie Τριώδις, sive *Trivia* dicta. Ita Varro l. 6 de L. L. Diana est ab eo dicta Trivia, quod in Trivio ponatur foro, in oppidis Græcis. Scholiastes quoque Aristophanis ait: *Hecaten antiquitus coluêre in triviis, propterea quod eandem & Lunam, & Dianam, & Hecatem vocarent.* Hujus in honorem cœna

na in triviis posita, quam mox abriperent pauperes. Sacra ejusmodi sine ululatibus, veluti alia; nec sine hymnis & cantibus facta; quem in finem Matronæ electæ fuerunt, ut à Servio proditum est, in locum 4. Æneid.

*Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes.*

Quemadmodum Hecate fuit triplici facie, ita canis ejus Cerberus, triceps. Tib. l. 3: *Cui tres sunt linguæ, tergeminumque caput.*

Dextrum sc. equi, medium hominis agrestis, sinistrum canis. Hesiodus tamen illi tribuit capita 50. ab Horat. 2. Ode vocatur *Bellua centiceps*. Atque hæc de diversis *Solis* & *Lunæ* appellationibus inter Gentiles dicta sunto. Ex quibus videre est nomenclaturam illam ingentem partim ex variis duorum luminarium majorum virtutibus, quas præ Astris reliquis exerant, partim etiam ab hominibus in Sydera relatis, ortam esse: dum Astra in hominibus, homines in Astris colebantur. Adeo ut omnes quotquot Heróum, vel Heroinarum olim fuerunt, quibus sive ex meritis propriis; sive ex populi adulatione cælum astrumque aliquod particulare obtingere crederentur, tot nominibus novis Soli & Lunæ, tum Astris reliquis cudendis ansam præbuerint; sed Soli & Lunæ præcipue, de quibus Diod. Sic. l. 1. Τὰς ἀνθρώπυς τὸ παλαιὸν γενομένυς ἀναβλέψαντας εἰς τ̑ κόσμον, καὶ τὴν τῶν ὅλων φύσιν καταπλαγέντας, καὶ θαυμάσαντας ὑπολαβεῖν εἶναι θεὺς ἀϊδίυς τε καὶ πρώτυς, τ̑ τε ἥλιον καὶ σελήνην, ὧν τ̑ μὲν Οσιριν, τὴν δ̓ Ἶσιν ὀνομάσαι. Homines antiquissimos mundum supra se contemplantes, nec absque stupore admirantes, Universi naturam existimasse Deos esse æternos, & primos Solem & Lunam, quorum illum Osirin, hanc Isin appellari, &c.

*Orph. in Argon.*

## CAPVT VII.

### *De cultu quinque Planetarum.*

NOn Sol & Luna tantum, sed stellæ reliquæ in honore & cultu fuere olim, & quidem aliæ præ aliis. Stellas in genere cultas fuisse, docet Plato in Cratylo; ibidem etiam antiquissimam & maxime universalem religionem commonstrans, ait: Φαίνονται μοὶ οἱ νῦν πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων περὶ τὴν Ἑλλάδα τύτυς μόνυς θεὺς ἡγεῖσθαι, ὥσπερ νῦν πολλοὶ τῶν βαρβάρων ἥλιον καὶ σελήνην, καὶ γῆν καὶ Ἄστρα, καὶ ὐρανὸν: id est: *Qui Græciam primi incoluere, ii videntur mihi illos solum Deos existimasse, quos nunc etiam Barbari multi pro Diis habent, Solem, Lunam, Terram, Astra, Cælum.* Idem in Timæo, & Legibus dicit, & Mundum Deum esse, & Cælum, & Astra, & Terram & Animas, &c. Xenocrates quoque Plane-

*Cic. l. 1. de N. D.*

*Cic. l. 1. de N. D.* *Posidon. apud Stobaeum.* *Cic. l. 2. de N. D.* *Zeno apud Stobaeum.*

Planetas, Stellas Cælo infixas, Solem, & Lunam, Deos statuit: Cleanthes, Mundum & Astra: quam opinionem sanxerunt plurimi Philosophi egregii (ut videre est in priscis Authoribus) tum præsertim Stoici, qui Stellam esse corpus Divinum ex æthere compositum, ajebant; ubi ex æthere Iupiter intelligendus. Ita enim Ennius: *Aspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Iovem.* Partes enim Iovis Sydera habita fuisse à Stoicis olim, docet S. Augustinus lib. 1 de Civ. Dei. Ideo non solummodo vitam, sed intelligentiam & sapientiam illis tribuebant: *mentes* etiam *Purissimæ* vocantur à Philone, & ἀγάλματα θεῖα, καὶ περικαλλίστατα, *Imagines divinæ & pulcherrimæ.* Aristoteles quiddam amplius innuit, *Sydera æthereum locum obtinent, qui quoniam tenuissimus est, & semper agitatur, & semper viget, necesse est quod Animal in eo gignatur, idem quoque sensu acerrimo, & mobilitate celerrimâ esse.* Absurdum enim putavit, in eâ parte, quæ sit ad gignenda animalia aptissima, animal gigni nullum: quam sententiam hodierno die Philosophi plurimi tuentur. Et sane *vivere astra*, probatissimi Authores Christiani censent; & cum primis B. Thomas Aquinas, & alii, quorum catalogum in Vossio lib. 2 de Idol. videre est: licet nonnulli ibidem adducti, contrariam huic opinionem amplectantur. Verumenimvero si vivunt, coli posse aliquo cultu sacro & religioso, qualis hominibus sanctis convenit, doctissimus Iesuita in dissertatione suâ de Cælo 4. putat: Majorem quippe honorem, & cultum Supera, quam infera, æterna quam caduca, mereri videntur, tum præsertim inter illos, qui post hanc vitam transactam, fælicitatem sempiternam in Cælo & Astris dari statuebant. Turpe & indecorum enim existimaverant, non advenerari ea, unde ortum ducere, & in quæ redire animas suas (Deo summo ita volente) crederent antiquitùs Philosophi Sacerdotesque Gentiles. Post Solem & Lunam igitur, quinque *erraticæ* in honorem & cultum adscitæ olim erant Stellæ; cujus præcipuam fere (saltem inter doctiores) causam videre est in Tullio lib. 2 de Nat. Deor. Maxime vero admirabiles sunt motus earum quinque Stellarum, quæ falsò vocantur *Errantes.* Nihil enim errat, quod in omni æternitate conservat progressus & regressus, reliquosque motus constantes & ratos. Quod eo esset admirabilius in his Stellis, quas dicimus, quia tum occultantur, tum rursus aperiuntur, tum abeunt, tum recedunt, tum antecedunt, tum subsequuntur, tum celerius moventur, tum tardius; tum omnino non moventur quidem, sed ad quoddam tempus insistunt; quarum ex disparibus motionibus magnum Annum Mathematicum nominaverunt, qui tum efficitur, cum Solis & Lunæ, & quinque *errantium* ad eandem inter se comparationem, confectis omnium spatiis, est facta conversio. Hæc Cicero. Inter *erraticas* autem primo culta fuit, post Solem & Lunam, splendidissi-

*Philo l. de Som.* *Cic. de N. D. l. 2.*

ma

Stella *matutina* & *vespertina*; uti quæ inter quinque Solis lictores, vel ῥαβδοφόρους, (ita enim vocabantur) maxime esset *Spectabilis*. de hac Homerus: Ἕσπερος ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ.

*Hesperus æthereo longe pulcherrimus orbe.*

Huic nomen etiam inter Græcos Φωσφόρος, inter Romanos *Lucifer* fuit; quod attributum quoque Lunæ datum, ut pote quæ lucem eximiam nocte afferret. Tandem etiam & *Venus* vocabatur, ab illa sc. quæ ex *Cælo* & Die nata, cujus in Elide delubrum est; ut refertur in Cic. l. 3 de Nat. Deor. neque enim vel Venus *Aphrodite*, hoc est ex spumâ maris orta, ex quâ & Mercurio *Cupido* secundus natus fuit, vel illa quæ ex Iove procreata & Dione, quæ nupsit Vulcano, ex qua etiam & Marte natus *Anteros* dicitur; vel illa Syriâ Tyroque concepta, quæ *Astarte* dicitur, quam Adonidi nupsisse traditum est: (Cujus etiam in monte Libano effigies fuit, ut testatur Macrobius; capite obnupto, specie tristi faciem manu lævâ inter amictum sustinens, quasi lachrymans) Veneri Cælesti, vel Vraniæ competere videtur: Quid enim aptius fingi inter mysticos naturæ Interpretes potuit, quam ut à Cælo & Die originem duceret, quæ diem nunc antegreditur, nunc subsequitur: reliqua enim Veneris nomina nihil fere cum Phosphoro nostro symbolicum obtinere videntur; tametsi fatendum sit, *Aphrodites* nomen ad Stellam hanc designandam, non raro inter Veteres usurpari: fuit & Venus quædam *Lubentina*, de qua Cic. l. 2 de Nat. Deor. mentionem facit: fuit Venus quædam Libentina, de quâ Plutarchus in Causs. illam etiam Epitymbiam vocans, cujus Delphis est imaguncula; ad quam dum libant (ut inquit idem Author) manes defunctorum evocant, si modo credere fas est. Venus enim uti generationi hominum, ita & morti præesse credebatur: neque alia est Venus illa, ut opinor, quam quæ à Pausaniâ inter Parcas adnumeratur, cui Athenienses Simulachrum, ut Herniæ quadratum dicaverunt. Hujus Veneris sive Parcæ filia Venus Cælestis, sive *Vrania* dicebatur, quæ Platonicis μυστικῶς *Amorem divinum* significat: fuit & Venus *Victrix*, & Venus *Barbata*, & Venus *Calva*: de quibus plura inter Veteres reperias. Veneris Templa memorantur à Dionys. Halicarnass. & aliis in Thraciâ, in Zacintho, Papho, Româ, apud Leucadios & Actienses; quin & ærarii Veneris Libitinæ meminit idem Dion. de quo postea ubi de Iunone Lucinâ; de obscœno ritu cultus Veneris, quæ Mylitta vocatur, superius quædam diximus; Firmicus *de err. prof. rel.* alia adjicit, adeo spurca, tum præsertim inter Assyrios, ut pudeat verba ejus adducere: nec fugit Hebræos Luciferum Veneri fuisse sacratum, ut in Ies. 14, 12. docet *Targum*, & pluribus commonstrat doctiss. Vossius. Etiam temporibus antiquis Venerem coluere Ismaëlitæ; eum autem cultum accepere ab iis *Cartarius.*

 Sarace-

Saraceni, ut tradit Euthymius Zigabenus in Panoplia; quem tenuêre etiam usque ad Cæsaris Heraclii tempora; Stellam illam eorum linguâ *Chabar*, sive *magnam* vocantes; & non abludunt Mahumedani Stellam Veneris appellantes *Cubar*, quod ab Hebræo verbo *Cabir*, id est, magnus, fortis, deduci credit Vossius. Precationem Saracenorum subdit hic Vossius ex Cedreno in Chron. Ἄλλα Ἄλλα οὐα Κούβαρ. Vbi Ἄλλα Ἄλλα exponit *Deus, Deus, οὐα μείζων, oua major.* Κούβαρ ἡ μεγάλη (ἤτουν ἡ σελήνη καὶ Ἀφροδίτη, Cubar magna (puta Luna & Venus) ubi Cl. Seldenum sequens Vossius, ait, Cedrenum deceptum fuisse de οὐα, quum sit copula, ut Hebræis ו, quarum sensus secundum illos est, *Deus Deus, & magna illa Deus.* Sed præivit utrumque heic Euthymius, rectioremque, puto, adduxit interpretationem; ita enim ait: Ἄλλα Ἄλλα οὐα Κούβαρ. καὶ τὸ μὲν Ἄλλα Ἄλλα ἑρμηνεύει ὁ Θεὸς Θεὸς, τὸ δὲ οὐα μείζων, τὸ δὲ Κούβαρ μεγάλη, ἤτοι σελήνη, καὶ Ἀφροδίτη, ὥσπερ ἐστιν οὗτος ὁ Θεὸς Θεὸς μείζων, καὶ ἡ μεγάλη (ἤτουν ἡ σελήνη καὶ Ἀφροδίτη) θεά. quod sic redditur ab Euthymio, ut significet; *Deus Deus major, & magna illa (Luna nempe Venusque) Dea; ubi verbum μείζων sc. major*; quod ab illis omittitur, ab Euthymio inseritur; sensusque totius precationis clarior fit; ita enim sonat, ut licet Stella Cubar tanquam magna invocetur, majorem tamen Ἄλλα sive Deum esse, testentur Saraceni; neque satis Vir alioqui diligentissimus perspexit, quod Κάβαρ alicubi Κούβαρ nuncupatur ab Euthymio. Cultum Veneris sive Luciferi apud Saracenos extitisse, confirmat quoque B. Hieron. in Hilarionis vita, quibus, uti etiam Mahomedanis, Dies *Veneris* hebdomadis finis est, quam *Giuma*, hoc est συνάξιν appellant: exinde porro est, quod jurent per *Stellam Veneris*, quam Stellam currentem lucidamque vocant: à quâ etiam omnem animam opus suum scriptum inventuram credunt Mahumedani, Azoar. 96. Nescio vero an locus Amos c. 5, 26, *Portastis Siccuth regem vestrum, & Chiunem imagines vestras, Sydus Dei vestri, quæ fecistis vobis:* huc referri possit: licet enim Cochiab heic B. Hieronymo sit Venus sive Lucifer, sive Beneth, an tamen Siccuth sit idem ac Succoth, dubitari potest. Ipse quidem nihil heic statuo, sed peritioribus linguæ Hebraicæ interpretibus totum hoc discutiendum relinquo. Tandem etiam & Peruanos Luciferum colere, rerum Indicarum scriptor tradit. Plurima quidem alia de Stella Veneris adducuntur, uti quæ instar Lunæ crescat & decrescat, ac tum plena sit, tum remotissima à terrâ; corniculata autem, cum retrograda, & terris proxima; item quod ad Lunæ modum patiatur Eclipsin; quorum neutrum tamen his convenit solis; sed prius in Mercurio quoque locum habet; posterius ut in Venere & Mercurio, sic in Iove, telescopio sibi deprehensum, tradit eruditiss. Mersennius in Gen. c. 1, v. 19. Item Varro apud August. l. 2 de Civ. Dei c. 8.

*Euth. Zigaben. in ed. an. 1591.*

*Alcoran.*

c. 8. ait Castorem scripsisse tantum portentum in Cælo extitisse, ut Stella Veneris mutaret colorem, magnitudinem, figuram, cursum; quod factum neque antea, neque postea sit. Sed quia hæc parum ad institutum nostrum faciant, quum, quæ sit maxime antiqua & universalis religio, heic solummodo propositum habeamus tractare, ideo ad Mercurium, ejusque cultum transimus.

*Mercurii* Stella post *Venerem*, ex motu suo circa Solem maxime conspicua, olim culta fuit. Quum enim (uti rite à Vossio observatum) Mars, Iupiter, Saturnus, qui sunt supra Solem, careant emersione vespertina, & occultatione matutina; è contra Luna, quia est sub Sole, non habeat emersionem matutinam, nec occultationem vespertinam; in Venere & Mercurio, quia circumëunt Solem, illo per dimidium tempus inferiores, per dimidium superiores, utramque emersionem, utramque occultationem habemus; ab his igitur Solis comitibus incipiebant, in reliquorum deinde Planetarum cultum transeuntes. *Copernicus. Antiq. Brah.* Quanti fecerit hanc Stellam Iulianus Imperator, supra retulimus; sed nec Porphyrio in minori veneratione fuit Stella hæc: utriusque enim λόγοι à Platonicis tantopere decantati, ὁ Ἑρμῆς παραστατικὸς dicitur Mercurius, tum rationis, tum orationis exhibitor, & repræsentator; postea vero subdit, λόγος ὁ μὲν ἐν ἡλίῳ Ἑρμῆς, Ἑκάτη δὲ ὁ ἐν σελήνῃ; *logus ille in Sole Mercurius est proprie, alter vero, qui in Luna, Hecate vocatur*: deinde addit, ut λόγος ille σύνθετος sive *compositus* Ἑρμόπαν dicatur, voceque ex Græco & Ægyptio numine conflata Ἑρμανῦβις, de qua Apulejus de *Cartari.* Ægyptiis loquens, *Erat ibi Anubis, quem Mercurium dixerunt, & qui capite canino effingebatur, ut ex eo Mercurii sagacitatem in nos derivatam intelligeremus*: aliter tamen Diod. Sic. quem si placet vide. Hæc Stella primo culta apud Orientales videtur, tum præcipue Babylonios, à quibus *Seches* vocabatur, ut Hesychius docet. Aliud porro nomen ejus inter Orientales *Mertholis*, & deinde *Margenah*; & inter Ægyptios *Thoit* vel *Theut*, ut Cic. lib. 3 de N. D. refert. inter Græcos Ἑρμῆς, & στίλβων, uti antea diximus, nominabatur, & inter Romanos Mercurius; cujus quanta veneratio fuerit, ex Seneca de Ben. cap. 7 videre est, ubi ait, penes Mercurium, rationem numerumque, & ordinem, & scientiam esse. Parvæ scil. molis videtur Stella Mercurii (ea est enim illius ad terram proportio, ut 19 ad 1. uti Veneris tanquam 6, ad 1.) sed maximæ virtutis. His enim duabus Stellis, Solis individuis comitibus, plurima tribuerunt olim Naturæ mysteria Gentiles. Mercurium, quem *Cæs. l. 6. de Bel. Gall.* à Gallis maxime cultum ait Cæsar, puto numen animale fuisse, licet & ea quæ de Mercurio illo perhibentur, Stellæ Mercurii συμβολικῶς conveniant; eoque magis, quod cultum Gallorum à reliquis nationibus

 non

non valde discrepantem fuisse, subindicet Cæsar; neque alius fuit certe qui *mercaturam* invenit, & viis præfuit, cujus in honorem, acervum lapidum ad statuam ejus, quæ in triviis plerumque posita fuit, congerere, tum primitias fructuum ponere, in gratiam viatorum, quondam solenne fuit. Hunc morem innuit Salomon, Proverb. 26, 8. *Sicut qui mittit lapidem in acervum Margenah, sive Mercurii, ita qui tribuit insipienti honorem.* Sed non inutile fuit istud sacerdotale inventum, ut viæ isto modo à lapidibus purgarentur: atque si æque utiles fuissent cuncti olim sacerdotales ritus, haut ita populo imposuissent. Hæc lapides jaciendi consuetudo etiam obtinuit apud Indos & Arabes, & Saracenos, hodieque in usu est apud Muhammedanos, ut observat Vossius; nisi forte Veneri tributus sit honos hic, vel non absimilis, quemadmodum à Vincentio Bell. Spec. Hist. traditur de Virga Mercurii, qua, ut Virgilius ait:

*——— animas ille evocat Orco*
*Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit.*

Non opus est ut plura subjungam. Per Mercurium, Solem intelligi, ex Symbolica aliqua virtute inter quosdam olim, nobis author est Macrob. lib. 1. Sat. Herculem etiam eadem ex caussa idem numen, sed animale certe, ac Mercurium fuisse, monstrat Cartarius. Sed de Heroïbus in Deos relatis, optime Dion. Hal. lib. 1. veterum Philosophorum sententiam explicat, ubi ait: Μεταξὺ τοῦ θείου καὶ θνητοῦ γένους ὑπαρχούσης φύσεως, ἣν τὸ δαιμόνων φῦλον ἐπέχει, τότε μὲν ἀνθρώποις, τότε θεοῖς ἐπιμιγνύμενον Ἡρώων φῦναι γένος. *Media quædam inter Deos & mortales natura, quam Dæmonum genus obtinet, nunc hominibus se, nunc Diis admiscens, unde mixta origo Heroïci generis.* Sed fabulæ hæ lepide irridentur apud Cic. lib. 3 de N. D. *Quid? Apollinem, Vulcanum, Mercurium, cæteros Deos esse dices; de Hercule, Æsculapio, Libero, Castore, Polluce dubitabis, atque hic quidem coluntur æque ac illi, apud quosdam etiam multo magis. Ergo hi Dii sunt habendi mortalibus nati matribus? Quid Aristæus, qui olivæ dicitur inventor, Apollinis filius; Theseus, qui Neptuni; reliqui, quorum patres Dii non erant; in Deorum numero? Quid, quorum mater? opinor etiam magis. Ut enim in jure Civili, quorum mater est libera, liber est; ita jure Naturæ, qui de Dea matre est, Deus sit necesse est. Itaque Achillem Astypalea Insula sanctissimum colit, qui si Deus est, & Orpheus, & Rhesus, Dii sunt matre Musa nati, nisi forte maritimæ nuptiæ terrenis anteponantur.* Non frustra heic Cicero: ex Dea enim matre & mortali patre, potius quam ex deo patre & mortali matre natum, quis non inter Ethnicos facile prætulerit? à Germanis Mercurius *Wodam* appellatus fuit, & *Teutates*, & *Irmensal*, secundum quosdam.

*Stella*

*Stella Martis* quoque olim in religiosum cultum adscita fuit, sed omnino post Solem, Lunam, Venerem, & Mercurium; neque enim subito innotuit Mars, nam licet ex quadam luminis sui divaricatione, tum etiam ex motu palante indicium sui tandem præbuerit, haut tamen in primoribus sæculis ea Syderum accurata fuit observatio, ut Martis, Iovis & Saturni cursus omnibus constiterint. Nomina igitur hæc primitus hominibus tributa, Stellis hisce, ubi adinventæ fuerint, indebantur; ut tota igitur veteris Saturni, Iovis, & Martis historia non mystica, vel divina sit, sed humana, & fabulosa; aut si aliquo modo divina, vel mystica fuerint nomina hæc, certe non Planetis hisce (uti jam obtinent) sed Soli tantummodo antiquitus competunt. Tantum enim veterum sive religio, sive adulatio potuit, dum Heroës suos Syderum, Sydera Herōum nomine donabant. Non diffitear tamen ante Saturni, Iovis & Martis sæcula, stellas hasce cognitas, & cultas fuisse, sed sub aliis quidem nominibus: neque verisimile est, ad Heroïs alicujus mortem, Stellam tum primo animadversam, quæ nomen ab illo acciperet. Stella hæc inter Babylonios Θοῦρας vocata fuit, quo nomine Rex qui Nino successit appellabatur; sed an Stella ab Homine, vel Homo ab Stella ita diceretur, non facile conjecerim. Inter Græcos nomen ejus Ἄρης, & secundum aliquos Πυρόεις. Inter Romanos *Mars*, quod magna vortat, & inter Poëtas *Mavors* vocatur; Sabinis *Mamers* dicitur; à Germanis appellabatur *Hesus*, de quo Luc. *horrensque feris altaribus Hesus*. Victimas enim illi mactabant ex hominibus bello captis olim Germani; quod & à Getis & Gothis olim factum. Ita Procopius: *Hostiarum illis pulcherrima est homo, quem bello primum ceperint: hunc vero sacrificant Marti, quoniam illum Deorum censent maximum.* Adeo invaluit olim inter Gentiles atrocissima simul absurdissimaque opinio, non nisi humana hostia summum Deum placari posse. Multi olim fuere *Martes*, quorum qui in Thracia natus dicitur, maxime colebatur: de cujus ortu lepida narratur fabula: Iuno cum Iovi invideret, quod filiam sine illa peperisset *Minervam*; ipsa quoque sine ejus opera filium edere voluit, qui *Mars* fuit. Martis oraculum inter hos extitisse tradit Herod. lib. 7. uti etiam inter Ægyptios lib. 2. inter quos μαντικὴν, sive divinationem ita constitutam esse ait, ut ejus artificium nulli mortalium vindicetur, sed certis Diis: quod vafritie Sacerdotum factum; quum enim præsagia ex causis naturalibus, sed populo ignotis, captassent; quandoque etiam ex internuntiis suis casum aliquem singularem explorassent, id ubi ab illis in populum evulgaretur, non scientiæ propriæ, sed Diis, quibus familiares essent, tributum totum volebant; ut existimationem inde, lucrumque compararent, solique mysteriorum illorum con-

*Chro. Alex. c. 16.*

*Lucanus.*

ſcii haberentur. Porro in quibuſdam morbis ſi aliquis eorum ope evaſerat, id totum Diis ſuis acceptum voluere; majorem gloriam ducentes, ut populus à Diis ſuis ſanitatem ita impetrari potuiſſe exiſtimaret, quam ex ſelectiſſimis remediorum formulis. Atque hunc in uſum (ut idem Herod. docet) oracula Apollinis & Minervæ, Dianæque & Martis, & Iovis, & cum primis Latonæ inſtituta fuerunt; ſed de his piis fraudibus omni ſæculo uſitatiſſimis, non opus eſt ut plura hîc ſubjiciam. Inter Scythas, quos *regios* vocant, cultum præcipue fuiſſe Martem, tradit Herod. lib. 4. licet enim Veſta, quæ ante omnes inter illos Dea eſt, & lingua eorum *Tabiti* appellatur, ut Iupiter, *Papeus*, Tellus, *Apia*, Apollo *Eroſyrus*, Venus Cæleſtis, *Artempaſa*, Neptunus *Thamimaſades*, tamen Ἀγάλματα δὲ καὶ βωμοὺς, καὶ νηοὺς οὐ νομίζουσι ποιέειν πλὴν Ἄρηϊ, Simulachra & Aras & delubra facienda non putant præterquam Marti. Aliter tamen à Lacædemoniis factum, qui, ut Pauſanias in Lacon. refert, Martis ſtatuam vinculis implexam apud ſe retinebant, exiſtimantes ita Bellorum Deum inter illos ſemper ſervari poſſe; quod & Romanos quibuſdam eorum Diis, ſed præcipue tutelaribus feciſſe traditur; quos ex urbe aliqua conceptis verbis ſe vocaturos (ſolita fraude) ſpondebant ex adverſa parte ſtantes Sacerdotes. Marti Equum ſacrificabant olim, qui in curſu victor eſſet. Inter animalia lupus & canis huic ſacri, uti inter aves, Vultur & Picus, *Martius* inde dictus; & juxta aliquos Gallus, in quem *Alectrion* miles converſus dicitur, quod non ſatis pro officio excubias egiſſet, Marte cum Venere tum temporis rem habente. De ritu ſolenni Feſti, Paprimide Ægypti oppido in Martis honorem celebrati, conſuli poteſt Herodotus ab aliis, quibus veterum Sacra noſſe carum eſt. *Martialis* etiam Iupiter appellatus fuit inter aliquos, vel Ἄρειος, eodem prorſus attributo gaudens, quo *Deus exercituum* ſignatur. Martis Stellæ ea eſt proportio ad terram quæ eſt 13 ad 1. Fervidum & ſiccum exiſtimatur Sydus hoc, tum vi propria, tum quod per ipſum Solis orbem ſive demittat ſeſe, ſive tranſeat: quum enim à nobis diſtet Semidiam. terræ, 1176, quum proxima eſt, & Semidiam. 8232, quum remotiſſima; adeo brevi temporis intervallo Stella illa Sole ſuperior, ſub Sole viſitur, (quemadmodum ab accuratiſſimis Aſtronomis obſervatum eſt) quod aliter fieri nequeat, quin ut per immenſum Solis orbem trajiciatur citatim, emergatque Mars. Sed plura de Stella Martis in *Keplero* & *Scheinero*, viris omnino doctis, videre eſt.

Lacon. Cartarius. Pauſ. Lucian.

*Iovis* quoque Stella in cultu & honore ſummo apud veteres fuit. Quum enim id temperamenti huic Stellæ miſti crederetur, ut medium quid inter Martis fervorem Saturnique frigiditatem obtineret, beni-

gna

gna prorsus Stella habebatur. Hujus proportio ad terram cubicam ea est quæ 14 ad 1. quum minimum à terræ centro abest, 8232, quum maxime, semidiam. 13171 distans, ut Astronomici tradunt. Altius tamen quiddam quam Stellam hanc, nedum numen animale ex Iove, intellexerunt olim Philosophi. Ideo Orpheus Iovem omnium primum atque postremum appellabat, eumque omnia tempora, quæ unquam fuere, præcessisse, permansurumque post cuncta quæ futura sint; illum supremam mundi partem colere, infimam quoque omnium attingere, totumque ubique esse dixit. Sed nemo Seneca melius Iovem descripsit, dum ait: *Sapientes nequaquam Iovem eum intellexisse, qui in Capitolio, aut aliis Templis fulmine armatus cerneretur, sed potius Mentem Animumque existimasse omnium custodem, universique administratorem, qui hanc rerum universitatem condiderit, ac eandem nutu suo gubernet, ac propterea divina quæque nomina ei convenire. Itaque optimo jure Fatum appellari posse, ut à quo ordo seriesque caussarum inter se aptarum dependeat. Item & Providentiam dicit, quum ipse provideat ut omnia perpetuo ac perenni quodam cursu, ad finem, ad quem destinata sunt, currant: Naturam quoque nuncupari, ex eo enim cuncta nascuntur, per eumque quicquid vitæ est particeps, vivit. Mundi quin etiam nomen illi congruere. Quicquid sub adspectum cadit, ipse est, qui se ipso nititur, & omnia ambitu suo complectitur, universaque numine suo complet.* Hæc Seneca. Ex quibus etiam opinio Stoicorum, mundum Deum esse dicentium, explicatur. Nomen Iupiter ab Ἰάω, vel *Iah*, uti supra diximus, derivari videtur: posterior enim pars dictionis *Patrem* solummodo innuit, ut in verbo *Diespiter*, qui Sol Varroni est; quia Diei pater. Ita etiam Horat. 1 Car. od. 34: *Diespiter igne corusco nubila dividens.* De nomine autem Ἰάω non Strabo solummodo, de quo antea mentionem feci, sed Origenis locus, ex emendatione H. Sanfordi, ubi ait: τὸν Ἰάω Ἰὰ παρ' Ἑβραίοις ὀνομαζόμενον, id est, *Iao Iah ab Hebræis appellatur.* Ex quo duplicato etiam verbum *Iehovah* esse conflatum, vult Isidorus l. 7, cap. 1. De Deo *Ievo* inter Phœnices mentionem facit Philo Byblius. Aliis *Iavo* è *Ieie* idem numen est: quomodo vero pro varia potestate literarum in diversis linguis diversæ verbi hujus sint pronuntiationes; quomodo etiam nomen Tetragrammaton inde conficiatur; quid porro cum hisce Iaccho, Baccho, Evio commune habeant, apud eruditissimum Sanford. de desc. D. ad Inse. videre est. Sed de his aliàs, cum non heic de Iove homine in Deos relato, sed de Planetæ Iovis cultu sermo fit. Benignum hoc Sydus cum Venere conjunctum, aëra tranquillum, & temperatum reddere, tum procellas & tempestates compescere credebatur. Brevi non solummodo salutaris ad omnia existimatus fuit Planeta hic, sed ita efficax, ut si Luna illi jungeretur cum

*Sen. Q. Nat.*

*Varr de L.L.*

*Euseb. de Præ Euang. c. 10.*

Capite

*Capite Draconis*, omnia impetrari possent, quæ à Deo postulantur; quod & Petrus Aponensis scribit se comperisse verissimum.

Inter Planetas olim cognitus *Saturnus*, solus explicandus superest, neque enim de *Mediceis* Syderibus (ita à Galilæo vocatis) vel *Borbonius* aliisque Telescopii beneficio detectis, tractandi hic suppetit locus: proportio hujus Stellæ ad terram cubicam ea est quæ 22 ad 1. à qua ubi minimum abest, distat terræ semidiam. 13171; ubi plurimum, 17571. Hanc Stellam Chaldæi & Ægyptii scivere Planetarum omnium esse maxime sublimem, cujus motus ut illis videretur tardior, quia haut minori spatio quam triginta fere annis totum Zodiacum peragrat, reipsa tamen esse velocissimum, ob ingentia spatia à terra totidem annis confecta, agnoverunt. De Saturno in Italia regnante, cujus tempore id *aureum* sæculum viguisse dicitur, ut inde in Deos relatus fuerit, videantur antiquissimi Authores: neque enim ante ejus sæculum ita clara & vocalis fuit Historia, ut aliquid certi statui posset. Quid? quod neque in temporibus suis, nec pluribus sequentibus ea sunt vestigia veritatis, ut illis satis tuto hærere possimus; tum ob id præsertim, quod sub fabularum involucris suam occultaverint olim sapientiam, qualis qualis fuerit, non Sacerdotes tantum, sed ipsi quoque Philosophi. Attamen hercle ut arcanæ fuerint eorum sententiæ, haut ideo veras esse existimaverim, imo forsan ineptiis suis fabellas, tanquam condimenta proponebant; non diffitear tamen quædam eorum sano modo explicari posse. Ita ubi Saturnum à Iove in vincula conjectum, & in Tartara præcipitem datum, narrant Poëtæ, id ita intelligunt Mythologi, ut Saturni vis maligna à Iovis salutari sydere castigetur, & corrigatur, ingensque aëris altitudo, ubi primitus eorum operationes perficiantur, Tartarus hic sit. Saturnus quoque contemplationis author esse existimatur à Platonicis, tum quod Cælo supremo proximus, vim illam inderet animis, tum quod animas ita ad primordia sua revocet. Ideo Sedentarii olim sapientissimi habebantur. Atque Varro lib. 1 de R. R. cap. 2, *Romanus sedendo vincit*. Ideo etiam jubet Pythagoras, veluti quoque Numa, καθῆσθαι προσκυνήσαντας, ut adoraturi sedeant. Ita etiam 2 Sam. c. 7, v. 8: *Ingressus est rex* (David) *& sedit coram Domino*. Saturnus quia siccus & frigidus, præesse melancholicis, & atra bile correptis, existimabatur. Adeo ut ubi in genitura alicujus superior esset reliquis Planetis, legem illis daret. In anno quoque eum præfecere Autumno, in Hebdomade Diei Septimæ, ut ideo noster Rogerus Bacon scribere non dubitaverit, Iudæorum more tum temporis feriandum, quia segne & tardum sydus Saturni parum sit fœlix, & idoneum rebus agendis; qua etiam ex causa octimestrem partum cui præfici

*Lucian. de Astrol.*

Sa-

Saturnum voluere, haut vitalem esse putabant, licet alii Lunæ partes istas tribuerint. De harmonica Planetarum proportione consulatur post Pythagoram Keplerus. Heic denique Planetæ, parvi majorum satellites (de quibus supra) explicari uberius possent, tum ob id quod Phavorinus mirabatur id cuiquam pro percepto liquere, Stellas istas quas multi *Erraticas*, Nigidius *Errones* vocat, non esse plures quam vulgo dicerentur: posse enim fieri existimabat, ut & alii quidam Planetæ essent, neque eos tamen cernere homines possent, propter exuperantiam vel splendoris, vel altitudinis. Sed quia argumentum nostrum prosequi satius fuerit, ad Stellas cælo infixas, ubi major rerum mihi nascitur ordo, transimus. *A. Gellius l. 14. c. 1.*

## CAPVT VIII.

### *De Cultu Stellarum Cælo infixarum.*

STellas in genere, sive *erraticas*, sive *fixas*, sive notas, sive ignotas, pro Diis habitas fuisse inter Gentiles, tota testatur Antiquitas. Oculos quippe ad superiora attollentes, eam constantiam ordinemque in Stellarum sive motibus, sive posituris observaverant, ut divinitatem quandam illis tribuerint; uti quæ à seipsis nunquam nisi lege quâdam perpetuâ, & fœdere recesserint; quam legem in Syderibus fixis, quum constantissimam esse animadverterent, cultum illis detulerunt; uti quæ eorum omnium quæ in sublunari hoc mundo, uno eodemque modo se habent, causæ essent. Multi igitur illis fuere dii, non supremi; sed supremo Deo militantes. Stellæ etiam in genere *Cœli Militia* ab Hebræis vocabantur; quas etiam (sensu metaphorico) olim pugnasse ajebant. Et quidem homini Gentili naturam stellarum, accurate speculanti, nihil forsan quod de illis sentiret, aptius occurrere potuit, quam ut Stellas fixas Dei legem librumque sempiternum; *erraticas* ejus propheticum librum dixerit. Quidni enim ex decreto naturali immota quædam legis suæ principia tum in Astris, tum in cordibus hominum descripserit summus Deus; quum quædam eodem modo se habere in omnibus manifestum sit? Quidni etiam tum præsentium, tum futurorum rationes quasdam ostenderit idem in Stellis erraticis Deus, quum ab earum motu sublunarium omnium motus originem trahat? Sint igitur Stellæ Lex & *Prophetæ* Dei Universales, quæ ut mutæ sint, tanquam horologiorum certissimorum indices, tamen quod res est signant. Hasce igitur consulat sapiens, non quidem juxta superstitiosas & vulgares Astrologorum formulas, sed ex eventuum observatione, ubi earum Motus,

Conjunctiones, Oppositiones, & Aspectus varii inter se comparantur. Agunt enim in inferiora Stellæ; nescio tamen, an libere; quamvis plurima huc spectantia argumenta adduci possent. Haut aliter quidem de iis sensisse videtur Aristoteles, 2 lib. de Cæl. c. 12. quam ut ex verbis sequentibus colligi posset: Δι' ὃ δεῖ τὴν τῶν Ἄστρων πρᾶξιν εἶναι τοιαύτην οἵαπερ τῶν ζώων, καὶ τῶν φυτῶν. *Censendum vero est Astrorum esse praxin qualis est animantium & plantarum.* Quinimò, juxta Gentilium opinionem, δωδεκατημόρια Solis ipsius, 12 Consiliarii erant; ut haut ita luderent operam veri Astronomi, qui horum rationem inire possent. Quid olim cultum Stellarum Gentilibus persuaserit, aliqua ex parte in iis quæ superiùs retulimus, videre est; quædam etiam tanquam suo in loco heic reponimus. *Sublimitatem* primò contemplati sunt Gentiles, quæ tanta est, ut Stellarum fixarum orbis à Terrâ distet semidiam. ejus, 19000, secundum Tych. Brahe; secundum Mersenn. 20000. quod intervallum leucas Gallicas (quarum unaquæque 3 milliarium) 53961647 continet. Vnde etiam colligi potest, si lapis ex orbe illo delapsus, quoquo minuto conficeret leucam Gallicam, priusquam is lapis terram contingeret, opus fore annis prope 102. sublimitatem etiam ex eo conijcere est, quod Stellæ fixæ nullam sensibilem habent paralaxin; quum tamen Sol 3 minutorum à Terrâ paralaxin habeat, Luna totum quandoque gradum. *Magnitudinis* porro ejus erant, ut inter illas minimæ, æquales essent Lunæ & Mercurio; majores autem, Veneri & Marti. Proportio ad terram cubicam, ea est, ut Stella sextæ magnitudinis sit ut 11 ad 1. primæ magnitudinis, ut 70 ad 1, reliquis medias quasdam proportiones obtinentibus. *Numerum* Stellarum fixarum eam esse animadvertebant Veteres, ut 1002 conspicuæ essent, aliæ etiam obscuræ, neque ullâ satis ex notâ distinctæ; quas demum in 48 Imagines (nescio quâ ideâ freti) dispertiebant. Haut tamen ex motu vario argumenta divinitatis in Stellis fixis ducebant olim Gentiles, ut quæ eâdem intercapedine semper (quatenus saltem ex sensu aliquo percipi posset) distarent; quum tamen motus discursusque mirandus Planetarum in Cælis tanti habitus fuit, ut citra aliam quamcunque causam, divinitatem eo nomine Planetis tribuerint. At falli heic aliqua ex parte, proclive fuit. Si enim, haut in se ipsis loco veteri dimotæ sunt Stellæ fixæ, (quod tamen Imaginum illis olim à pastoribus sive nautis plerumque datarum hiantes disparesque formæ testari videntur) saltem in consequentia Signorum moveri, certum est. A quo motu προήγησις ἰσημερινή, sive *anticipatio Æquinoctiorum* fieri videtur. Cum Arietis sydus nunc occupet Tauri locum, Taurus Geminorum, & similiter in reliquis, ita tamen ut post aliquem in consequentiâ excessum, redire

in

in priora videantur, qui motus accessus & recessus à quibusdam, ab aliis motus *Trepidationis* vocatur: sed de his disputatio illa celeberrima inter *Jos. Scaligerum*, & *Maginum* consulatur. Ex *Celeritate* quoque divinitas orbis stellarum fixarum conijciebatur, quæ tanta est, ut Stellæ in æquinoctiali sitæ, unius horæ minuto, sive $\frac{1}{60}$ parte conficiant leucas Gallicas 3768750. adeo ut globus missilis è tormento bellico majori displosus, pari motu latus, vix horis centum terrarum orbem ambiret. Immo quid ad hæc (inquit Vossius) velocitas Solis, qui globi tamen ejusmodi mensuram exuperat quinquies millies; quippe Solem ipsum, Stellæ, quæ æquinoctiali sunt propinquæ, quadragies vincunt velocitate; nisi, juxta Copernicanum mundi Systema, Tellurem moveri dicas; quod tamen suis non caret difficultatibus; quum ineptissimum motui pondus terrestre isto pacto velocitatem globi missilis supra memorati bis (ni fallor) exuperet. De motu Stellarum fixarum non in longitudinem solum, à vernâ Zodiaci sectione, sed in latitudinem quoque, in Tych. Brahe videre licet; neque ad scopum nostrum pertinet. Vltimo *vires efficaciamque* Stellarum fixarum animadverterunt Gentiles; videbant enim ab aliis ventos, ab aliis etiam tempestates, ab aliis pluviam, ab aliis æstus cieri. An vero ad vires hasce exercendas imprægnentur Stellæ fixæ à Planetis, vel vice versâ, non est hujus loci disquirere. Inter Stellas fixas *Canis* dictus *Syrius* maxime cultus fuit, tum præcipue apud Ægyptios, adeo ut in Stellam hanc, Isidem suam, secundum aliquos, extulerint; licet aliis *Luna* sit Isis: Romani etiam, hoc sydus religiose colentes, rufas Canes (ut testatur Festus sive Paulus) illi immolabant, nempe ut fruges flavescentes ad maturitatem ita perducerentur: quod alibi etiam ex Actio Capitone confirmat, ubi sacrificium id Canarium vocat. Fulgidissimum quippe hoc sydus interdiu etiam quandoque spectandum sese præbet; quod uti Divinitatis opinionem apud Ægyptios conciliaverat, ita & maligni in Terram & Aërem proditi ab Cane Stellâ effectus, in causâ fuerunt, ut Sacrificio hoc Canis rufæ, vel rutilæ numen ejus placare contenderint. Nam ut Statius ait:

*Acer anhelantes incendit Syrius agros.*

Deos enim propitiare, ne nocerent, æquè fere ac ut juvarent, antiquitus mos fuit. Et quidem longe perniciosior esset humano generi Stellæ hujus vis, nisi nivibus liquatis *dierum Canicularium* æstu è summis montibus venti vocati *Etesii* flarent. *Piscis* quoque inter Orientales, sed præcipue Assyrios, divino honore cultus fuit; cui sive filios, sive nepotes tribui, nescio quo figmento, videre est apud Germanic. Interpretem, & Hyginum. Suspicio quoque est signum quod Ἐγγόνασι à Græcis

cis dicitur(si modo Herculem in Stellam hanc relatùm dicas,quod aliquibus placuit) divino honore cultum fuisse. Atque hæc de Signis extra Zodiacum cultis. In Zodiaco *Aries* habitus fuit *Iupiter Hammon*, ut Isidorus scribit. Sed Minerva habebatur à Servio. De hoc sydere Manilius:

*Isid. lib. 3. c. ult.*

*Consilium ipse suum est Aries, ut principe dignum est,*
*Audit se Libramque videt.* ------

Quod respicit ad ea quæ supra de *Diis consiliariis* adnotavimus. *Gemini*, secundum quosdam, fuere *Tyndaridæ*, sive Ledæi Iuvenes, *Castor* & *Pollux*, navigantibus *auxiliares* crediti; aliis fuere Hercules & Apollo; aliis Triptolemus & Iason; aliis Zethus & Amphion; aliis Dii quidam Samothraces; sed neque hoc mirum videri debet, quum Heroës suos unaquæque fere regio in Deorum tum temporis retulerit numerum; virorum quippe egregiorum animas esse immortales, credentes Gentiles, sydera quædam selecta nominibus eorum donabant. *Virginis* signum fuit quibusdam *Astræa*; unde illud

------ *Terras Astræa reliquit.*

Aliis fuit Ceres, aliis Atergatis, aliis Fortuna, aliis Isis; nisi quæ Isis Ægyptiis, Cererem esse Romanis dicas; aliis *Concordia*; an vero Dea *Panda* huc referri possit, dubium est. De *Piscibus duobus*, qui à veteribus Dii Syri; ita enim Germanicus in Aratæis:

----- & *Syriæ duo numina Pisces.*

haut diversæ adeo fuerunt opiniones. At cur Pisces olim vocati, mihi hæret aqua. Annè quod in Cælis supra Firmamentum ab Assyriis crederentur; hæ autem Stellæ tanquam Pisces illic natarent? Annè, ut Hyginus refert, mysticum aliquod heic adumbretur? verba ejus apponam Vossio recitante: Numina ea sunt Venus & Cupido, ut ostendunt hæc Higini verba in Poëtic. Astron. Diogeneles Erythræus ait, quodam tempore Venerem cum Cupidine ad flumen Euphratem venisse, & eodem loco repente Typhona Giganta apparuisse. Venerem autem cum filio in flumen se projecisse, & ita figuram *Piscium* formâ mutasse, eoque pacto periculo esse liberatos. Itaque postea Syros, qui his locis sunt proximi, destitisse *Pisces* esitare, quod vereantur eos capere: ne simili causâ aut Deorum præsidia impugnare videantur, aut eos ipsos captare. Aliter tamen ex Nigidio Germanici Interpres: qui ait hos esse *Pisces*, qui ex Euphrate evolverunt ingens ovum illud, unde, cum columba ei insedisset, post aliquot dies nata est Dea Syria, quæ dicitur *Venus*, eóque Syros piscium & columbarum esu abstinere. Quia vero Syri capturam piscium aversati, ut ex Higyno ante vidimus; eo Poëta incertus in 6 Ἀνθολογίας, ait Heliodorum *rete* suum dicasse Deæ Syriæ; sed

*Α᾽γρὸν ἀπ᾽ ἰχθυϐόλου θήρης* -----

id est, *parum ab venatione* pisces capiente. Nam si pisces eo jam capti fuissent, reti hujusmodi nihil fuisset Deæ ingratius. Credebant autem illis qui pisces esitarint, tumorem à Dea Syria immitti. Unde Martial. lib. 6, epigr. 44.

*Iuro per Syrios tibi tumores.*

& Persius Sat. 5.

*Incussere Deos inflantes corpora.* -----

hoc est Deam Syriam, quam Venerem dicunt & filium ejus Cupidinem. Vide *Scaligerum* ad Manilium, & *Salmasium* in Solini Polyhistora; quæque de *Atergatis* cultu dicebamus lib. 1, cap. 23. ubi Deam Syriam ut animale numen spectavimus, hic vero ut naturale consideramus: quomodo tum in Lunâ colitur, uti dictum antea, tum in *Piscium* signo, quemadmodum proxime exposuimus. hæc *Vossius*. De aliis nationibus etiam hodierno die Stellas fixas, unaque Solem & Lunam, & reliquos Planetas venerantibus, locum alium ex eodem *Vossio* reponere placuit; neque enim suis heic laboribus frustratum volui Eximium Virum. Nec solum Oriens, & ejus exemplo Græci ac Romani, Stellas omnes pro Diis habuere; sed etiam Gentes aliæ: quod uti de Erraticis antea ostensum, ita de fixis, ex variis constat Scriptoribus. Imo superiori, nostroque sæculo idem honos iis fuit apud Peruanos; qui, Acostâ teste, præter Deum Creatorem (quem suâ linguâ *Viracbocan*, post commercia cum Hispanis etiam *Dios* nuncupant) venerati quoque sunt Solem, Lunam, Erraticas quinque, & Stellas cæteras. Hispanicum hunc Authorem, sed Latine loquentem audiamus: Ex Stellis *Colca*, quem nos *Cabrillas* sive *Capellam* vocamus, invocarunt: Et Stellis quidem aliis hoc, aliis aliud munus injungebant, quæ deinde singulæ à singulis adorabantur; prout cujusque necessitas poscebat. Opiliones Stellam *Vrchuchillay* adorabant; Eam *Arietem* diversicolorem fingebant; cujus hæc una esset cura, ut custodiret pecora; putatur vero id Sydus quod Astrologi *Lyram* nuncupant. Præter has duas etiam aliis eis vicinas invocabant, *Cachuchillay*, & *Vrruchillay* dictas. Finguntque earum alteram ovem, alteram agnum esse. Fuere qui stellam aliam *Machuachuay* venerarentur, serpentibus ac colubris imperantem, à quibus hoc pacto se tutos fore, persuasum habent. Itidem etiam aliam adorant Stellam *Chuquichinchay*, id est, *tigrim*, vocatam, quam tigribus, ursis & leonibus præfectam tradunt. Nullum uspiam animal, seu quadrupes, seu volatile, in terrâ esse credebant, cujus simulachrum in Cælo non splenderet: unde simile in terris procrearetur, suumque acciperet incrementum. Itaque cum diversissimis Stellis ipsis res erat, quas *Charana*,

*Topatalca*, *Mamana*, *Mirco*, *Mequiquiray*, & aliter nominabant: adeoque cum Platone, ubi de Ideis tradit, apprime consentiebant.

Atque has quidem Stellas in honorem summi Dei cultas fuisse, tum ex locis quibusdam supra allatis patet, tum iis omnibus qui Indicam historiam evolvunt, luculenter patebit. Atque ita omnes Stellas, sed in Summi Dei honorem certe, olim fuisse, & etiamnum esse cultas, concludimus.

## CAPVT IX.

### *De Cæli Cultu.*

POst Syderum cultum ad Cæli venerationem accedebant olim Gentiles; *Cælum* autem corporeâ substantiâ esse credebant inter illos Philosophi; neque moveri Astra in vacuo, sed supra immobile; quæ Aristotelis fuit sententia. Quin ex interventu corporeæ Cæli naturæ Astra in inferiora agere, sciscebant; neque ex influentiis suis satis demandari posse, quas in illis experimur vires. Qua de re plurima in utramque partem dici possunt, sed quæ in præsens mittenda duximus. Quod Latinis *Cælum*, Græcis est Αἰθὴρ. Huc respicit Ennii versus toties in Cicerone repetitus: *Aspice hoc Sublime candens, quem omnes invocant Iovem.* Οὐρανὸς etiam vocabatur Cælum, sive Cælus. Ita inscriptio Romæ effossa in monte Cælio: *Optumus Maximus Cælus æternus*, ubi attributum *Optimi Maximi*, quod Iovi semper etiam ex majorum sententiâ competere testatur Cicero l. 1 de N. D. *Cælo* heic adscribitur. Huic opinioni, juxta quosdam, Pythagoras olim favere credebatur: qui Deum ait esse corporeum, *Cælum* ejus oculos, cæterasque tanquam in homine partes, Solem & Lunam constituit; inferiora membra, Elementa esse voluit: vide Epipha. l. 1 de Hæres. Gentium. Cæterum haut ita certa est hæc sententia; nam ex Pythagoræ mente, uti alibi videre licet, unicum fuit tantum numen, ex quo universum hoc sit factum; quin & *Cælum* animatum à spiritu Mundi esse dixit, qui reapse *Deus* esset. Ita Hierocles in aurea Carmina, ubi memorat: Τὸν δημιουργὸν μόνον Θεὸν, ὃν Θεὸν θεῶν κυρίως ἂν εἴποι τις, καὶ Θεὸν ὕπατον, καὶ ἄριστον. *opificem unicum Deum quem Deum deorum proprie aliquis dixerit, & Deum summum & Optimum.* Ita etiam Zoroaster, à Fr. Patr. editus: ὁ ποιητὴς ὃς αὐτουργῶν τεκταίνεται τὸν κόσμον. *factor qui per se operans fabrefacit mundum*, & paulo ante etiam de nobis ipsis loquens, ait:

Νοῦν μὲν ἐνὶ ψυχῇ, ψυχὴν δ' ἐνὶ σώματι ἀργῷ
Ἡμέων ἐγκατέθηκε Πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

*Mentem quidem in animâ, animam vero in corpore nostro inerti indidit Pater, homi-*

*hominumque Deûmque.* Vbi igitur Cælum; immo & omnis Cæli gyrus, ut ex Herodoto & Strabone liquet, Iovis nomine insignitur, non heic Æternum numen omnia gubernans, sed sensibilis ejus imago, aliqua saltem, intelligenda est. Atque secundum hanc saltem rationem, haut frustra esse Gentiles, evincebat non solummodo *sublimitas* Cæli & *magnitudo* immensa, sed ejus *forma circularis* (quum perfectissimo corpori perfectissima conveniret forma) & *candor*, qui intermicantibus distinctus Stellis, undique eminebat. Vltimo tum *perennitatem*, tum ipsam utilitatem Cæli, dum in inferiora hæc agit, animadvertebant. Quibus sane argumentis freti, *Cælum* plusquam humanum, adeoque divinum quiddam esse, ratum habuere. An vero Cælum, uti perenne, ita æternum esset, inter doctiores agitabatur. Et quidem Cælum, juxta emanationem quandam à Deo Summo, æternum esse censebant fere omnes; naturâ licet posterius illo, ut lumen Sole. Certè quidem si simplex quiddam esset Cælum, in eorem sententiam, Cælum sensibile Dei simulachrum statuentium, lubens accederem: sed quum ex materia & forma, idque ordine quodam miro, compositum, plusquam emanationem heic dari necessum est; adeoque ad Cæli, & deinde totius Sublunaris Orbis constructionem, majus quiddam postulari, quod ejus δημιουργὸς & opifex sit. Ex *necessitate* hæc fieri author est Aristoteles, ubi ait: Ἐξ ἀνάγκης ἄρα ἐστὶν ὄν, καὶ ἡ ἀνάγκη καλῶς καὶ οὕτως ἀρχή, *ex necessitate ergo est Ens, & quatenus necessitas bene & sic Principium:* qua quidem in gradatione, *Ens* aliquod quod excellat, & sit Ens omnium Entium, ponit; unde etiam postea addit: Ἐξ τοιαύτης τῆς ἄρα ἀρχῆς ἤρτηται ὁ Οὐρανὸς καὶ ἡ φύσις. *ex tali igitur principio pendet Cælum & Natura*: atque id quidem non in conservatione solummodo, sed & productione, secundum doctissimos Philosophos. Ita, inter alios, Hermes præclare de Deo loquitur, dum illum vocat σωτήριον τῶν ὄντων, *servatorem Entium.* De cujus vita Aristóteles sic habet: διαγωγὴ δ' ἐστὶν οἵα τε ἀρίστη, μικρὸν χρόνον ἡμῖν, οὕτω αἰεὶ ἐκείνῳ ἐστίν. *Vitæ vero traductio est qualis optima (parvo tempore) nobis sic semper illi est.* Huc etiam facit quod Hermes in Sermone Mentis ait: τοῦ Θεοῦ ὥσπερ οὐσία ἐστὶ τὸ ἀγαθόν, τὸ καλόν, ἡ εὐδαιμονία, ἡ σοφία. *Dei quasi essentia est bonum, pulchrum, fælicitas, Sapientia.* At si ex necessitate fatali Entia cuncta (uti supra retulimus) & ipsum Ens Entium sit, unde Bonitas, unde Sapïentia ejus, unde Libertas, unde arbitrium nostrum? nam quorsum Bonitas Divina, ubi res quævis aliter se habere nequeant? quorsum sapientia ejus, si ineluctabile fatum: unde tandem libertas nostra, vel arbitrium in opposita, si Ens illud entium, Deus Opt. Max. constrictum esset, neque aliquid nisi ex necessitate agere posset? Apage igitur opiniones istas nullâ solidâ ratione fultas: Quum enim *Fatum*, hoc est, ordo in rebus

*Hero. l. 1. Strab. l. 16.*

*Fra. Patr. T. Peri. discus.*

bus, haut aliunde quam à Sapientissimo Conditore rerum momenta disponente, profectum sit; uti prior tanquam causa effectum suum producens, ita ipso etiam tempore ante *Fatum* aliquod fuerit Deus Summus, liberè, & pro beneplacito suo agens, seriemque eorum omnium, quæ quovis modo existunt, nectens & proferens: quod & Cicero, inter alios, *l. 1 de N. D.* & *l. 1. de Divin.* fatetur. Sed de *Fato* opportunius alibi dicemus. Argumentum igitur nostrum prosequentes, observamus plurima priscis sæculis incomperta fuisse, quæ *Tubus* noster *Opticus detexit*: Vnde etiam errores illorum coarguuntur, qui Cælos *solidos* esse voluerunt; esse porrò aëriæ naturæ, & pervios, probant hæc: Quod Cometæ supra orbem Lunæ sive generentur, sive attollantur; quod Mercurius & Venus simper circa Solem volvantur; quod duo Planetæ stipent Saturnum, quatuor alii ambiant Iovem; quod in Sole, aut saltem intra illius discum, variæ oriantur & occidant maculæ & faculæ; circa quas acutissimus *Galilæus*, & post illum *Scheinerus*, consuli possunt: quod Mars adeo profunde penetret Solis orbem, ut eo quandoque superior visatur, non multo post inferior. Est alia insuper ratio à *Vossio* adducta, quæ asperitatem & inæqualitatem Lunæ respiciens, infert eam in duris Cælis commoveri non posse, nisi vacuo concesso, vel penetratione corporum. Atque horum quidem argumentorum quædam veteribus ignota, in causâ fuêre, ut præclarius de Cælis sentirent. Quamvis neque defuerint alia, unde divinitatem (sub acceptione quadam divinitatis ab illis usitata, à nostris rejecta) tribui posse Cælis, existimarent. Inter quæ, *sublimitas*, *perennitas*, *magnitudo* & *utilitas* Cæli primas tenere videntur; neque enim vulgare de *incorruptibilitate* Cælorum argumentum, quod nullam in Cælis vel generationem vel corruptionem quovis ævo visam fuisse à majoribus nostris, sit proditum, mihi magis sapit, quam si supponas mortalem aliquem in Lunâ positum, qui haut aliquid in Terris corruptioni obnoxium esse statueret, quia nihil eorum ex distantiâ illâ, quæ heic corrumpuntur, perspicere posset; vel ubi eadem Terræ forma semper, & magnitudo illi obversaretur, nihil ideo immutari intra totum ejus ambitum, colligeret. Sed plurima in Cælis quæ generationem & corruptionem communem in hoc sublunari mundo visam æmularentur, saltem observare potuit Antiquitas, eaque non parvæ molis. Stella enim nova temporibus Ptolomæi Evergetæ, & Antiochorum Sedetis ac Cyziceni comparuisse, testatur ex Hipparcho Plinius l. 2, c. 26. Alia etiam claruit tempore Hadriani Cæsaris. Alia sub Othone in Cassiopæa. Alia circa eandem A. D. 1264. Alia in eodem Asterismo Cassiopææ 1572, quæ post biennium sive recessit, sive evanuit, hiatu sui loco relicto: Quam etiam ex Cælesti materiâ compactam

esse

esse nemo dubitavit, qui illam Terræ globo trecenties fere majorem esse observaverat. Alia 1577, quæ septem hebdomadis claruit. Alia 1600 in pectore Cygni; alia 1504 in 18 gradu Sagittarii: Alia, eaque prodigiosa, sive Stella, sive Cometa 1508, quam doctiores Astrologi in Cælo collocarunt, ut ait *Schein. in rosâ Ursina.* Sed neque dubitatione vacat, an ipse *Sol* ejus sit materiei, ut in æternum perennare possit; tum præsertim si vaporibus alatur, quæ non quorundam veterum tantum fuit, sed recentiorum etiam est opinio. Atque huc facit quod *Petrus Mexias* refert, Iustiniani Cæsaris tempore majori anni parte, aëre sereno, nulla velato nube, Solem tam exiliter luxisse, ut vix Lunæ splendorem lux ejus superaret: ex quo ajunt evenisse ut totum orbem fere fames invaderet: ubi rarefactionem passum esse Solem putat *F. Patricius*: eoque minùs tum caluisse, tum luxisse. *Paulus Diaconus* etiam refert 790 obtenebratum fuisse Solem, & diebus 17 radios suos non dedisse. Quod Mexicani tradunt Solem quater extinctum, & toties renovatum, mihi haut verisimile videtur; diminutionem enim vel rarefactionem, juxta Fr. Patric. ut passa sit Solis lux, illam prorsus sublatam fuisse, haut crediderim. Sed ut hæc mittamus, satis quidem ex supradictis constat, eos sententia concidere, qui nullam in Cælis mutationem dari posse contendunt. Cæterum ut Cælum colerent, aliis adhuc confligebant rationibus veteres: animatum enim esse credebant. Ita disertim Aristoteles de Cælo. cap. 2. ὁ δ' οὐρανὸς ἔμψυχος, καὶ ἔχει κινήσεως ἀρχὴν. *Cælum est animatum, atque habet principium motus.* Atque cum hoc principium *sui constitutivum* esset, (juxta eorum sententiam) tanto nobilius anima humanum corpus regente existimabatur, quanto prima causa & independens omnem secundam & dependentem exuperat. Duplicem ideo in cælis naturam spectantes, formalem, sive animalem, & corpoream sive materialem (in qua dextram & sinistram raras & densas partes, & organa alia, quæ supra retulimus) observaverant. In corporea cæli natura animam ejus, in anima Cæli Deum ipsum venerabantur; quod etiam Aristoteli placuit, qui supremam animam summum Deum, Animas Inferiores, Deos minores vocitabat. Quæ cum invaluerat opinio, haut mirum adeo videri debet, si homines virtute præcellentes, tanquam Deos coluerint passim Gentiles: Adeo ut nihil olim *Deo-Homine* sive θεανθρώπῳ familiarius esset; quod & Paulus ipse tum & Barnabas putati *sunt Dii.* Verumenimvero quænam, aut qualis esset Anima Cæli, inter veteres disceptabatur. Aristoteles quidem Cæli Animæ facultatem intellectivam, appetitivam, motivam, tribuit, non ita sensitivam. Licet enim facultates præstantiores præsupponere eas, quæ minus sunt præstantes Aristotelis sit dogma;

H tamen

tamen lib. 11 de Anima text. 15, & 32. id de solis mortalibus capiendum esse, explicat; ut ideo Animam Cæli non per sensum aliquem externum, sed per intellectus ad particularia applicationem objecta quævis percipere, doceant subtiliores Philosophi; quo modo & animam humanam, post hanc vitam transactam, *intelligere* posse, contendunt. Et quidem perfectum omne haut indigere sensibus externis, & ipse statuerim: nulla enim ex sensibus externis nisi caduca objecta satis percipiuntur; ut ideo ad animantium conservationem alimenta idonea inde conquirentium, injurias noxasque inde propulsantium, conditi sint sensus: at quibus anima Cæli opus non habeat, uti quæ sit minime alimentorum indiga, neque sibi à periculis metuat. Est & alius intelligendi modus, per formarum nempe communionem, qua intelligentiæ cælestes tum semetipsas, tum alia quævis ex formis illis profecta, internoscunt, adeo ut in res omnes sive heic, sive in cælis ipsis existentes, transeat: utrique opinioni suffragari videtur Alexand. Aphrodis. lib. 1 Qu. Nat. cap 25. quod etiam exponit *Termoninus lib. de Nat. Cæli*, ubi, inter alia, sic scribit: *Cœlum intelligit recipiendo rem quam debet intelligere, non illius speciem, quia ipsa est per se intelligibilis, & non requiritur species nisi ubi res per sensus est intelligenda, & est materialis:* Circa gradus intellectionis comparative inter Intelligentias, ita ut Solem plus intelligentem quam Lunam, atque ita inter alios Planetas, unam quampiam alia magis intelligentem statuant nonnulli, non est quod prolixior sim; quum tota hujusmodi conjecturis nitatur doctrina. Haut supprimere tamen heic possum *Simplicii in* 8 *Phys.* sententiam, quam secuti sunt aliqui Latini, ubi ait; primum motorem Aristoteli non summum Deum, sed Intelligentiam summi post Deum loci & dignitatis esse, ubi Platonem cum Aristotele conciliare studet; apud quem Deus, id est, summum bonum, supremam obtinet dignitatem; proximam, Mens, Dei progenies, Naturæ Architecta; tertiam, Natura, mentis opus: alii tamen Simplicium hac in re Aristotelis sententiam non satis assecutum fuisse, contendunt. Hunc in finem locos Aristotelis 8 Phys. context. 48, 49, 52, & 12 Metaphys. context. 43, producentes. Hoc saltem negare non possunt, Aristotelem, præter supremi Orbis motorem, diurni motus caussam, minores insuper Deos, inferiorum orbium motores, statuisse. Quod Aristoteles ait primum motorem esse ἀμερὴς, ϗ μηδὲν ἔχων μέγεθος, *partibus vacans, & nulla præditum magnitudine*: mihi locus perdifficilis videtur, sed ita quidem, ut opinor explicandus, ut Deum infinitum esse, & corporeum inde innuat. Docet enim Philosophus alibi, *infinitum non habere partes*; quod quidem verissimum est. Medietas quippe infiniti ter sumpta, infinitum seipso

ſeipſo magis hoc pacto conficeret, quod abſurdum eſt. Sequetur porro, ſi primus motor nulla eſt præditus magnitudine, ut ſit incorporeus; adeo ut cum noſtra de Deo ſententia Philoſophi heic verba conciliari poſſint; ſi quis tamen aliter ſentit, id per me liceat. Ad Cæli nomina à veteribus uſurpata accedimus, ubi præmittenda eſt notiſſima diſtinctio, *res omnes fieri vel ratione & conſilio, vel Fortuna & caſu, vel Fato, & neceſſitate.* Vnde tria etiam accepit nomina Cælum, quorum primum *Minerva*, ſecundum *Fortuna*, tertium *Parca* fuit. Græcis Minerva eſt Ἀθηνάα, ſive Ἀθηνᾶ, ſtudiorum & doctrinæ Præſes; Ægyptiis *Neith*: harum quinque fuerunt apud veteres à Cicerone memoratæ, ſed quæ omnes ortu mortales, in Deos olim relatæ erant: neque fruſtra igitur eſt Tzetzes in Lycophrontem, ubi ait, *multæ erant Minervæ, & Veneres*: myſtice tamen Minerva, *Cælum* vel Cæli potius ſupremam partem ſignificat. Ita Macr. lib. 3 Sat. cap. 4. *Qui diligentius eruunt veritatem, dixerunt eſſe medium Æthera Iovem, Iunonem vero imum aëra cum Terra, & Minervam ſummum ætheris cacumen; unde etiam Ætheroniam vocatam eſſe, ait Pharnutus.* Ita etiam Auguſtinus lib. 4 de Civ. Dei, cap. 10: *Ætheris partem ſupremam Minervam tenere dicunt, & hac occaſione fingere Poëtas, quod de Iovis capite nata ſit.* Quapropter à Martiano Capella vocatur *celſior una Iove*: verum aliis Minerva eſt *Providentia Divina*: in qua ſententia eſt Pharnutus, qui in honorem Minervæ templa Providentiæ ſive προνοίας poſita eſſe ait. *Fortunæ* etiam nomen Cælo ſive Ætheri olim tributum fuit, ſed præcipue inter Chaldæos, & Genethliacos, qui ex ſyderum diſpoſitione, & συζυγίᾳ, rerum eventum, ſive *Fortunam* colligebant: qua quidem ſub acceptione *Fortuna* aliquid caſu, aut *Sorte* amplius illis denotabat. Heic autem ante omnia *Lunam* ſuſpiciebant, uti quæ ſui ipſius & rerum omnium in hoc inferiori orbe ſolennis & perpetua eſſet immutatrix. Namque in humido, cujus domina & rectrix Luna habebatur, tum generationis & ortus, tum interitus ſive corruptionis, & inde in novas formas tranſitionis myſteria perfici, & abſolvi credebant. Novimus quidem à quibuſdam, ſed præcipue à Poëtis, Fortunam numen quoddam, quod è Cælis dimitteretur, creditum fuiſſe; Iuven. Sat. x. *Te facimus Fortuna Deam, cæloque locamus.* Quam quidem Fortunam qnantumvis cœcam, rationi & conſtantiæ inimiciſſimam eſſe credebant. Cæterum diverſo ab hoc ſenſu de fortuna ſtatuebant olim Philoſophi. Atque recte quidem Cic. 1 de Divinat. ubi ait: *Fortuna eſt quum aliquid ſic cecidit, ſic evenit, ut vel non cadere, & evenire, vel aliter cadere & evenire potuerit.* Cujuſmodi *Fortunam fortunis ſuis ſe anteire velle,* ſcite dixit ſibi Sapiens; niſi forte Proverb. Græcum illi reſtiterit: Τύχη τὰ θνητῶν πράγματα, οὐκ εὐβουλία. Fortuna inter

*Plat. in Timæo.*

Veteres utcunque maxima in veneratione habita fuit: Preces enim suas, haut in iis quæ ex Fato sive lege rerum universali decreta, sed in iis solummodo quæ aliter evenire potuerunt, locum habere existimaverant. Ideo Cic. lib. 3 de N. D. ait, Fortunam à Deo petendam, à se ipso sumendam esse Sapientiam. Fortunæ hujus effigies in Nervæ numismate quodam extat, ubi matrona cum radiata corona Throno sedens, læva sceptrum, dextra forficem præfert: inscriptio est: *Fortunæ P. R.* Aliis depingebatur cum Copia-cornu, & gubernaculo navis: quorum prius manu læva, posterius dextra tenebatur. At Prænestæ, ubi templum celeberrimum Fortunæ fuit, sub duarum sororum imagine colebatur Fortuna, una vultu candido, altera atro. quarum illa apud Veteres *Fortuna Bona*, hæc *Mala* vocabatur; quæ etiam culta fuit. Nam aram malæ detestatæque Fortunæ in Exquiliis extructam fuisse olim, testatur Cic. lib. 1 de Leg. Cebes quidem in sua tabula Fortunam cœcam, amentem, lapidi rotundo pedibus insistentem depingit; quæ etiam hodierno die usitatissima ejus est figura. Ab hisce dissentiens Pausanias, è Pindaro refert, Fortunam esse è Parcarum numero, etiamsi cum Fato potius, quam cum Fortuna convenire videantur Parcæ. Quanti fecerint non Fortunam tantum, sed ejus simulachrum, duo Imperatores Romani optimi, in Spartiano videre est; ubi ait, *Severum Imperatorem,* quum morti appropinquasset, jussisse ut Fortunæ simulachrum in filiorum, quos duos relinquebat, cubiculis collocaretur, divisis inter se diebus; quod divisi ex æquo inter se Imperii erat argumentum. *Antoninus* etiam *Pius*, ut idem author refert, morti vicinus, *Fortunæ* simulachrum in *Marci Antonini* cubiculum transferendum curavit; quod translati quoque Imperii signum erat. Et quidem non solum in cubiculis habebant aurea *Fortunæ* simulachra, sed in publicum etiam efferebant. De templis *Fortunæ* variis inter *Antiates*, *Prænestinos*, *Romanos*, *Græcosque*; & inter alia de illo apud *Eleos*, de quo Pausanias scribit; de Fortuna etiam, quam idem cum Iside numen statuit Apulejus; sed quatenus certe Isis Lunam significat, (quemadmodum supra adnotavimus) plurima dici possunt, quæ aliis tamen tractanda relinquimus. Hoc tamen silentio præterire non possum, tum *Bonum Eventum* post *Fortunæ* numen cultum fuisse, (cujus simulachrum, in Capitolio Romæ positum, describit Plin. lib. 35;) tum *Favorem*, qui inter Romanos *Deus* fuit; tum *Fœlicitatem*, (Græcis *Macariam*, Herculis filiam, in Deos relatam) una cum *Fortuna* in cultu fuisse: quod etiam ex numismate Iuliæ Mammææ Augustæ liquet, ubi imago *Felicitatis*; diversa extat tamen ab illa in Cebetis Tabula. Atque hæc quidem satis ostendunt *Fortunam*, Veteribus, *Cæli*, tum præcipue *Lunæ* vim

*Euripides trag. Heraclides.*

in

in inferiora signasse, atque eo nomine cultam fuisse. *Parcæ* etiam ad *Cælum* reduci possunt. Eas antiqui tres finxerunt; quarum primam hominis *generationi*, secundam *vitæ*, tertiam *morti* præfecerunt. Harum nomina, *Clotho*, quæ *colum* bajulabat; *Lachesis*, quæ *nebat*; *Atropos*, vel *Morta*, quæ *filum incidebat*, vel frangebat: unde etiam *lanificæ Sorores* vocabantur. Nendo enim vitam hominum ducere credebantur: de iis Martialis sic canit:

*Ruperunt tetricæ cùm mala pensa Deæ.*

Hæ è *Chao*, secundum quosdam, emersisse dicuntur. Cicero lib. 3 de N. D. *Herebi* & *Noctis* filias esse, ait. Plato 10 de Rep. eas Necessitatis filias facit; juxta cujus sententiam æqualibus inter se intervallis sedent throno, vestibus albis, capite coronato, ad *Sirenum* harmoniam cantantes: *Lachesis* quidem præterita; præsentia *Clotho*; futura verò *Atropos*: ubi omnes fusum cum matre sua *Necessitate* tractant; *Clotho* dextra, sinistra *Atropos*, *Lachesis* ambabus manibus. Primam harum, quæ generationi præfuit, *Venerem Cœlestem* fuisse, testatur vetus Epigramma; sed hac de re videantur ea quæ supra retulimus. Equidem haud illa *Venus Libitina* fuerit, in cujus templo insignia sepulchralia custodita fuisse, narrat Plutarchus: Clem. Alex. ϛ στρωμάτ. memorat *Parcas* allegorice dici partes Lunæ, videlicet tricesimam, decimam quintam, & novam Lunam, sed hoc cum supradictis vix satis cohæret. De cultu *Parcarum* non habeo quod dicam: hoc solummodo adnotabo, mihi dubium esse, num omnino cultæ essent: nam quorsum propitiarentur numina quæ nullis moventur, neque moveri possent precibus? Atque inde fortasse est quod *Necessitati*, quæ earum mater habebatur, atque *Violentiæ* templum apud Corinthios dicatum, ut refert Pausanias, aditu intercluderetur; ita ut nemini esset fas in illud quocunque pacto ingredi. *Parcæ* autem mystice eam *Cæli* virtutem significant, unde *fatum*, sive permanens rerum ordo provenit; in iis omnibus quæ oriuntur, & occidunt in sublunari hoc mundo: statutas in hunc finem leges, vices & periodos ubique curantes, obeuntes, præstantes. Hæc obiter interea subjungere placuit, nullam apud Veteres extitisse, qualis hodie visitur, *Mortis* effigiem, exesa facie, rictu diductâ, & foraminibus horrida: sed vel tanquam placidus *Somnus* effingebatur Mors: vel *è vivis heic excessisse*, dicebatur quispiam: & tale hujusmodi: ne terror Mortis ita incuteretur, & nihil præter ossa post hanc vitam manere, in hominum animas induceretur. Vnde etiam fortes, & ad Virtutem exercendam alacriores reddebantur. Quia mors olim bonis haut aliud quam transitus in meliorem vitam existimata fuit: ut turpe illis ideo videretur, reliquias hominum hac vita probe defunctorum,

*Pausan. Attic.*

rum, in iis solum qui morituri sive rejiciebant, sive exuebant, cerni. Fuit & olim alia *Fati* pars, non à Poëtis tantum, sed etiam à Philosophis quibusdam, tum præcipue Stoïcis, decantata, cui Iovem ipsum subjecerunt. Huc referuntur ea, quæ extra Dei ipsius potestatem esse jactitaverunt; ut Deum non posse sibi ipsi consciscere mortem; neque facere ut qui vixit, non vixerit; nullumque habere in præterita jus, præterquam oblivionis; & hujusmodi quædam alia: quæ tamen haut aliud innuunt, quam quod extra captum humanum sit, ubi Deus statuitur æternus, & immortalis; ut idem sit quovis modo mortalis; vel ubi aliquid sit factum, id simul sit infectum; contradictionem enim implicant propositiones hujusmodi: & tandem nihil dicunt; res enim esse & non esse, simul notitiæ communi, indubiæ & solenni adversatur, omnisque veritatis elevat testimonium. Haut igitur adeo proterve de Deo O. M. loquantur mortales; neque enim Dei Omnipotentiæ derogant, vel derogare possunt ea quæ inepte ajunt; sed humani ingenii imbecillitatem ostendunt tantummodo, inscitiamque produnt: verumenimvero neque res humanas, nedum Iovem *Fato* subjici, docet *Alex. Aphrod. lib. 1 de Fato*, qui *fatum* omnino tollens, nihil nisi consuetum Naturæ cursum heic agnoscit: cui concinunt & alii; interque alios signanter Plinius lib. 2. Aristoteles *fatum* in naturalibus ponens, ratione eorum Divinam agnoscit providentiam; sic tamen ut non extenderet se ultra Lunam; satis habens fortasse ab Astris reliqua perfici posse; nisi ubi arbitrio humano in quibusdam suppetit jus. Singularia tamen & individua, nisi quatenus in speciebus & generibus suis continentur, à Deo procurari, negabat, inquiens, ἄτοπον esse in illo τὸ διανοεῖσθαι περὶ ἐνίων: sed absurdus heic fuit Stagirita, quum lateret eum prorsus, quænam *Mens* sive intima Dei natura esset, aut in quibus sibi complaceret. Plus igitur heic sibi arrogavit, quam modestum Philosophum, & inter communis rationis pomœria ambulantem decebat; sed quod pejus est, omnem ἀσέβειαν invehit dogma illud; si enim nullam individuorum curam gerat Deus, nonne frustra essent preces quotidianæ, & omnis fere religio? quod vel cogitare, impium! sed fortasse Philosophi verba ita intelligenda sunt, ut statueret absurdum esse, Deum Beatum, curam particularium in momenta quævis gerere, qui ordinem circa particularia ab initio dederit; de quibus fusius ubi de Heroïbus in Cælum relatis erit sermo: quo pacto curam particularium, sed non à Deo immediate geri censeret: Præceptor ejus Plato, *Fatum* quidem ita agnovit, ut neque Providentiam divinam everteret, vel libertatem arbitrii in homine intercluderet. Quin & hæc omnia tum inter se, tum cum iis quæ *continentia* vocantur, adeo apte connectit,

ut

ut unicuique suæ tribuantur partes: & quidem, si à *Providentia divina* rerum ordo aptus, sive fatum deducitur. Si demum in apto illo rerum ordine locum habeat *voluntas humana*, in iis soluni quæ intra ejus arbitrium existunt, hanc multo negotio nosmetipsos ab omnibus controversiis, sæculum hoc torquentibus, expediemus. Scite Chalcidius: *Pessime vitam agere est ex hominis arbitrio: puniri plane ex necessitate fatali.* Dicitur & *Fatum* quoddam *Mathematicum* à Chaldæis, secundum Sex. Emp. ab Ægyptiis, secundum Herodotum, inventum, quos etiam Oracula Sacra, & Ceremonias cœpisse, primos etiam aras, simulachra & delubra Diis, scil. Astris, statuisse, tradunt Historici, & inter illos antiquissimus *Herod. lib.* 2. & alibi. quin & annum primos comperisse, & in duodecim menses distinxisse, narrat idem Author. lib. 2. Non convenisse inter se circa hoc genus *Fati* Chaldæos & Babylonios, author est Lucretius: 2. Carm.

*Vt Babylonia Chaldæam doctrina refutans,*
*Astrologorum artes contra convincere tendit.*

Quænam fuerit illa Doctrina non satis liquet: Babylonios, numeros de quibus *Horat. lib.* 1 *Od.* 11. haut ad Stellas & inde ad *Fatum*, sed ad *Divinationis* quoddam (ex numeris) genus retulerim. Sed non opus est ut pluribus insistam: tota enim circa *fatum Genethliacum* fere est στοχαστική, sive conjecturalis Doctrina. Quippe vix certi aliquid circa particulares eventus prædicunt: circa magis generales, ut vera quandoque prænuntient Astrologi: neque igitur de nihilo est quod vitam homini in genere fœlicem, aut calamitosam esse, ex Horoscopio ejus *Genethliaci* colligunt; præsertim, cùm Ptolomæo teste, Δύναται ὁ ἐπιστήμων πολλὰς ἀποτρέψαι τὰς ἐνεργείας τῶν ἄστρων. *Potest scientiæ hujus gnarus multas evertere Astrorum operationes.* Inclinant quippe, non coguntur. Neque contemnenda est *Albumasaris* observatio, modo constet diversas in diversis sæculis religiones initium cœpisse, per id temporis quando Iupiter in Conjunctione cum Saturno, aut aliquo alio Planeta, fuit: ut diffiteri tamen non possim quin fabulosa de religionum quarundam duratione jactaverit. Proximum est *Fatum Stoicum*, à Cælo etiam tractum, prioribus durum magis & rigidum. Haut id illis tamen *Fatum* est quod *Providentiam* omnino eliminet: à Providentiâ enim *Fatum* ortum ducere, quodammodo volunt; ut non cœcum eorum esset Fatum, sed sapiens & oculeum. Ideo si ex Fato se peccare aliquis dixerit, ex Fato etiam illum puniri debere, respondebant: neque igitur æquabile illud rerum Systema ex fatali eorum decreto pessundant, sed constituunt, & erigunt; *Virtutem* ante omnia sancientes, & stabilientes: adeoque causas rerum non tollunt, at effectus ex aptâ earum dispositione subsequi volunt.

funt. Sed plura huc facientia, videre est in Cic. de N. D. Quam certa sit Stoicorum opinio, haut heic disputaverim; Platonicos quidem hoc in Argumento palmam reliquis Philosophis præcepisse censeo; clarius enim id quod res est dicunt. Ut finem tandem faciam ex mente Philoso-
*Sen. l. 4 de Ben. c. 7.* phorum enunciato, verba Senecæ subjungam, ubi de *Deo* loquens, ait: *Vis illum Fatum vocare? non errabis; hic est ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum. Vis illum Providentiam? recte dices: est enim cujus consilio huic mundo providetur, ut inconcussus eat, & actus suos explicet: vis Naturam vocare? non peccabis: est enim à quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus: Vis Mundum? Ipse est enim totum quod vides, totus suis partibus inditus, & se sustinens ut sua.* Atque hæc de *Fato Cælesti*, juxta veterum Philosophorum placita sufficient. De *Fato Christiano*, uti à doctissimo Vossio vocatur, non est opus ut aliquid attexam; tum quod inter Christianos nomen *Fati* fere explodatur, tametsi à Platonicis, (quantum mihi liquet) verbis potius quam reipsa dissentiant; tum, quod instituti mei haut sinat ratio, ut alia quam quæ ad Ethnicorum religionem spectant, heic reponam.

## CAP. X.

### *De cultu quatuor Elementorum, variisque eorum nominibus.*

DE Astris egimus & Cælo, quod quintum Elementum, sive Principium, vel initium (ut cum Cicerone lib. 1 Acad. loquar,) Philosophis est in corporibus mixtis. Inter quatuor autem Elementa *Ignis* est subtilissimus, acutissimus, & ad motum aptissimus: *Aër* est subtilis, acutus, & post Ignem maxime mobilis: *Aqua* crassa, obtusa, mobilis: *Terra* crassissima, obtusissima, & sibi constans, seu immobilis. De iis Aristoteles in Metaph. τὰ τῶν σωμάτων στοιχεῖα λέγουσιν εἰς ἃ διαιρεῖται τὰ σώματα ἔσχατα, ἐκεῖνα δὲ μηκέτι εἰς ἄλλα εἴδει διαφέροντα σώματα. *Corpora Elementa dicunt ultima, in quæ corpora dividuntur, illa vero non ulterius in specie differentia corpora.* Ex hisce, juxta Ciceron. & alios, *Ignis*, & *Aër*, movendi vim habent, & efficiendi: *Aqua* & *Terra* patiendi: Aristoteli tamen Aër patitur, quia humidus est: Aqua magis agit, quam patitur, quia frigida est: sed Aristotelis heic concidit ratio, si modo Aër suâpte naturâ cumprimis sit frigidus: quod quidem doctissimi viri perhibent: ubi enim calore Solis destituitur, refrigerat per se Aër, ipsam etiam Aquam congelans, & conglacians. Cæterum

ita

ita mixtæ ſunt Aëris & Aquæ qualitates, ut quid in illis ſit ſyncerum, vix dici queat: adeò ut non multum inter ſe diſcrepent Aër condenſatus & Aqua rarefacta. Verum enim vero ſi *Sinenſium* opinio obtinet, nullum erit prorſus Aëris elementum: quod enim nos Aërem dicimus, nihil illis niſi *Matris Telluris halitus* eſt, quæ ex uberibus ſuis nos alit undequaque & nutrit quam diu heic agimus, & ex morte (ubi naturalis fuerit) tandem ablactat; Animâ tum temporis, tanquam ſui compote, in proprium jus dimiſsâ: quapropter etiam non halitum ita homini, ac hominem halitui ſubtrahit. Quorſum enim animabus noſtris opus eſſet Aëre, cum in puriora evolantes, inferiori nullo Elemento indigent? ut ut Sinenſes heic philoſophentur, compertum ſatis eſt homines ubi altiſſimos montes ſcandunt, (cujuſmodi ſunt illi qui in Indiis Occidentalibus *Andes* vocantur) non anhelos ſolum fieri, ſed ob Aëris tenuitatem illam, ut inde pulmones officio ſuo non ſatis fungantur, in terram ſemianimes cadere, prorſus conceptum intus Aërem expiraturos, ni cito ab iis qui ſequuntur, in inferiores montis partes retrahantur. Quod quidem argumento eſt, craſſiuſculum eſſe debere quem ducimus Aërem, terræque vicinum. Quæ omnia huc adduximus, ut doctiores hanc Sinenſium opinionem in examen producant. Si enim id quod Aërem vocamus, non niſi tenuis quidam fumus eſt ab humido illo ortus, quod à calore in viſceribus Telluris exiſtente concoquitur, & exhalat, non niſi tria erunt Elementa. Sed ut argumentum noſtrum proſequamur, quatuor in præſens ſtatuemus, quæ *Quaternarium* ſive *τετράδα* vocant Pythagoræi, per numerum illum tanquam ſanctiſſimum numen jurantes. Ab hoc enim numero tanquam radice quadam & fundamento, omnia provenire, vult Hierocles. Coacervatio enim à monade uſque ad quatuor facta, denarium numerum reddit, ultra quæ nulla regio, nullumque idioma aliquando ita progreſſum eſt, ut monadā non eum calculum reſumeret. Qui numerus etiam continet omnia numerandi genera, par & impar, quadratum, quadrantalem, longum, latum, tubalem, pyramidalem, primum & compoſitum: quemadmodum à Fr. Geo. Ven. lib. 3 de Harmon. Mundi, obſervatum eſt. Continet porro quaternarius omnem muſicam conſonantiam, cum in ipſo ſit proportio dupla, tripla, quadrupla, ſeſquialtera, ſeſquitertia; unde *Diapaſon*, *Diſdiapaſon*, *Diapente*, & *Diateſſaron*; & *Diapaſon* ſimul cum *Diapente* reſultat. Vnde etiam fœdus illud & harmonia in ſymbolicis Elementorum qualitatibus invenitur. Huc reſpicit Boëthii illud: *Arist. probl. Hierocles.*

----- *Tu numeris Elementa ligas.*

ſed non ſolum proportio harmonica & Arithmetica, ſed & Geometrica etiam Elementis olim tributa fuit. Ideo Timæus Locrus ex ſecta

I Pytha-

Pythagorica, & post eum Plato, istiusmodi figuras Elementis ascripserunt. *Terræ* primum cubum octo angulorum & sex laterum in Formâ tesseræ: & hoc ob ejus stabilitatem, gravedinem, & motus difficultatem: *Ignem* autem in Pyramidem quatuor basium, & quatuor angulorum formant; ut faciliorem habeat ascensum: *Aërem* in octoedrum, i. e. in octonorum sessuum corpus conducunt, videlicet ex octo basibus & sex angulis solidis, viginti quatuor vero planis: & hoc quia in ascensu ignem consequitur. *Aquam* denique figuram *eicosaedram* tenere dicunt, quæ habeat bases viginti & angulos duodecim; eo quod Aqua suâ flexibili naturâ mobilis sit, atque divisioni perfacilis. Quæ omnes figuræ ex quaternario tractæ sunt: nam Terra ex duobus primis quadratis; Ignis ex quatuor basibus & totidem angulis; Aër ex bis quatuor basibus: duplicantur enim ut ex utraque parte penetrativus sit, & facilioris motus: Anguli vero plani ex sex quaternariis: Aqua autem ex viginti basibus, & duodecim angulis, quæ 32 conducunt: qui numerus est ex duobus quadratis, quorum radix est quaternarius. Sunt iterum bases ex quinque quaternariis, anguli vero ex tribus: Et hæc omnia collocant universi in figura *duodecaedrâ*, id est in sessili per duodenos situs, quæ est ex duodecim basibus pentagonis, & viginti solidis, planis autem sexaginta: quæ omnia à quaternario oriuntur: duodecim ex tribus quaternariis, viginti ex quinque, sexaginta ex quindecim. Eorum autem Elementorum omnium consonantia ex illis basibus & Angulis colligitur plenissima. Aëris ad Ignem est proportio dupla in basibus; in angulis solidis sesquialtera; in planis vero dupla: unde resultat harmonia duplicis Diapason & Diapente: Ignis vero ad Terram in basibus sesquialtera proportio, in angulis vero dupla, ex quibus diapason iterum & diapente: Terræ autem ad Aquam in basibus est proportio tripla sesquitertia; in Angulis sesquialtera; unde diapason, diapente, & diatessaron, in basibus, in Angulis vero diapente resultat. Aquæ vero ad Aërem in basibus dupla, sesquialtera, in Angulis vero dupla; unde Diapason & Diapente in basibus, in Angulis vero iterum diapason consurgit. Deficit tamen aliquantulum consonantia & proportio Ignis ad Aquam, Aëris ad Terram, quibus inest plena in qualitatibus contrarietas, ab ea proportione quam habent Elementa suo ordine collocata, & ubi duo semper conveniunt per intermedium, quod de utroque participat; ut supputare possunt experti. Plura huc spectantia videre est in Fr.Ge. Ven. To. 3 de Har.Mund.Sed de octaedro & eicosaedro obijcit quædam Io.Grammaticus l. de Mundi æternit. cui respondit Carpentarius in Alcinoi c.2. Certum est in misturâ suâ Elementa omnes induere figuras: Quapropter ita dirimendam con-

controversiam esse censeo, ut Pythagorici de propriâ Elementorum figurâ loqui intelligantur, contra sentientes, de adventitiâ & accidentali. Formam quidem pyramidalem Igni convenire, docet Theo. lib. de Igne. Qui quanto est superior, tanto à pabulo absit; adeoque in fastigium assurgit. Cæterum hæc omnia de Elementis, quatuor (ut opinatur Fr. Geo. Ven.) ad Hebræorum Tetragrammaton arcanâ quâdam ratione alludunt; quod an sit verisimile, aliis discutiendum relinquo. Equidem Ignem solum inter Elementa Deo convenire, videre licet in Deut. & B. Paulo, sive Clemente, sive alio scriptore ad Hebræos, ubi aperte dicitur *Deus ignis est:* quæ sententia etiam inter Persas olim obtinuit: sed hæc sano modo intelligenda sunt. Mysteriorum quum fœcunda sic essent Elementa, eorumque rationes & proportiones variæ inter se contemperatæ captum humanum exuperarent: cum demum ab illis orirentur corporea omnia, & in illa tandem redirent, in communem cultum unà cum Astris & Cælo adscita inter Gentiles erant Elementa. Indecorum quippe existimabant, ut ubi totus sensibile Dei simulachrum esset mundus, ut remotiores ejus partes colerent, propiores negligenter haberent. Hisce & multis aliis rationibus (quarum quasdam in principio lib. attulimus) freti Gentiles, haud segniter Elementis cultum quendam particularem dicaverant: Sacerdotibus eorum hunc in finem diversos ritus & ceremonias excogitantibus, quibus populi animos percellerent, & in religiosam observantiam astringerent. Nihil enim quovis sæculo illis prius fuit, quam ut arcana quædam mysteria populo traderent, sed quæ illi soli comminiscerentur, & populo deinde aperirent, sive explicarent, sive etiam (uti illis ita visum esset) silentio premerent, quod tum in Proserpinæ Sacris, tum aliis factum: Præstitit sc. gregi & populo ut quædam nescirent; tum ea præsertim quæ neque Sacerdotes ipsi, neque ullus mortalium intelligere satis, & tanquam divina asserere poterant.

Fr. Geo. Ven. Tom. 3. c. 13.

## *De Igne.*

AB *Igni* ordiar, sed puriori, uti qui ab Æthere sive Cælo Elementum proximum inter Gentiles haberetur. Hujus Elementi locum, primus quod sciam extulit *Ocellus Lucanus* Pythagoræ auditor, qui *Ignem* Elementarem sub Lunâ supra Aërem statuit. Quam sententiam amplexus est *Empedocles,* & post eum Harpocrates, cui tandem assensum præbuit ipse Aristoteles, suppresso tamen Ocelli nomine. Cæterum uti à nonnullis veterum doctissimis sententia de Elemento *Ignis* haut satis probata fuit; ita recentiores quidam illam prorsus rejiciunt & explodunt; quum sive antrax, sive flamma, sive lumen solummodo sit *Ignis*

Elementalis, & sese, nullo ad externos sensus indicio, consignet: (quamvis ejus sit magnitudinis ut Solem plusquam octingenties, Terram millies superet) sed pergunt dicere, non voracem & absumentem esse *Ignem* illum, sed lenem & blandum. At quomodo tunc ab Æthere differret? & porro si tale ibi Elementum existeret; non viderint quo pacto cum Elementis, quæ heic in procinctu sunt, ita commiscerentur, ut è sede suâ in compositionem aliquam cum *Aquâ*, *Aëre*, & *Terra* veniret. Quamobrem satis fuerit *Igneam* illam vim sparsim per omnia diffusam in Sole & Astris ipsis quodammodo, tum in intimis Terræ visceribus deprehendi posse; cujusmodi *Ignem* revera esse, plurimis argumentis probant recentiores. Facessere igitur jubent Elementum *Ignis* cum crassitie sua (quam Astronomi quidam M. P. 115567 esse tradunt) uti qui neque ad conspectum, neque ex effectibus suis sese satis prodat. Atque sane haut liquet quomodo adeo ingens & lucidum Elementum latêre possit sensum, quum superiora illa sydera à Sole tantummodo collustrata, in tantum coruscent & scintillent. Quapropter in Sole fontem caloris posuerim, cui terrestris & subterraneus proportione quâdam respondens subservit, ac ubique operam legat, dum quasi vicarius Sol in Terris præcipua Solis obit munera. Ideo Solem symbolice in Igne, uti in Sole Deum summum venerabantur antiqui: turpe existimantes, ubi adeo præclara divinitatis imago daretur, illi non cultum aliquem inferiorem deferre. Sed non solum Elementum illis simplex videbatur *Ignis*, verum etiam reliquorum Elementorum forma vitam & motum illis sufficiens, & (ut Hippocrates putavit) sensum: calidum enim omnia cernere & audire docuit: Corruptioni quoque minime obnoxium esse statuit; fœcundus demum adeo habebatur *Ignis*, ut seipsum modo quodam particulari generaret, ex claustris reliquorum Elementorum subitaneâ renovatione emicans; quamvis enim Elementa maris & fœminæ rationem aliquam induant, *Ignis* tamen perpetuâ vice quâdam illa superat. Huc referre licet quæ Seneca in Q. N. scribit, Ægyptios ex singulis Elementis bina fecisse, unum masculum, alterum fœminam: nam in Aëre ventum masculum esse dicebant; fœminam vero id quod non moveri caliginosumque esse videtur: Salsam Aquam marem, dulcem, fœminam: in *Igne* id masculum esse quod comburit, quod lucet verò, fœminam. In *Terrâ* masculum esse quod est durum, ut saxa; fœminam, quod molle & culturæ est patiens. Certè quidem si in ipsis arboribus & plantis uterque sexus adinveniatur, (quod *Botanici* tradunt) non de nihilo erit quod Ægyptii ajunt, rudem quandam maris & fœminæ delineationem in ipsis Elementis dari posse. *Ignis* porro quod homogenea congregaret, heterogenea segregaret, artifex

summus

summus in constitutione & plasmate hujus mundi credebatur. Quod quidem officium nisi calor internus in nobis præstaret quotidie, cito exsolveretur compages humana, & novo inter se fœdere facto, pristino loco cederent Elementa, & in alienum jus venirent; ut summæ propterea calori naturali in hominis fabrica tribuendæ sint partes. Inter Philosophos Parmenides quidem *Ignem* principium Universi statuit: Heraclitus Ephesius *Igneam Vim*. etiam Hippocrates (Galeno teste) ait τὸ σύμφυτον θερμὸν, id est *animatum calidum* omnium naturalium operum esse authorem. Hippasus Metapontinus etiam *Ignem* coluit. Iulius Firmicus demum refert Persas & Magos omnes, qui Persiæ regionis incolunt fines, *Ignem* præferre, omnibusque Elementis præponere: neque mirum, cùm illum pro Deo habuerint, uti postea patebit. Sed multi hoc in argumento cum sudarint scriptores, hosce per me liberè consulere licet. Hoc saltem subticere non possum, Hebræos (quatenus ex verbis eorum colligere licet) Deum suum vel Deum Israëlis hoc nomine passim signasse, ut videre est Ex. 3, 27. 19, 18. 24, 17. Deut. 4, 12. 15 & 24. ubi & Deu. 9. 3. *Ignis consumens*, vel *devorans* aperte dicitur, & Paulus Apostolus ad Hebr. 12, 29. quemadmodum supra adnotavimus. Quapropter etiam super altare *Ignem* jugiter alere, præceptum est: Levit. 6, 6. Qui mos inter Persas, Græcos & Romanos obtinuit, uti postea patebit. Sed heic Commentatores nostri quoque audiendi sunt. Quum *ignis* inter Gentiles in Divinitatis symbolum aliquod (ut Vossius monstrat l. 2, c. 64) venisset, multi honores cultusque sub diversis nominibus illi decreti publice fuerant. Qui autem primus *igni* cultum tribuit, Nimrodus, (Ninus etiam vocatus,) fuit. Ita Chronici Alex. scriptor, οὗτος ἐδίδαξε Ἀσσυρίους σέβειν τὸ πῦρ. *Ille* (sc. Nimrodus) *docuit Assyrios ut colerent ignem*. Credibile autem est, inquit doctissimus Vossius, ab eo cultu *Vr* vocatam Babyloniæ urbem, quæ aliter *Vrie* & *Camarina*: unde *Cumerim* Sacerdotes Chaldæorum dicti: Ab Vr autem totam Chaldæorum regionem vocatam fuisse Ὀρχὸη arbitratur idem Vossius: Ab *Vr* etiam Latinum *Vro*, & Græcum Πῦρ deducit. In hac demum civitate natum fuisse Abrahamum (qui τὴν χαλδαϊκὴν, hoc est Chaldæorum Philosophiam reperisse traditur) verisimile ducit, quum ab eâ profectus sit, Gen. 11, 31. & in ea frater ejus mortuus sit: ut tamen incertum esset, quousque ille cultus inter Chaldæos & Assyrios processerit. Extra dubium est *Ignem* à Persis cultum fuisse, ut Herod. l. 3 ait: deinde addens rationem cur corpora inter illos non cremarentur. Nefas enim duxerunt ut *Deus Ignis* cadavere depasceretur: hæc Herod. unde morem sacrificandi homines vivos, immo & charissimos liberos, ortum esse existimo; Sacerdo-

*Cic. Acad. Quæst.*

*Gal. de Pl. Ph. & Ar.*

*Euse. l. 9. prep. Evang. c. 17.*

*Ptolem.*

cerdotibus interea suadentibus illos haut ita flammis & *Igni* devoveri, ac ipsi Deo tradi inferique. Tantum potuit olim Sacerdotum sive impietas, sive atrocitas! Lucianus etiam in *Iove Tragœdo* ait, Persas πυρὶ θυεῖν, *igni sacrificare:* quod etiam testantur plurimi *Patres* cum *Græci*, tum *Latini*. Atque heic de cultu Symbolico Dei præclarum locum ex Maximo Tyrio dissertat. 38, quem adducit Vossius, supprimere non possum: τὸ Βαρβαρικὸν ὁμοίως ἅπαντες ξυνίεσι τοῦ Θεοῦ, κατεστήσαντο δὲ αὐτοῖς σημεῖα ἄλλοι ἄλλα, Πέρσαι μὲν Πῦρ ἄγαλμα ἐφήμερον, ἀκόρεστον, καὶ ἀδηφάγον. quod sic vertit Vossius: *Barbari omnes pariter Deum esse intelligunt; constituêre interim sibi alia atque alia signa: Ignem Persæ imaginem quæ unam duret diem, vorax quid & insatiabile.* ubi reijcit versionem Cl. Viri, qui pro ἄγαλμα ἐφήμερον *Elementum quotidianum* reponit. Laudo quidem Vossium, quod *Imaginem* vice verbi *Elementum* substituerit, sed verbum *quotidianum* non improbo: modo inde intelligatur *ignem quotidie renovatum fuisse:* quod antea probavimus, & postea clarius patescet. *Ignis* autem, sive pompâ, sive, quod potius crediderim, religionis causâ, præferri solebat Regibus Persarum in sacrariis quibusdam, quæ πυρεῖα, sive πυραίθεια à Græcis vocabantur. Huc facit Amm. Marcell. locus l. 23. *Feruntque etiam, si justum est credi, Ignem cælitus delapsum, apud se sempiternis foculis custodiri, cujus portionem exiguam, ut faustam, præisse quondam Asiaticis regibus dicunt.* Et sane si *Ignis* Persarum cælestis esset originis, non video quomodo vel extingui posset, vel deberet; quod tamen, regibus eorum extinctis, factum esse, tradit Diod. Sic. l. 17. Fabulam igitur explodimus: cæterum verum esse censeo, quod *Ignem perennem* (nescio an in imitationem Hebræorum) servaverint Persarum sive Sacerdotes sive Magi, Πυραιθοι inde dicti. Manavit hic cultus illorum in Medos reliquasque Asiaticas Gentes, & Sauromatas ipsos ac alios, de quibus postea. Hujus cultus mentionem facit quoque Glycas in 2 Annal. ubi ait à Perseo quodam proximo post Sardanapalum rege Assyrios Persas vocatos, Assyriis sic à nomine suo nuncupatis; atque illius tempore *Ignem* è Cælo lapsum fuisse, eumque hac ex caussâ Templum condidisse, *Ignisque* cultum religiosum præcepisse. Sed *Ignem* etiam hodierno die coli in aliquibus Persiæ locis, author mihi est Vossius, ex cujusdam amici ejus narratione. In Ægypto quoque sub nomine *Vulcani* olim colebatur *Ignis*, quem Vulcanum patrem fuisse *Solis* regis, tradit Chron. Alexand. Sed quia Astrorum nomina Regibus olim, tum Regum Astris imposita fuere, difficile erit aliquid certi heic statuere: Videatur Manetho Ægyptius, & Diod. Sicul. l. 1. Bib. & Eus. l. 2 de Præp. Euang. c. 1. Sed plurimi fuerunt quondam Vulcani, inter quos Ægyptius ille *Opas* vocabatur, quem custodem esse volunt Ægyptii, ut habet

*Strabo.*

*Clemens 4. recogn. & Clem. admo. ad Gentes.* 11.

habet Cic. l. 3 de N. D. cæterum mystice (ut author est Varro) Vulcanus *Ignem* crassiorem & vehementiorem, utpote fabrilem & fornacalem *Vesta*, & (secundum quosdam) *Pallas* leviorem & puriorem *Ignem* significat. Maximo in honore *Vulcanus*, qui Græcis Ἥφαιστος, Ægyptiis fuit; cui ideo Templum magnum & ἀξιοπηγητότατον (ut refert Her. l. 2.) in Memphi extruxerunt: Colossum ei 75 pedum illic erigentes. Cujus Sacerdotes etiam ea in existimatione fuerunt, ut ex eorum Collegio in regiam dignitatem Setho Sacerdos suffectus esset. Hujus in Sacrificiis mos fuit, ut quicquid oblatum esset, flammis traderetur. Ita Tarquinius Priscus Sabinis devictis, omnia eorum arma in *Vulcani* honorem combussit. Inter animalia Leones *Vulcano* dicati erant, ob ingentem illorum fervorem, ex quo febricitare ut plurimum dicuntur. Canes quoque in custodiam Templi ejus nutriti fuere. Templa *Vulcani* inter Romanos plurima fuere, quorum antiquissimum à Romulo in Exquiliis extra Romam extructum fuit arcanâ ratione, ne Deus scil. qui comburentis Symbolum erat *Ignis*, in urbe sedem haberet. Quæ sacrificia *Igni* olim offerebantur, Holocausta fuere; adeo ut eo peracto, nihil non in cinerem versum esset. Aliud Sacrificii genus fuit, ut quæ ex arâ deciderent frusta, vel à Sacrificio forte superessent, ea populo à Sacerdotibus distribuerentur; adeo ut in epulis ita desineret Sacrificium. Aliud tandem hujusmodi Sacrificii genus fuit, quod vocabatur *Protervia* ab Epulis incipiens; ubi mos erat (tradente Macrobio) ut siquid superfuisset, id *Igni* consumeretur: quo pacto in Sacrificii quoddam genus desinerent Epulæ. Huc respexit Cato, qui lepide Albidium quendam ridens, dixit eum, quod bona sua comedisset, vel abligurisset, & novissime demum quæ ei reliqua essent, incendio perdidisset, *Protervíam* fecisse. Quanti porro inter Veteres Romanos Vulcanus habitus esset, ex Dion. Hal. l. 2, 6, 7, 11. videre est; quum in ejus æde cœtus cogerentur, & negotia publica tractarentur, *Vulcanum*, nempe *Ignem* ultorem sane advocantes, ni vota pactaque servassint; adeò ut religiosius heic quam alibi fides præstita esset. Et quidem, si quid metus olim in religione potuit, à nullo eorum Deo quocunque magis, quam ab *Igne* sibi metuere potuerunt Gentiles; quin fortasse neque magis Bonum hac in vitâ saltem sperare, quum tot Bona, tot etiam mala præstiterit *Ignis*. Sed & aliud *Ignis* nomen veteribus *Vesta* fuit, licet nonnullis etiam Terram significaret. Quatenus *Ignis* Symbolicum nomen esset, *Vesta* Ἑστία Græcis, uti Vulcanus Ἥφαιστος vocabatur, sic Ovid. 6 Fastorum: *Cartar.*

*Nec tu aliud Vestam quam vivam intellige flammam.*

Qui tamen Poëta de *Vesta*, quatenus Terram significat, loquens, ait: *Stat vi Terra suâ, vi stando Vesta vocatur:* utramque sententiam conciliare videtur

videtur Dion. Hal. l. 21, ubi ait, *Ignem* dicatum esse *Vestæ*, quod cum Dea sit *Tellus*, mediumque mundi locum obtineat, *τὰς ἀνάψεις τοῦ μεταρσίου ποιεῖται πυρὸς ἀφ' ἑαυτῆς*, *sublime ignes micantes ipsa ex se accendit.* In cujus loci explicatione haut assentari possum doctissimis viris Lipsio nempe & Vossio, qui pabulum *ignibus cælestibus* ex Tellure præberi, inde colligunt: non video enim quà ratione verba Dion. in hunc sensum trahi possint. Quomodo enim Tellus ex sese accendens *Ignes* portione adeo exiguâ, respectu tot immensorum Corporum Cælestium, pabulum illis subministraverit? Iejuna equidem foret illa alimonia, præsertim, quum tanta halituum copia in mediam aëris regionem sublata, & in Aquam, nivem, & grandinem, aut in ventos, nubes, caligines conversa, vel in Tellurem denuo cadat, vel in Aërem dissipetur. Quapropter cum erudito Cartario existimaverim Vestam esse puriorem illum ignem, qui vitam cunctis terrà nascentibus tribuit; eoque nomine à Vulcano crassiore sc. igne distingui. Novi recentiores quosdam opinioni Cl. Vossii heic favere: cæterum illis hac in re suffragari nequeo: licet in sublime admodum attolli vapores facile concesserim; verum illis pasci Solem haut existimaverim. Vti *Vulcani*, ita *Vestæ* cultus antiquissimus in Italia fuit. Cæterum cultum illum Romani illic ab Albanis accepere; Albani ab Ænea, & Trojanis. ita Ovid. l. 2 Fast.

*Vidimus Iliacæ transferri pignora Vestæ.*

Hoc etiam Veteres quidam nummi probant, in quibus videre est *Vestæ* templum rotundum, & Æneam patrem Anchisem humeris portantem; atque unâ manu Palladium Cælo (si fas est credere) delapsum ferentem, alterâ ducentem filium Iulum, sacra alia gestantem; quæ omnino cum iis, quæ à Dion. Hal. l. 2, & aliis asseruntur, conveniunt. Numa primus *Vestæ* Templum in Romà condidit. Hoc ne Romulus ante eum faceret, obstitisse creditur, quod ex Vestali Virgine compressa, vel à Marte, hoc est Martis Sacerdote, (inquit Vossius, vel Martiali & militari homine, quod æque verisimile) genitus esset Romulus; neque igitur *Vestæ* Templum condere, vel supplicium de Vestalibus Virginitatem deponentibus sumere potuisse, ob domestici probri recordationem, ut ait Dion. Hal. l. 2. Licet à Romulo introductas fuisse *Vestales*, tradant Plut. in Romu. Propert. l. 4. el. 4. Cic. de Harusp. respons. Ideò curiatim focos publicos per universam urbem distribuit, quibus *ignes perpetui* servarentur. Cæterum Numa, focis hisce suo loco relictis, unum omnibus communem medio inter Capitolium & Palatium spatio constituit, cujus custodiæ *Virgines Vestales* dicatæ, primò 4, posteà 6, præficiebantur: quo numero nempe *Senario* usque ad suum tempus mansisse, testatur idem author. De Templo Vestæ extructo meminit Plu-

Dion. Ha. 12.

Plutarchus: Traditur (inquit) Numam custodiæ causa perenni *Igne Vestæ* Templum circundedisse, quod rotundum ab eo extructum est, non ut Terræ (quasi ea *Vesta* esset) sed ut Vniversi naturam exprimeret, in cujus medio ignem collocatum Pythagoræi censent; eam Vestam & Vnitatem appellantes: ubi quantum Pythagoræi etiam *Igni* tribuerint, videre est. Atque verò *Ignis* cultum magis antiquum, & universalem fuisse, quam vulgo creditur, existimo. Multa enim alia numina, sive Deos heic, & ubique, ut coluerint olim Gentiles, quin ut præclariora judicaverint, nullum tamen numen adeo subitaneum, præsens, & in utramque partem anceps, ac ipsum *Ignem* putaverant, ut qui ad juvandum sive nocendum, prout insumeretur, paratus esset. Atque inde fortasse est quod Pauſ. in Sacrificiis, quæ solemniter in Olympia fiunt, ait, θύουσι δὲ μὲν Ἑστίᾳ πρώτῃ, δεύτερον δὲ τῷ Ὀλυμπίῳ Διί. Sacrificant Vestæ primum, tum secundo loco Iovi Olympio. Ita etiam Servius docet, nullum sacrificium sine *Igne* esse, Vestamque in omnibus invocari. Huc respicit Ovid.

—— *inde precando*
*Dicimus, O Vesta, quæ loca prima tenes.*

Cic. 2. de N. D. ait: *Vis etiam Vestæ ad aras & focos pertinet; itaque in ea Dea, quæ est custos rerum intimarum, omnis precatio & Sacrificatio extrema est.* Ignis hujus perennis custodia in Græcia & adjacentibus regionibus viduis quibusdam, quæ Πενθιστρίνιδες vocabantur, tradebatur. In Italia vero Virginibus, lege ita constituta, ut per triginta annos manerent puræ à nuptiis, Deamque sacrificiis aliisque indictis ceremoniis colerent, adeoque ut primo decennio rationem sacrorum discerent, sequenti exercerent, postremo alias docerent. Quo tempore exacto, nihil vetabat eas, si quæ vellent positis ornamentis & reliquis sacerdotii insigniis, nubere: quod paucas sed parum fœlici vitæ exitu fecisse, narrat idem author. Atque hisce Virginibus multi & eximii honores de Civitate decreti fuere; sed & pœnæ etiam gravissimæ, si stupratæ essent. Virgines tamen ut plurimum manserunt, eoque magis quod nullis noctu eorum Templum ingredi fas esset. Inter hasce *Æmiliam* & *Tatiam* miracula edidisse, author est idem Dion. Hal. Tum Vestæ in templo occulta quædam Sacra deposita fuisse solis æditius cognita, & Virginibus: inter quæ *Palladium* suprà memoratum prorsus fuit, tum ipse *fascinus*, cujus propudiosam imaginem colebant Vestales; ut fascinum pueris depelleret, ubi collo eorum appenderetur. Tantum porro potuerunt, ut fugitiva mancipia nondum egressa urbe, in loco retinerent precatione sive carmine quodam: cujus vim (ut ait Plin.) approbaverant 830 annorum eventus. quo vel alio consimili usa Ta-

*Dion. Hal.*

tia Vestalis incesta, aquam in cribro tulit. A. V. DCIX, ut refert idem Plin. lib. 28, cap. 11., & alia magni inter illos momenti : quum ob ereptâ è flammis sacra illa Q. Cæcilius Metellus statua cum elogio in Capitolio donaretur. Nullam hujus Vestæ imaginem olim fuisse, refert Pauf. in Corinth. & Ovid. in Fastis :

*Effigiem nullam, Vesta vel Ignis habent.*

Vestæ tamen imago in nummis antiquis cernitur, ubi focus in Templo ejus visebatur, cui Virgines præstabant, suffibulis longa & quadrata forma vestitæ, acerram una manu, altera simpulum tenentes, uti ex nummo quodam antiquo à Choul Delphinate adducto, videre est Agellium, & Alexandrum ab Alex. cap. 18. qui etiam numerum Vestalium usque ad viginti auctum tandem fuisse tradit, cum Ambrosius septem tantum accenseat, uti I. Lipsius tradit, qui an eo numero fuere dubitat. Quarum quæ prima, à Pontifice capta, vel electa, *Amata*, quæ præcipua, *Maxima* vocata fuit, uti ex inscriptione quadam antiqua Fl. Moniliæ dicata liquet. Capillos quos alebant virgines Vestales, ad Lothon Arborem ( Plin. authore lib. 17. ) deferebantur. Anne quod Iunoni sacra hæc arbor fuit, quum è luco lothis consito nomen Lucinæ acceperat : Vestales autem, quia nuptias detrectabant, Iunoni pronubæ hæc spolia offerrent, priusquam in Collegium à Pontifice cooptarentur. De earum tonsura Festus : *Tondebantur Vestales, cum in Sanctum id Collegium receptæ à Pontifice certo carmine sacrarentur, & Dis voverentur.* Ex publico sumptus illis erogabantur focum publicum servantibus, ubi si ignis aliquando extingueretur, fomentis in vasculo cavo impositis, & Solis radiis in ejus centro exceptis, flamma denuo concipiebatur, Plutarcho teste. Ignis hic quovis ex casu extinctus, calamitatem aliquam publicam portendebat : hoc siquando evenit, omnia civilia intermittebantur negotia, & Iustitium indictum, donec procuratio solennis institueretur. Atque si non extinguebatur, accendebatur quotannis Kalendis Martiis. Et hi fere omnes Vestalium ritus unà cum Vestalibus ipsis aboliti fuerunt, Theodosii Senioris sæculo, Symmacho frustra orante ; qui tamen prodidit sequutam hoc fuisse famem publicam, & spem Provinciarum omnium messi ægra deceptam fuisse ; addens porro necesse fuisse perire, quod omnibus religionibus negabatur. cui tamen respondit Prudentius, Vestales illius sæculi describens :

Lips. Synt. de Vest. & Vestal. Agellius.

* Ov. 2. Fast.

*Ultima legati defleta dolore querela est,*
*Palladiis quod farra focis vel quod stipis ipsis*
*Virginibus, castisque toris alimenta negentur.*
*Vestales solitis fraudentur sumptibus Ignes.*

Postea vitam moresque Virginum describens, sic ait :

Quæ

*Quæ nunc Vestalis sit virginitatis honestas,*
*Discutiam, qua lege regat decus omne pudoris.*
*At primum parvæ teneris capiuntur in annis,*
*Ante voluntatis propriæ quam libera secta,*
*Laude pudicitiæ fervens & amore Deorum ,*
*Iusta maritandi condemnat vincula sexus,*
*Captivus pudor ingratis addicitur Aris.*
*Nec contemta perit miseris, sed adempta voluptas,*
*Corporis intacti mens non intacta tenetur :*
*Nec requies est ulla toris, quibus innuba cæcum*
*Vulnus, & amissas suspirat fœmina tædas.*
*Tum quia non totum spes salva interficit Ignem ;*
*Nam resides quandoque faces adolere licebit ,*
*Festaque decrepitis obtendere flammea canis ,*
*Tempore præscripto membra intemerata requirens,*
*Tandem virgineam fastidit* Vesta *senectam*
*Dum thalamis habilis timuit vigor, irrita nullo*
*Fœcundavit Amor materno viscera partu.*
*Nubit Amos veterana sacro perfuncta labore.*
*Desertisque focis quibus est famulata Iuventus ;*
*Transfert emeritas ad fulcra jugalia rugas ;*
*Discit & in gelido nova nupta tepescere lecto.*
*Interea dum torta vagos ligat Infula crines,*
*Fatalesque adolet primas innupta Sacerdos,*
*Fertur per medias, ut publica pompa, plateas*
*Pilento residens , molli seque ore retecto,*
*Imputat attonitæ Virgo spectabilis urbi.*
*Inde ad concessum caveæ pudor almus, & expers*
*Sanguinis, ut Pietas, hominum visura cruentos*
*Congressus, mortesque & vulnera vendita pastu,*
*Spectatura sacris oculis, sed & illa verendis*
*Vittarum insignis phaleris, fruiturque lanistis.*
*O tenerum mitemque Animum, consurgit ad ictus !*
*Et quoties victor ferrum jugulo inserit, illa*
*Delicias ait esse suas, pectusque jacentis*
*Virgo modesta jubet transverso pollice rumpi.*
*Ne lateat pars ulla animæ vitalibus imis,*
*Altius impressa dum palpitat ense secutor.*
*Hoc illud meritum est, quod continuare feruntur.*
*Excubias Latii pro majestate Palatî,*

*Quod redimunt vitam populi, Procerumque salutem,*
*Perfundunt, quia colla comis bene, vel bene cingunt.*
*Tempora tæniolis & litia crinibus addunt;*
*Et quia subter humum lustrales testibus umbris*
*In flammam jugulant, pecudes & murmura miscent.*

Vltimo subjungit:

*Te precor, Ausonii Dux Augustissime regni,*
*Vt tam triste sacrum jubeas, ut cætera, tolli.*

Quæ omnia adduxi, tum ut superius dicta constarent, tum ut sciret lector quantum à solitis & pudicis moribus recessissent illo sæculo *Vestales*. Qui plura hoc in argumento, sed non magni certe momenti desiderat, Lipsium *Syntag. de Vest. & Vestal.* adeat, ubi quam laxus Vestæ sive *Ignis* purioris, seu, quod potius crederem, Dei in *Igne* existentis cultus fuit, ad ipsos etiam Indos prolatatus, videre est. Quin & hodierno die inter Africanos, tum præcipue in Lybia, colitur *Ignis*, ubi Vestalium more *Ignis* perennis servatur, ut refert Io. Leo *Afr. lib.* 1. Quod porro in ipsis Indiis Orientalibus ac Occidentalibus, etiam nunc factum testantur plurimi Authores. Atque hæc de Igne sub *Vestæ* & *Vulcani* nominibus sufficiant. Neque enim de Templis eorum, neque de sacris omnia persequi; neque an *Tubal Cain* Vulcanus fuerit; vel varias Grammaticorum conjecturas de origine & derivatione nominum illorum apponere, otium est. Satis fuse quidem ea quæ maxime ad *Ignis* cultum spectant, tractavimus, tum ob id præsertim quod fere ubique olim obtinuerit. Ad Aërem jam accedamus, ea quæ de purgatione per *Ignem* Gentilium dici possint, commodius alibi tractaturi.

## *De Aëre.*

POst occultas Cæli, & apertas *Ignis* operationes in universa rerum natura, haut aliquod extat magis in sublunaria cuncta vires suas exercens quam Elementum *Aëris*. Quum enim tenuium sit partium, motuique aptum, adeo ut nostra omnia tangat, circumdet, penetret, impossibile est quin pro diversa ejus temperie & qualitate, nos diversis utique modis afficiat. Quum demum in Elementum hoc tanquam in quendam latissimum campum seminales rerum rationes à Cælo demandentur, fit ut à vento & pluviis, in ejus media regione generatis exceptæ, in Terram decidunt, ubi corpore crasso tandem vestitæ, ministerioque ejus usæ, ad conspectum sese prodant, munia sua heic per aliquot Cæli circuitus exequentes. Quo tempore elapso, & dissolutis corporeorum vinculorum compagibus, in pristinum locum redeunt, (secun-

( secundum veteres Philosophos *Haden* vel *Orcum* vocatum ) novas inde periodos heic, vel alibi post statum aliquod tempus obiturae. Quum enim vi plastica praeditae sint, non uno tantum Elemento, sed ubique dotes suas exerunt; statuariorum more, ex quavis materia formas suas exsculpentes. Neque igitur ignavae aut inertes ullibi sunt, in operibus suis peragendis, occupatae passim & assiduae. Hoc Aërio in Campo tanquam foro publico, vel nundinis negotiari videntur *Cælum*. & *Terra*, dum alterna vice haec accipiuntur, illa redduntur. Caeterum arcana haec Philosophia, quum fidem haut facile invenerit apud imperitum vulgus, haut nimis propalanda. Absisto igitur, Quintiliani consilium secutus, qui ab iis quae non adjuvant, quam mollissime pedem referre docet. Hoc unicuique satis exploratum est, *surdos, cæcos*, *mutos* fore homines, ubi Aër deest; quin neque per momentum hominem citra *Aërem* vivere posse, neque ipsum *Ignem*. Mundus, ut Varro apud S. Augustinum, lib. 7. de Civ. Dei, cap. 8, docet, dividitur in duas partes, *Cælum* & *Terram*; & Caelum bifariam, in duas partes, *Ætherem* & *Aërem*. Ἀπαντοτρόφῳ hoc Aëre demum vitalem auram trahimus; sed nec minus, ubi noxia fuerit, saevam luem. Hoc interea ex Veterum sententia animadvertendum est, Aërem & Aetherem parum inter se differre: adeo ut *Iovis* vel *Minervæ* nomen in mystica eorum Philosophia utrique competat, ideoque ex illis, uti *Ocellus* refert, φύσις τε καὶ γένεσις ἴχουσι τὴν δυναστείαν. *Natura & generatio habent imperium*: quod ita intelligendum, ut Æther Aëre sit ( communi eorum opinione) nobilior, Aër, Æthere, respectu nostri, praesentior praestantiorque. Caeterum heic non negandum est, in Æthere fieri novas generationes; & antea ostendimus, & in Chronicis Ferrariensibus cernere est. Vbi inter 7, & *Fr.Patr.*
8 noctis horam Stellam tam magno splendore comparuisse traditur, ut Caelum ardere videretur: unde etiam colligunt quidam, Aetherem cum Aëre ejusdem fere esse naturae, generationesque, & corruptiones in utroque dari; ita tamen ut in Æthere sint rarissimae, in Aëre frequentissimae. Est ergo ex propria natura ἐνεργηκώτερος Æther, respectu nostri Aër, utpote qui sit magis appositus, & ex temperie sua nobis cognatus, quem intus ducimus & spiramus, cordi intimum, & prae reliquis omnibus familiare Elementum. Quod ad molem sive magnitudinem hujus Elementi spectat, haut ulla quidem ita ab Astronomis & Opticis statuitur, ut circa eam dubia cuncta tollantur. Dum enim ad Instrumenta Mathematica confugiunt, ex quibus non Aërem & Æthera, sed ipsa etiam Corpora Caelestia, juxta diversam eorum magnitudinem & distantiam dimetiuntur, multae errorum causae contingunt, quas heic tandem ultimo loco attexere placuit: quam tamen

non minus ad ea; quæ circa magnitudinem & distantiam Cælorum, Planetarum, & Stellarum fixarum ab illis prædicantur, disquisitio hæc sit utilis. Atque primo supponunt Astronomi, eorum centra cum centro Mundi coincidere; quum revera tamen eis integro Terræ Semid. vel M. P. tribus mille & amplius quingentis superstent, ex qua distantia hallucinationis causa dari potest, quum Terra ita non puncti respectu Cælorum, sed quanti proportionem habeat, uti rite à *Fr. Patric. in sua Panaichia* ostensum est. Alterum dubium est, quod ex Instrumentis eorum credunt integram Cæli medietatem supra Horizontem dimetiri, quum tamen ex foraminis per quod objecta sua spectant constitutione non prorsus apta, tum ex ipsius oculi positura varia, multis modis falli contingat. Aëris deinde inferioris crassities, superioris puritas, sed nebulis & nubibus passim interstincta, refractionis multiplicis potest esse causa. Atque si ex medio impuro & inæquali errare sit proclive; haut minus ex distantia indebita falli contingit. Quas quidem hallucinationis causas, non in libro nostro de *Veritate* tantum, sed in eo fusius qui de *Errorum causis* inscribitur (nondum tamen in publicum emisso) videre est: sed multa alia ex Opticis objici possunt Astronomorum demonstrationes labefactantia, sed quæ enarrare heic non est opus. Sed communem de Aëris crassitie sententiam saltem exponemus. A Terra ad nubium elationem ultimam 51. M. P. fere statuit Vitellio, superum Aërem non ultra C G. M. P. extendi credens, ibique Ætherem incipere. Aristoteles ait, Aërem esse centies Terra majorem, cui si fictitia (ut à quibusdam dicitur) Ætheris moles adjiciatur ex Tychonis Brahe supputatione, erunt Terræ Semidiam. 52. eam enim distantiam inter Terræ superficiem & Lunam ponit; quo pacto circiter centies millies major erit Terræ Aquæque globo. Non inter sacerdotes & crassiora ingenia tantum Aër Numen, sive Deus habitus fuit, sed inter Philosophos ipsos, tum præcipue Anaximenem Milesium, & Diogenem Apolloniatem. Hunc coluere olim Assyrii, & inter Afros quidam. ita Firmicus lib. prof. rel. *Assyrii, & pars Afrorum Aerem ducatum habere Elementorum volunt, & hunc imaginata veneratione venerantur. Nam hunc eundem nomine Iunonis & Veneris virginis consecrarunt.* Ægyptii intellexere *Aërem* per *Minervam*: Græci & Romani (uti plurimi testantur scriptores) ex *Iovis*, nonnunquam ex *Iunonis* nomine significabant *Aërem*. Quum enim in Aëre, uti in omnibus vita præditis, marem & fœminam crederent, hoc ipsum Aëri tribuerunt, ita ut superior Aër illis *Iupiter*, inferior *Aër*, *Iuno* vocaretur. Hac de re Seneca, *Aërem marem judicant, qua ventus est; fœminam, qua nebulosus & iners.* Atque hæc de Aëre, ejusque sub Iunonis nomine præcipue cultu.

De

## De Aquâ.

AQua etiam olim apud Gentiles in cultu fuit; quum enim cuncta heic ortum ab ea ducere crederentur, uti quæ præ aliis Elementis facillime condensationem pateretur, vel rarefacta in tenues partes abiret, quum porro ex hac vicissitudine res nunc in conspectum venirent, mox evanescerent, vel subducerentur; Aquæ, tanquam principio cuidam vel Deo, cultum quendam deferebant Gentiles: at non crasso certe ejus corpori, vel moli, sed interno numini, vel virtuti, in ea operanti. Ita Thales, qui (ut Cicero refert lib 1 de N. D.) primus de talibus rebus quæsivit; *Aquam* dixit esse initium rerum, Deum autem eam Mentem, quæ ex Aqua cuncta fingeret. Atque sane quantum Aqua in vegetabilium saltem generationem conferat, ex luculento in principio libri adducto exemplo liquet: Neque igitur in Aërem Aquamque ibi pluviam, sed in mare fontes, & flumina, & stagna ipsa seminales rerum rationes à cælo dimanasse, credidit Antiquitas. Quin addubitarunt nonnulli, num ex Aqua vel mari primò prodierint non solum bruta animalia quædam, puta Equus, bos, porcus, canis, sed ipse homo masculus & fœmina, quum eorum figuras referunt nonnulli marini pisces: quam paradoxam omnino opinionem tueri conantur, dum contendunt, animalibus hisce ubi ex Aqua prorepserent, & in terris agerent, organa ad victum heic conquirendum à Natura gradatim suppeditata fuisse; illaque interea tanquam amphibia ab hoc in illud Elementum transiisse; sed & ejusdem Naturæ beneficio factum tandem, quum plerumque heic degerent, ut vocales evaderent homines marini, aliaque membra ad nostrorum instar, paulatim mutato priorum ordine conformata obtinerent; quod in aliis animalibus evenisse tradunt: neque novum hoc videri debere, quum omnibus intra Terræ ambitum viventibus ea subministret Naturæ Providentia, quæ ex usu esse possint. Hæc illi; quorum opinionem portentosam heic subticuissem, nisi quod de hominis productione primaria nihil vel verisimiliter traditum sit ab humana olim Philosophia: sed plurimum ad hominis & rerum omnium generationem posse Aquas, certum est. Humidum radicale enim æque, aut fortasse plus quam calor ipse requiritur ad perfectam hominis constitutionem; sæpius enim ex defectu humidi naturalis, quam caloris extinguimur. Quod quidem Humidum non in aquea, sed oleosa vel Balsamica quadam substantia consistit: Aqueum enim humidum calori adversatur; oleosum vero calorem sustentat & nutrit. Cæterum Humido omni non nisi sub Aquæ denominatione cultus

cultus adhibitus fuit. Partes Elementi hujus paulo attentius ſpeculantibus, *Mare* primò occurrit, quod Terræ paſſim ſupponi validis rationum momentis uſus tradit Danſquius, quem conſulat lector. Atque hoc ſi conceditur, haut video quomodo Ignis ſubterraneus ea copia, qua creditur, dari poſſit. Quin etiam cavernas multas ſub Terram fingere oportet, ubi commeent & redeant Aquæ; ſi modo verum ſit quod à nautis accepit Voſſius, ubi ait raro dimidium ultra milliare Italicum profunditatem maris pertingere, ſi gurgites aliquos exceperis, quibus ad milliare integrum ſe extendit profunditas illa, & pauca loca ubi nulla fundus bolide attingitur, ut fit circa Flandricas, & aliquas Pacifici Maris Inſulas. Longitudo & latitudo Maris par aut ſuppar eſt Telluris magnitudini mari non obtectæ, ſi ex orbe cognito judicium ferendum, uti ex ſupputatione Alex. Picollominæi videre eſt, in opere quodam hac de re conſcripto. Cauſſæ ſalſedinis Maris duæ cumprimis ab Authoribus redduntur. 1. Quod è Mari univerſæ dulciores Aquæ partes radiorum Solarium vi educantur. 2. quod iis eductis craſſiores Aquæ partes adurantur. Quod ſi verum eſſet, cur non flumina & ſtagna utique ſalſa eorum tenuioribus partibus extractis reliquis aduſtis deprehenduntur? Haut quidem obſtare poteſt Aquæ fluvialis magis quam marinæ tenuitas; eo citius enim educitur Aqua; neque quod non ita profunda ſit: quo propior enim Terræ, eo citius aduritur craſſior Aquæ pars. Hoc demum ſi daretur, haut à principio, ſed bene longo decurſu temporis Mare foret ſalſum; quod neſcio quomodo probari poſſit: haut alia igitur atque finalis cauſſa ſalſedinis hujus adducenda eſt, eaque non aliunde quam ab communi rerum Providentia petenda, quæ animantibus heic degentibus conſulens, tum ſalſum, tum ex fluxu & refluxu mobile fecit Elementum illud; ſi enim ad putidorum ſtagnorum inſtar reſes eſſet vaſta illa Aquæ Marinæ moles, vel non ſalſedine aliqua imbuta, totum Aëra procul dubio inficeret, & corrumperet. Qui cauſam igitur ſive Salſedinis, ſive reciproci Maris æſtus petierit, is quidem cur ignis ſit calidus, vel Terra ſolida, & ſicca, & hujuſmodi alia per me quæſierit, ut hæc ideo tanquam ab ipſa natura immediate profecta, haut aliter quam in principiis ſuis recognoſcenda ſint, tametſi Lunæ motui vario fluxus & refluxus Maris ita appoſite reſpondeat, ut cauſam ejus inde arceſſi poſſe merito ſuſpicentur Philoſophi. Quibus tamen in argumento hoc nihil adeo mirum videri debet; ac per cuncta ſæcula Mare ex tot fluminum in illud decurſu haut vel tumidius vel inſulſius inde fieri: Quamvis enim ex Ariſtotelis ſententia flumina cuncta ad Mare tanquam finem curſus ſui properent, quomodo tamen non ſaporem ejus immutaverint,

rint, molem auxerint, quomodo tandem non amari erunt fontes & fluvii? neque dicant per cavernas subterraneas remeare & edulcari gradatim sive flumina, sive fontes passim heic scaturientes, quum motus ille sit incertus, flexuosus & segnis, fluminum in mare sese provolventium rapidissimus; adeo ut nulla sit proportio inter difficiles Aquæ meatus per occlusos & inæquales terræ aditus, ut inde depurgaretur, sese insinuantes, & impigrum præcipitem illum fluminum decursum. Haud igitur aliunde quam à sapientissimo Dei consilio ea quæ ad primævam perfectamq; rerum constitutionem postulantur, rerum primarias caussas requirant Περίεργοι in secundis causis, ut acumen suum exerceant: de motu Maris littora quaqua versum flagellantis & inde tumescentis & detumescentis, & in plenilunio sese tandem purgantis (ut ait Plin. l. 2) quædam scitu digna videamus. Neotericorum opinio est motum illum Maris reciprocum, quæ Salacia & Venilia dicitur à motu Terræ diurno, mare hinc inde agitanti, provenire: quæ quidem sententia suis non caret difficultatibus. Vt detur enim ille terræ motus; quomodo inde maris septies 24 horis in Euripo sese reciprocantis ratio unquam constiterit? Quid demum de aliis exlegibus Maris motibus in diversis mundi partibus censendum est? Equidem aquam illis heic hærere necessum sit; præsertim ubi in Liburnia fuerint ad Ausserum oppidum, ubi mare plusquam vicies quotidie reciprocatur: quomodo tandem motus maris diurnus, hebdomaticus, menstruus, trimestris, semestris & ipse annuus (tot enim maris diversos motus esse constat) ex illo terræ motu evincetur? Sed & hi plerumque immò majores alicubi scrupuli injicientur, si modo maris motus reciprocus è Luna petendus sit; maxime si verum sit quod August. Cæsareus refert in Circio sive Græco, & Africo sive Garbino (ut vulgò vocantur) Lunâ existente tum mare plenum esse in Oceano. At ubi in Euro tandem sive Sirocco, vel in Cauro sive Maestro fuerit, tum mare esse vacuum; è contra in mediterraneo in his Lunâ existente, mare esse plenum, in illis vacuum. Cujus causam neque è diurno terræ motu, neque è Lunâ nemo unquam adduxerit: sed neque à Sole plurimos movente & circumferente ventos (quam caussam affluxus & refluxus maris esse putavit Aristoteles; uti in Plut. Ætio & Stobæo videre est) neque ex fundi & littorum situ & figuratione, neque ex Oceani decursu, regurgitatione, vel Cœli in circuitum imitatione, vel obicibus aut cumulis in mari aggestis, vel Lunæ ad Meridiem ascensione, vel illius descensu ad Occasum, vel aliis Lunæ posituris vel motibus: haut sc. ex his omnibus satis solida adstrui potest ratio affluxus varii & refluxus maris (licet inter illas nulla non aliquando vel alicubi) conferat caussa. Hisce addi potest ipsa salsedo maris: Sal enim ubi coquitur,

Fr. Patr. Possid. Strab.

L

quitur, plus aliâ aquâ fervet. atque inde fortasse est quod mare Caspium minime incitetur quum 80 fluvii & 5 lacus in mare illud sese exonerantes, dulciorem reddant Aquam. Postrema ex rarefactione in Veniliâ, ex densatione in salaciâ caussa addi potest. Equidem ex Lunâ solâ maris æstus non fieri multa ostendunt; cur non enim omnes attolleret Aquas, quemadmodum Ignis omnia cremat ustilia? cur non iisdem horis cierentur ubique æstus: quomodo apud Antipodas fit æstus ubi Luna partes illas non collustrat. Cur in conjunctione æque ac in plenilunio maximi æstus fiunt, non ita intermediis temporibus, quum tamen in majori quanto tum temporis quam quod in conjunctione visitur major inesse deberet virtus. Hæc & alia evincunt satis argumenta, non penes Lunam solam esse caussam affluxus & refluxus maris: sed hæc attingere solum patitur instituti nostri ratio. Præter reciprocam hanc maris jactationem, est duplex alius motus veteribus (ut videtur) incognitus, qui littora ut plurimum navigiis suis legentes, in altum non nisi raro ferebantur. Vnus est ab Septentrione in Austrum, facilius enim navigatur in hunc mundi cardinem quam è contra. Ideo ubi secundus ventus utrisque afflat, citius Norvegi & Dani ad M. Britanniam quam ex adverso Britanni ad illos transeunt. Pari modo Britanni ad Hispaniam, minori tempòre quam Hispani ad illos perveniunt, ubi venti ferentes ex utraque parte fuerint, quod sive ex fundo maris in Septentrione brevioris, sive (quod magis verisimile est) ex rapidis fluminibus nive & pluviâ tumescentibus in frigidâ & humidâ illâ zonâ, eveniat, experientia verum esse comprobat. Est alter motus ab Oriente in Occidentem spectabilis. Hinc nautæ observant ab Hispania in Americam intra mensem unum perveniri, non inde rediri nisi ternis aut quaternis mensibus, quod à ventis constanter ab Orientali Cœli cardine apud Indos Occidentales flantibus (idque statis in æstate temporibus præcipue) fit, ut tamen declivius mare ab Oriente in Occidentem existimaverim: quod in mari Mediterraneo, Sinu Adriatico, & ipso tandem Euxino observari potest: multo enim celerius à portubus ad oram Ægypti, vel Phœniciæ sitis, ad Hispaniam navigatur, quam è contra. Ita à Philippinis Insulis vel Moluccis ad Promontorium *Bonæ Spei* ocyùs navigatur, quam à Promontorio illo ad Insulas: Quod an à declivitate Maris, an è mari ipso ab oris illis resiliente, & repulso, an verò ex fluminibus ab Austro & Oriente irruentibus, eveniat, haut facile dixerim. Atque hæc de diversis Maris motibus in præsens sufficient. Quorum plerique quum veteribus cogniti essent, in cultum ejus descenderant, eoque magis quod (ut Plinius ait) nullibi visantur majora naturæ miracula. Ad ejus incôlas jam veniamus, qui suâ mole animantia

tia reliqua longe exſuperant. Hujuſmodi autem ſunt Cetacea omnia, inter quæ *Balæna*, Phyſiter, Orca, Priſtes, Tiburo, Scolopendra marina veteribus cognita fuere. Plurima alia Cetaceorum genera tum circa Iſlandiam, alioſque in Mari ſeptentrionali locos, tum in ipſis Indiis poſterum hoc vidit ſæculum. Ingens quippe *Leviathan* ſolis Iudæis (quantum quidem conijcere poſſum) notus fuit, ut dubium tamen ſit, an ullibi *Leviathan* ex Rabinorum deſcriptione extiterit; vel in eum, quem tradunt, finem ſive conditus, ſive utilis fuerit. Cur vero majores ſint Piſces quam cætera animantia, rationes hæ reddi poſſunt: 1 Quod ex ſubſtantia humidiori fiant. 2 quod alimentum habeant ubique præſens. 3 quod ad extremum ſenium plerumque perveniant. Quis enim mari ſupernatantem piſcem ex ſenio mortuum vidit unquam? Cur verò vaſtiora corpora producat ſuapte naturâ Mare, quam Terra, rationem reddidit acutiſſimus Galilæus; nempe quod in animantibus terreſtribus oſſa ſuſtentent carnem; in Cetaceis caro, oſſa; niſi enim (dum Aquæ innatant) Balænarum caro ad ſuberis inſtar immerſas ſuſtentaret earum coſtas, & oſſa, propriâ quidem mole deprimerentur. Quapropter quum in arenam prope terram vi tempeſtatis disjectæ fuerint, vel in brevia tantum maria ſponte venerint, ſeſe nunquam in altum recipiunt, ſed proprio ibi obruta pondere, ad prædam exponuntur. De teſtaceis, & cruſtaceis hoc in Elemento degentibus, quorum quædam ludentis Naturæ opera videntur, plurima olim fuêre, hodieque ſunt; quæ in admirationem trahere poſſunt attentiores hominum animos; quum è vi quâdam formatrice, ipſi Mari indita, eorum nonnulla provenire videantur, unde etiam Elemento illi non levis cultus, vel venerationis cauſſa, inter Gentiles acceſſit. A ſalſis ad dulces tranſimus Aquas, ubi non minora certè Naturæ miracula deprehenduntur. Alia enim *Aqua*, eaque vulgaris, humectat & mollit; alia non cretam tantum, ſed & ipſa ligna indurat, & lapideſcit, adeo ut Theatrum ex hujuſmodi lapidibus olim extructum eſſet. Aquæ porro aliæ omnes colores fere referunt: aliæ omnes fere guſtus: aliæ Ignem extinguunt; ex aliis, & ſignanter iis quæ inter *Bononiam* & *Frenzuolam* decurrunt, ignes, ubi pluvium tempus imminet, emicare ſolent: Aliæ calefaciunt, ut in Thermis: aliæ ita refrigerant, ut etiam calorem naturalem extinguant: aliæ ſitim ſedant; aliæ, ſed eæ præcipue quæ prope mare, ſalſæ illam accendunt: aliæ omnis ſaporis ſunt expertes: aliæ cunctorum foſſilium ſive Mineralium ſaporem & vim induunt: aliæ urinam moventes, arenam, & calculos ſimul è veſica pellunt: aliæ arenam & calculos in eâ generant: aliæ ſunt catharticæ: aliæ ventris fluxum ſiſtunt: aliæ juvant oculos: aliæ illis nocent: aliæ ſordida

ovium vellera detergunt, & emundant; aliæ vellera illorum novo aliquo colore inficiunt. Iuxta quasdam *aquas* arbores quædam fæliciter crescunt; quæ prope alias tabescunt: Hæ *aquæ* mutos tantum pisces alunt; aliæ non nisi coaxantes ranas: aliæ sobrios, imo & abstemios reddunt vinolentos: aliæ caput tentant, & inebriant; aliæ dementes faciunt homines; aliæ dementiam ipsam, ejusque non leve symptoma insanum scortilli amorem tollunt; si modo iis quæ de *Cyrisci* fonte scribuntur, habenda sit fides: aliæ ingenium acuunt, & memoriam augent; aliæ oblivionem afferunt, immo & ipsam stultitiam invehunt; quorum omnium historiæ in Plinio, tum præcipue l. 31. Strabone, Vitruvio, & aliis extant. Brevi vix ullum in totâ rerum naturâ invenitur, adeo humano generi utile, vel noxium pharmacum, quod non idem sola præstet alicubi Aqua. de miris quibusdam tum pluvialium, tum nivalium aquarum proprietatibus, quædam heic dici possent, si non περίεργον esset. Doctissimi tamen Vossii rationem reticere nequeo, cur aliqui *nempe fontes, augescente Mari, decrescant, decrescente augeantur. Quia* (inquit) *maris æmula est aqua, quum è mari propinquis, & rectis decurit* venis: *At contrario afficitur modo, quoties longinquis à mari spatiis fluit, vel per varios mæandros: Siquidem priusquam aqua in puteum devenerit, mare ante tumidum jam detumuit, posteaquam quod prius detumuerat, intumuit rursum.* Sed dubia multa heic occurrunt. In quibusdam enim Orbis regionibus, tum præsertim in hac Insulâ fontes sive putei alterutrum maris motum æmulantes reperiuntur, adeo ut quidam mari tumescenti tumeant, alii tum temporis etiam detumeant, ad eorum modum quos Vossius memorat. Et quidem heic si mare ipsum fontes sive puteos illos per meatus subterraneos attingeret; haut video quomodo non salsiores inde fierent. At si (ut Vossius inquit) aquæ sive fontanæ sive puteales marinarum aquarum æmulæ essent, cur non omnes ? aut cum hi tument, alii detument? Quapropter pace tanti Viri existimaverim in fontibus illis sive puteis, qui ad maris motum cientur, per canales quosdam occultos crescente tum temporis æstu incitari primo Aërem, & mox aquam, donec in altum attollatur, quæ iisdem denuo gradibus mari detumescente, recidat. At in fontibus vel puteis illis, qui contrario motu feruntur, aliter evenit, in his enim puto supponendum esse canalem sive meatum angustum aliquem inter fontem & mare interjacentem, sed ex parte mari proximâ obturatum, Aëreque adeo plenum, ut Aqua fontis vel putei inde tollatur in altum; (cum ea Aëris proportio ad Aquam in angusto canali dari possit, ut illam loco movere forisque extrudere queat) æstum autem crescentem per terram arenosam meatuique aptam ad latus aliquod Canalis sitam gradatim sese insinuare, canalemque fere opplere; quo pacto fiet, ut Aqua marina Aëris conclusi locum occupans, illum per poros terræ ad latus

latus alterum ſenſim diſpellat: Aquâ fontis vel putei interea, quæ prius ab Aëre ſuſtentabatur, in locum inferiorem ſeſe paulatim recipiente, aſt ubi detumet mare, Aërem in canalem rurſus redeuntem Aquam fontis vel putei denuo iiſdem gradibus in altum tollere. Cujus exempla quædam in ſpiritalibus ſive pneumaticis, ita enim ab Herone vocantur, videre eſt: Cæterum in re adeo difficili nihil certi ſtatuimus. Satis fuerit heic indicaſſe tot Aquæ miranda cultum ſive venerationem ejus apud Gentiles invexiſſe, eoque magis quod quum nobis vicinum tum multifariam utile eſſet Elementum, illi non reverentiam aliquam exhibere in proximitate illâ nefas exiſtimaverant: Atque primo quidem ab Ægyptiis culta fuit Aqua. Hoc teſtatur diſertim Athanaſius, qui Ægyptius fuit: Ἄλλοι ποταμοὺς καὶ κρήνας καὶ πάντων μάλιστα Αἰγύπτιοι τὸ ὕδωρ προτετιμήκασι, καὶ Θεοὺς ἀναγορεύουσι. *Alii fluvios & fontes & omnium maxime Ægyptii Aquam præcipue venerati, Deosque appellant.* Atque heic inter omnes Aquas Nilus præcipue in cultu fuit. Huc reſpicit Iul. Firmic. ubi ait: Ægypti incolæ Aquarum beneficia percipientes, Aquam colunt, Aquis ſupplicant; Aquatilia etiam quædam iis ſacrata fuiſſe, & piſcium quoddam genus quod vocatur λεπιδωτὸν ſive ſquammoſum, & Anguillam, teſtatur Herodotus l. 2. Nomen Aquæ myſticum inter Ægyptios Oſiris ſive Siris fuit, tum præcipue Nili, ut Plut. de Iſ. & Oſ. teſtatur. Quatenus enim Oſiris principium Nativum Boni ſignificavit, in Cælo Sol fuit illis Oſiris, in ſubcæleſtibus Aqua, cum præcipue Nilus: quod neque mirum videri debet, quum (uti rite à Cartario obſervatum fuit) idem Deus alias atque alias ſubinde res ſignificet; contra ſæpe diverſa inter ſe nomina ad unam eandemque rem referantur: quod procul dubio pro Sacerdotum arbitrio in variis regionibus myſteria pro captu ſuo vel populi explicantium, factum fuiſſe exiſtimo. Quod quidem niſi paſſim adnotetur, haut ſatis unquam Veterum capietur Theologia. Canopus quoque Menelai quondam Nauta, ſed poſt mortem in Aſtrum relatus; Aquam inter Ægyptios ſignificabat. Cujus Sacerdotem inſigni dolo non tam deviciſſe, ac prorſus extinxiſſe Perſarum ac Chaldæorum deum, narrat Rufinus Hiſt. Eccl. l. 2, c. 28. & Suidas in Κάνωπος. Quum enim ignem, magnum deum eſſe jactarent, non illi tantum, ſed aliæ vicinæ nationes, quia omnia cujuſcunque materiei eſſent, abſumeret, imperiumque in illa exerceret, haut æquo animo hæc ferens Canopi Sacerdos, aſtum hunc excogitavit: Hydriam Canopi figuram extrinſecus effigiatam, & minutioribus foraminibus in fundo perterebratam, & cerâ inde obturatam, ita ut totum commode jam vas caperet, Aquam in periculum adducit Sacerdos. Ei contra adverſarii ſub Hydria ignem accendunt victoriæ ſecuri; ſed liquefacta mox cera & Aqua per foramina diffluente, extinctus eſt Ignis. Quod tamen inventum

*Athan. ora. contra gentes.*

tum an in religionem, an in ludibrium cesserit, ambigi posset, nisi constaret abunde Magorum Sacerdotes Ignem & Aquam principia rerum omnium statuisse, ut testatur Vitruvius in Procem. l. 8. ubi etiam ait: Qui Sacerdotia gerunt, moribus Ægyptiorum ostendunt omnes res è liquoris potestate consistere. Itaque cum Hydriam tegunt, quæ ad Templum ædemque castà religione defertur, tum in Terrà procumbentes manibus ad Cælum sublatis, inventionibus gratias agunt divinæ benignitatis: Atque hæc quidem de Aquis dulcibus, tum præcipiuè de Nilo intelligenda sunt. Mare enim, idque sub Typhonis nomine eà invidentià habuerunt, ut neque salem mensæ inferrent, quod spuma Typhonis illis esset, neque pisces degustarent, quod ejus Elementi incolæ essent, odiumque ipsum illis signarent. Immo & ipsos Nautas aversabantur, quia uterentur mari. Quod an ex Diluvii alicujus detestatione, an vero alià ex caussà acciderit, non lubet heic disquirere, Neptunum tamen Deum esse à Græcis acceperant Ægyptii, quem etiam Libyes vicini Ægyptiis, & in eorum imitationem Pelasgi coluerunt. Cæterum haut effecit illud ut Neptunum aliquo honore dignarentur de immiti mari ac de inexorabili necessitate sive fato, statuentes Dii scil. ut fuerint, nullas supplicationes illis fieri debere. Apud Persas divinum cultum quoque Aquæ præstitum fuisse, testantur Her. l. 1. Strabo l. 15. Cl. Alex. Admo. ad Gentes. Arnob. l. 6. & alii, adeo ut religio iis esset in Flumina mejere, vel inspuere, vel sordidum aliquod in illa inijcere, vel manus solùm in vivo fluento abluere, uti antea diximus. Sed mirum est quod Corn. Tacitus refert, nefas fuisse expuere in maria, aliisque mortalium necessitatibus violare eam Naturam. Qui mos illorum si longis navigationibus obtineret, diram procul dubio luem tandem inveheret, cum nihil ad sanitatem sive Epibatarum sive Nautarum ipsorum conservandam æque confert ac mundities. Equis sed præcipue albis litaverunt aquis olim Persæ, quod in honorem Neptuni factum existimo, cujus rationem suo loco explicabimus. Etiam Assyriorum Atergatis (ex Cl. Vossii sententià) ad Aquas refertur. sed duriuscule, nam antea docuit per eam intelligi quicquid Solari subditum est potestati; At inde colligit, quod quum Sol habet imperium in Lunam, & Luna in Aquas, ideo Atergatin ad Aquas referri debere: sed non satis valida est hæc ratio. Ad Aërem vel Terram quippe, vel plura alia quæ Solari potestati sunt subdita, extendi potest æque ac ad Aquam, argumentum. Sed mox subjungit idem, ex figurà ejus cognosci; erat enim superne mulier & inferius piscis; immo nomen Atergatis (inquit) magnum & excellentem piscem sonat, & honori ejus elixos & assos pisces comedebant Sacerdotes in Deæ conspectu. At si Atergatis desinit in piscem, mulier

mulier formosa superne? anne ideo aquam significat, vel Aquæ cultum innuit? Equidem si non mulierem, at coli inde saltem piscem dixisset, non adeo à verisimili heic ablusisset, & ob id præsertim, quod magnum & excellentem piscem sonet Atergatis. At tum si Atergatis piscis sit, cur piscibus in conspectu dei vescebantur Sacerdotes? Nam quis unquam Veterum suum comedit, concoxit, & deglutiit deum? idque tandem in ejus honorem factum jactaverit: Quapropter Macrobii authoritate fretus existimo, Atergatim neque aquam neque piscem excellentem significare, sed Tellurem; quod ipsa ejus effigies ex Macr. descriptione evincit: Atque in eam magis adducor sententiam, quod Assyrii non ab esu sed ipsâ capturâ piscium abstinerent, uti ipse Vossius l. 2, c. 36 tradit. Quod ad esum piscium attinet, id inde evenisse puto, quod Atergatis Syriæ regina edictum promulgasset, nequis piscibus vesceretur; utpote quæ illorum avidissima esset, unde factum postea ut Sacerdotes in ejus imitationem soli pisces elixos & assos ante ejus simulachrum vorarent: aliis omnibus jejune ritum illum spectantibus: utut sint ista, haut satis video heic quomodo contradictiones ab ipso Vossio passim heic allatæ, tolli possint; sed de his nimis. Quum Assyrios Aquam coluisse uti reliqua Elementa nullus dubitem, at non profecto sub nomine Atergatis; Sed neque à Dagone Palæstinorum Aquam cultam fuisse, argumenta fælicius deducit Vossius. Licet enim figura hominis partim, partim piscis fingeretur Dagon; unde tamen Aquæ cultum illinc collegerit? Quam obrem censeo ab fabulâ quâdam originem traxisse hosce ritus; Atergatin enim sive Derceto (uti quidam referunt) in Lacum piscosum prope Ascalonem sese conjiciens, à piscibus servata, & in piscem tandem mutata fuit: neque absimile fortasse de Dagone commentum obtruserunt olim populo vaferrimi Sacerdotes. Sed de his videatur in Syntagm. suo de diis Syriis eruditiss. Seldenus. An vero Eurynome, quæ Oceani filia putabatur, & eadem quâ Atergatis vel Derceto figurâ effigiata erat, aliquid lucis huc afferre posset, quemadmodum etiam Syrenes, quæ figurâ consimiles finguntur, aliis discutiendum relinquo. Nonnulli quidem eam esse Dianam crediderunt, ut Pausanias refert: numen id à Pitigalensibus, qui erant in Arcadia, colebatur, Templo ei stato, quotannis die aperto Sacrisque publice & privatim factis. Nomina Aquis dabantur olim mascula & fœminea, quod in omni fere Deorum nomenclaturâ observasse ad eorum historiam percipiendam juvabit. Quin & in S. S. fœmineus sexus Iesch. 46, 3. Deo Hebræorum tribui videtur, qua de re consulatur inter alios eruditiss. Fort. Licetus lib. de Quæsitis per epistolas. In nominibus Aquarum principatus debetur Oceano. Hunc enim Deum Patrem esse crediderunt Veteres, ut in Homeri Iliade videre est:

Macr. Sat. l. 1, c. 24.

Græc. Arati interpres & Diod. Sic. l. 3

Ωκεανὸν

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν ϗ μητέρα Τηθύν.

*Oceanumque Deûm Patrem & Tethyn genetricem.*

Sed & Moses Aquam primo die creatam esse ait. Huc etiam quædam, quæ antea attulimus, referri possunt. Imagines Oceani & Neptuni haut multum erant inter se dissimiles: sed Oceanus vetustior fingebatur, imò & Neptuni avus. Oceanus autem mare externum significat Vossio: Neptunus internum, vel in genere humorem aqueum. Ritus colendi Oceanum à Iustino traditur lib. 12: *Expugnata deinde urbe reversus ad naves Oceano libamenta dedit (Alexander) prosperum in patriam reditum precatus.* Alterum maris nomen erat Ποσειδῶν Græcis, *Neptunus* Romanis. Huic etiam libamenta olim facta fuisse, testatur Herod. lib. 7. ubi Ποσειδῶν σωτὴρ, vel *Neptunus liberator* vocatur. Meminit etiam templi ejus apud Patidæatas idem Author, & apud Cares Plinius lib. 31. Inter Romanos x Kalend. Sextilis Neptunalia fuerunt, de quibus ita Kalendarium *D. Nept. ludi.* Sed & totus Februarii mensis Neptuno sacer fuit, sive ut propitium per Ver & Æstatem navigantibus numen redderent; sive quod Februa sive Piamina purgationesque Veterum haut sine Aqua fierent. Haruspices Fel Neptuno dicarunt, amarum amaro convenire existimantes: Neptunus quoque equos primus domans, artem equitandi docuit, & tandem etiam in equum converti dicitur. Apud Atlanticos mirabile ejus templum extitit, ubi in curru erat effictus alatorum equorum fræna manu continens, adeoque ingens, ut capite alti illius templi fastigium contingeret: licet Herod. lib. 9 septem cubitorum tantum imaginem æream illi tribuat. Atque hinc factum, ut Ludi Circenses, qui equestres erant, Neptuno *Hippio* essent sacri; sed in memoriam (ut inquit Liv.) raptûs Sabinorum à Romulo instituti. Ludi hi apud Romanos *Consualia* vocabantur, apud Arcadios *Hippocratia*; per quod tempus apud Romanos immunes ab opere sunt equi & muli, & coronantur floribus; vel de ara quadam occulta, vel subterranea prope Circum Maximum, sive erecta, sive inventa. Et an *Consilia* à Conso deo deriventur, vide Dion. Hal. lib. 1. & Plutarch. inde etiam innui volunt quidam, magnarum rerum consilia occulta esse oportere: quare ad ejus aram aditus nunquam patefiebat, nisi Ludorum Circensium diebus; quod effecit ut Neptunus idem ut Consus crederetur. Quod terrores equis porro in ludis illis incuterentur, Neptunum Taraxippum vocatum, censet Pausan. idque ne faceret, supplicatum fuisse. Sed de tota hac re non uno modo narrata videatur Dionysius Halicarnas. lib. 2, cui otium est. De *tridente Neptuni* & *concha* latissima, qua tanquam curru vehi credebatur, tum de ejus comitatu pulcherrimo, & triumphis, quæ dici possent, è Poëtis peten-

Cartar.

Cartar. Plato.

Cartar.

petenda, relinquo. Nereus quoque masculum Dei marini est nomen, qui à Doride quinquaginta filias pulcherrimas, Nereides dictas, suscepit. Intra muliebria Maris nomina sunt Tethys Oceani uxor, & Amphitrite Neptuni. Fuit & Thetys ex Oceano & Doride filia, & Tethys Nympha Nereidum una. Ad hæc Napææ faciles, vel Naiades fontium Nymphæ, & Hydriades, & Ephydriades: sed *Nymphæ* vocabulum in genere Deabus Aquarum dulcium præsidibus competit; non ita Nereidibus: quarum unam, in Peleponneso quum esset, à se visam testatur Theodorus Gaza. Atque hæc facie decora, corpore squammis hirto ad pubem usque, inferioribus partibus in locustæ caudam desinentibus fuit. His accenseri possent *Sirenes*, Acheloi & Calliopes Musæ filiæ, quarum una canebat, altera tibiam inflabat, tertia lyram pulsabat, adeo suavem edentes inde concentum, ut facile miseros nautas allicerent ad quosdam Siciliæ prope Pelorum scopulos, ubi allideretur. Cæterum quum Vlysses illac transiens, semet ad navis malum alligasset, Socii verò aures cera obturassent, Sirenes spe frustratas in mare præcipites semet dedisse, & à posteriori parte in pisces mutatas fuisse traditur. Servius tamen eas non pisces, sed aves ea ex parte fuisse vult; cui opinioni favet Ovid. & Claud. de raptu Proserp. Boccatius narrat apud antiquos Sirenes fingi in amœnis pratis degere, mortuorum ossibus conspersis. Xenophon vero vult Sirenes eorum laudes concinere, qui dignissimi sint, quorum virtus præconiis summis celebretur. Tandem Aristoteles lib. 2. de rebus admirabilibus, tradit, quibusdam in Insulis Sirenarum dictis, quæ in Italiæ finibus sitæ erant, Sirenas ab incolis coli, & templa atque altaria meruisse. Nomina harum fuerunt *Parthenope*, *Leucosia*, & *Ligia*. Sed de his nimis. Non vero solum Mare, flumina & fontes in genere culta fuere quondam, sed eorum alia præ aliis. Hujusmodi fuere, apud Messenios Pamisus amnis; apud Phryges Mæander & Marsyas. Clitumnus in Vmbria, cui etiam Iovis nomen dedere incolæ, titulo *Iovis Clitumni*, templo ejus præfixo; fortasse quod ex illo bibentia pecora alba fierent: de quo Claud. in Paneg. Fuerunt & muliebria nomina, inter has fuerunt Nymphæ Κρηνίδες sive πηγαῖαι, quæ fontium fuerunt; Ποταμίδες vel Ἐπιποταμίδες, fluminum præsides, sive Deæ, & stagnorum Λιμναῖαι; Artemidorus addit & Nymphas præfuisse puteis. Inter πηγαῖας autem *Hippocrena* speciatim non reticenda est, quemadmodum etiam neque Salmacis in Halicarnasso; cujus aqua vulgo effœminare credebatur; neque Arethusa profuga, neque Romanus Camœnarum fons, unde ad purificandum hauriebant aquam quotidie Vestales; quarum munus erat ut non Ignem solum, sed Aquam custodirent: neque Blandusia

fons in Sabinis. Quæ quidem numina fusius à Vossio memorantur. Sed & Aristoteles lib. de reb. admir. narrat quendam fuisse in Cappadocia fontem, aquam habentem frigidissimam, sed quæ semper fervere videretur. Ad hunc fontem si quispiam ductus esset, de quo dubitaretur perjurus esset, necne; si quidem verum dixisset, Aqua lente defluebat: si vero perjurus esset; ea mirum in modum conturbata, & tumescens, non pedes & manus tantum, sed faciem perjuri impetebat; perinde ac sic pœnas perjurii ab eo exigeret, neque destitisse, donec veritate detecta veniam sceleris implorasset; quod si in mendacii asseveratione perstitisset, hydropicum inde factum recessisse; vel magnam saniei copiam evomuisse; fontemque inde *Iovis Perjuri* appellatum fuisse; cui fonti inde cultum adhibitum, minime dubito. De Nymphis flumineis, quales fuere Ismenides, Iönides, Pactolides, Amigrides, & inter Romanos Tiberiades, & Anna Perenna, cui mense Martio fiebant Sacra, & Iuturna, & Nais *fluviorum decus* vocata, videantur alii: neque enim singula percensere heic animus est. Haut tamen sicco pede prætereunda sunt, *Styx*, *Acheron*, *Pyriphlegeton*, *Cocytus*, quæ flumina tanquam infamia ab superis ad inferos detrusit Antiquitas. Et quidem Acherontem, Pyriphlegetontem & Stygis fluvium in Ausonia Italiæ parte ponit Lycophron in Cassandra. Cocytum alium in Italia esse suspicantur Authores, alium Epiro; de quo Pausan. in Attic. Sed & Stygem alium in Arcadia, qui frigidissimus ex mixtura Hydrargyri & nitri fons fuit, memorant Authores; cujus aquam non nisi equi, mulæ, aut asini Indici ungula ob vim ejus scepticam & corrosivam ferre possint: quo etiam veneno extinctum fuisse Alexandrum M. Authores tradunt. Styx vero à verbo στύγος quod mœrorem significat, secundum quosdam, derivatur: cui assensum potius adhibuerim quam illis qui à *Setika* sive silentio illud deducunt. Fuit enim Arcadiæ vel Italiæ fons, palus, vel flumen, ob odorem sulphureum, vel venenatam qualitatem, infame: adeo ut ab Orientalibus originem nominis haut facile traxerim. Per eam in Inferno paludem Dii jurare olim credebantur; quum enim sempiternis in Cælo fruerentur bonis, per id jurare putabantur, cujus penitus essent expertes. Atque palus hæc Infernum circundare dicebatur; neque alium extitisse locum ubi major mœstitia reperiretur. Novi quidem Platonicos rem aliter interpretari; quum enim mundum hunc Infernum esse contendunt, in quem Animam volunt descendere quum mortali heic corpori conjungitur, ubi Lethe (qui fluvius in Africa prope Bernicen, sed in inferos, ut priores, relatus) primo occurrit rerum præcedentium oblivionem inducens; deinde & alii fluvii tristitiam & mœ-

rorem

rorem invehentes, adeo ut tota de his fabula illis μυστικῶς statum animæ in hoc mundo agentis innuat: sed ut hæc vel tanquam delirantium vel somniantium dicta dimittamus, ad juramentum Deorum accedimus, pœnasque illis (si perjuri essent) constitutas. Nempe ut per annum integrum spiritus atque vitæ expertes jacerent. Servius ex Orpheo ulterius supplicii tempus illis statuit, ubi ait Deos per Stygiam paludem pejerantes, novem millibus annorum puniri in Tartaro. Quas quidem fabulas (uti reor) confinxerunt olim Poëtæ, ut sive juramentorum, sive sacramentorum (quæ juramenta erant militaria) inviolata esset fides; quum neque dii ipsi perjuri à supplicio immunes haberentur. Et quidem in omnes versabatur partes olim religio, ut juramenta constarent. Ideo supra sacra & victimas ipsas in aris ardentes, gladio arrecto, vel cultro tali etiam in templo, & tali amictu induti jurabant olim Gentiles; quin & multas alias res religiosas adhibebant, ut terrorem ita pejerantibus incuterent. Atque hunc etiam in finem Iupiter *Horcius* inter Græcos tanquam juramentorum præses, fulmen manu tenens effingebatur; & Deus *Fidius*, sive Iupiter inter Romanos, qui illum sanctum vocabant; cujus simulachrum in Antiquitat. Roman. ita repræsentatur, ut ad dextram virilis imago esset, *Honoris*; ad sinistram, muliebris imago, *Veritatis*; cui etiam Templum dedicatum fuisse narrat Dion. Hal. lib. 9: neque id quidem sine ratione factum, quum nullum sit perjurio nocentius; nullum insidiosius; nullum, nisi Deus heic adsit vindex, impunitius malum; neque à quo sese minus tuëri possit homo. Averni quoque lacus, adeo tetrum sulphureumque odorem spirans, ut aves supervolantes necaret; cum inde ad Inferos traduceretur, ex Augusti Cæsaris edicto dejectis sylvis, quæ ibi densæ erant, ex pestilenti amœnus redditus fuit locus, uti Servius in 3 Æn. tradit. Sed non fluvii supradicti inter Gentiles, & Avernus solum, sed *Gehenna* ipsa, inter Hebræos à superis ad Inferos translata fuit. Quum enim vallis olim esset prope Hierosolymam, ubi Molocho offerebant liberos Iudæi; Iosias Rex, quo locum hunc profanaret, cadavera, immundaque omnia eo jussit inferri; unde postea factum ut ad tormenta impiorum ea transferretur appellatio, ut pluribus enarrat D. Hieronymus in Matth. c. 10. Haud aliter quam Orientales Græci & Romani, sub aliis licet nominibus, *Aquam* olim coluere, non Scythæ, Celtæ, aliique populi tantum, sed & hodie novi Orbis incolæ. Ita à Scythis Vesta vocata fuit *Tabiti*, Iupiter *Papæus*, Tellus *Apia*, Apollo *Oetosyrus*, Cælestis Venus *Artempasa*, Neptunus *Thamimasides*. Wilibaldus quoque primus Episcopus Eistetensis in Germania, testatur populos illis Aquis ante sua tempora sacrificasse. Mare quoque sub nomine

*Hesiod.*

*Serv. ad 6 Æn.*

*Her. Melp.*

mine *Mammococha*, & fontes ac flumina in Novo Orbe pro diis haberi testatur Ioseph. Acosta l. 5, c. 2, & 4. neque dubium mihi est, quin Gentes illæ pro antiqua & vulgari Dei inter eas acceptione (quo nomine etiam Astra & reliqua Elementa colebant) Aquam in genere tanquam utilissimum Elementum, sed alicubi etiam noxium, in numerum Deorum adsciscerent. Ab Amore autem & Timore olim cultus omnis religiosus profectus est. Atque hæc de Aqua sufficient.

## *De Terrâ.*

AD Terræ, crassissimi, sed præsentissimi inter Gentiles Dei, cultum multifarium accedimus. In ea quippe universam Naturam coluere olim Veteres. Quum enim seminales rerum rationes à Cælis ad Aërem, & deinde ad inferiora Elementa delaberentur, Tellus tanquam eorum *Conda* omnia excipere credebatur, tum demum omnia pandere, ut ita *Proma* eorum rursus esset; unde conspicuum maximè festumque divinitatis Theatrum inter illos habita fuit: citra quam porro neque convestirentur arcana illa rerum principia, neque ad oculos sese proderent, adeo ut nisi externa ejus ope suppeditarentur corporea illis indumenta, Deus summus quidem plurima condidisse crederetur, sed quæ absconderet, sibique tantum servaret. Quapropter conjugium quoddam inter Cælum & Terram fingebant veteres, ita ut Cælum Vir, Tellus Fœmina esset: unde ingens illa in terris heic originem duceret proles; sed non solum quod omnia sic produceret, sed quod se ipsa in Aëre vi plane miranda sustentaret, & libraret, Deus fuit habita Tellus. Quid si & se ipsam motu diurno cieret, quod non soli rebantur quidam recentiores Philosophi. Hisce igitur & aliis, sive probabilibus, sive superstitiosis rationibus adducti, Terram impensè colebant Veteres, tum ob id præcipuè quod nullum præter Terram homines & animantia cætera sinu suo dignaretur, postquam fato heic functi essent, Elementum, ita ut Mater communis habita esset Tellus, haut frustrari mortales sinens etiam hac vita excedentes. Cujus benignitatem etiam ut apertius testarentur Gentiles, infantem protinus editum Terra sistebant, illum eapropter in Terra deponentes; sed quem illico levatum Deæ *Levanæ* commendatum voluere; mox *Cuninæ* Deæ, quæ illum in cunis tueretur, & fascinum submoveret; ac *Vagitano* deo, qui illius vagitus compesceret; tum postea *Paventiæ* deæ, quæ pavores pueriles abigeret; postremo *Edusæ* & *Potinæ* Deæ, quæ eduliis & potionibus ejus præessent. Sed non infantium & hominum deinde Mater appellata fuit tantummodo Tellus, sed & Deûm; at non aliorum

certe

certe quam qui ex præclaris eorum meritis in Deos relati fuere; ita ut *Magna Mater* idcircò vocata esset. An vero & *Cybele* à κύβῳ, quam figuram ab Ægyptiis edoctus Pythagoras, Terræ tribuit, ut postea dicemus; uti etiam de aliis ejus nominibus, quum & Isis, Ops, Rhea, Vesta, Ceres, Proserpina, Bona Dea, Flora, & Pales, aliaque numina plura ad Terram quodammodo reducantur, utpote quæ aliquas Terræ dotes vel virtutes denotarunt. Ab Iside ordiar. Hæc enim ut Lunam proprie significaret (quemadmodum antea ostendimus) ad Tellurem tamen quodammodo referebatur. Nam sicut Osiris tanquam principium *Boni* effectivum, in Cælo Solis nomen, in Terra Nili fuit: ita Isis, tanquam principium passivum in Cælo Lunæ in inferiori orbe, Terræ nomen Ægyptiis fuit; quod ex sequentibus patefacere conabimur. Et primò Servius in Æneïd. 8 ait: *Isis lingua Ægyptiorum est Terra.* & Macrob. 1 Saturn. cap. 20: *Isis juncta religione colebatur, quæ est vel Terra, vel natura rerum subjacens Soli: hinc est quod continuatis uberibus corpus Deæ omne densetur, quia Terra vel rerum natura altû nutritur universitas.* His concinit Iul. Firm. *de Err. prof. Rel.* Ceres quoque huc referri potest: ita Herod. *in Eut. Ægyptiaca lingua Isis est Ceres.* Ita etiam Apollod. in Biblioth. lib. 2. quod firmant non tantum ritus utrisque communes, de quibus postea; sed quod Cereris Sacra ipsa ex Ægypto in Græciam translata fuerint, quemadmodum testatur Clemens Alexandrinus Admon. ad Gent. Inter Phœnices & Syrios Dea Syria & Hierapolitana Rheam sive Terram significant. Quod à sapiente viro se accepisse testatur Lucianus: iidem etiam ritus in cultu Rheæ & Deæ Hierapolitanæ eousque processerunt, ut etiam sacerdotes utriusque Deæ (inaudito hisce sæculis religiosæ severitatis exemplo) castrarentur. Quod ut ad imitationem Attinis (de quo supra) factum fuit; attamen ædepol inventum Regis sacrorum potius quam Sacerdotum ipsorum fuisse, prorsus crediderim: Corona etiam turrita super caput utriusque Deæ imponebatur, leonesque currum trahentes, & tympana pulsabantur, ut idem Lucianus tradit. Atergatis quoque Assyriorum Terram significare disertim docet Macrob. l. 1 Saturn. c. 23. tametsi & Lunam, imo & totam rerum Naturam Solari potestati subditam, una significet. Ab Ægyptiis, Phœnicibus, & Syris ad Phryges transeo, apud quos sub nomine Rheæ, & Cybeles, & aliis colebatur Tellus. Heic autem tum passim ubi de Gentilium religione agitur, quædam ἱστορικῶς veterum tangere gesta, quædam μυστικῶς ad rerum pertinere naturam, existimandum est. Priori modo juxta Voss. lib. de Orig. & Progress. Idol. c. 52, trifariam possumus Rheam considerare. Vno modo ut Rhea, quæ communis omnium mater dicitur, sive *Evah* mater

*Festus. Iustin. Hist.*

*Lucian. de dea Syria.*

 omnium

omnium viventium, uxor Adami, qui antiquissimus est Saturnus, quatenus Saturni nomine hominem capimus, non naturam: altero, ut Rhea sit uxor Noachi, qui & ipse Saturni nomine censetur; tertio, ut particulatim signetur veterum Phrygum Regina, quæ *Attyn* bubulcum adamavit, & à morte suâ communis omnium Mater dicta est, & quia cum Tellure uno eodemque honore coleretur. Varia autem Magnæ Matris sive Rheæ pro locorum varietate fuerunt nomina. Ideo apud Romanos qui cultum ejus à Phrygibus acceperunt Mater Phrygia erat vocata, Cybele à Cybela monte, secundum aliquos, Phrygiæ, secundum alios Bithyniæ, nisi potius illud de Κύβω antea allatum placeat. Item Dyndamena à Dyndimis Phrygiæ montibus; item Idæa ab Ido monte Phrygio: Item Berecynthia à Berecynthô Phrygiæ monte, & Pessinuntia à Pessinunte in Galatia, ubi attingit Phrygiam; & Mygdonia à parte Phrygiæ, & Agdistis à Monte Phrygiæ sic vocata. Item Pylene Andeira: sed etiam apud Cimmerios ipsos culta fuit Rhea sub nomine Magnæ Matris. Ita Hesychius. Cimmeriis Mater Deorum etiam Cybebe dicta est, quod homines ageret in furorem, quod Græci κυβήβειν dicunt, inde Cybici dicti, qui occupati afflatique à Matre Deorum ad morem Sacerdotum Cybeles existimantur; ut ait Hesych. sed de nominibus Magnæ Matris reponendus heic est locus è Varrone apud B. August. Tellurem Matrem & nominibus pluribus & cognominibus quod nominarunt Deos esse existimatos complures; Tellurem inde vocatam fuisse Opem, quod operâ fiat melior; Matrem, quod plurima pariat; Magnam, quod cibum pariat; Proserpinam, quod eâ proserpant fruges; Vestam quod vestiatur herbis. Hæc Varro, qui addit deinde & alias Deas non absurde ad hanc revocari: strictius tamen loquendo. Tellumo vis mascula feminum Gentilibus, Tellus fæminina erat: licet utramque vim vulgari sermone significaret plerumque Tellus. Vota inter alios Romanos Opi sive Terræ fecit Tullus, de quo Dion. Hal. lib. 3 verba Latine reddita placuit adducere; neque enim Græca ubique obtrudere animus est: Tullus protensis ad Cælum manibus votum Diis fecit, si eo die Sabinos vinceret, Saturno & Opi solennes se instituturum ferias, quas Romani quotannis post comportatas Terræ fruges celebrare solent publice, duplicatumque Saliorum numerum. Hæc Dion. ubi ex Saturno & Ope Cælum & Terram intelligi nullus dubito: quibus Templum posuit (sed sub nominibus Saturni & Rheæ) & aras consecraverat Tatius. Ædem porro Telluri in Areâ Sp. Cassii extructam fuisse testantur Plin. lib. 34; c. 8. & alii. Fuit & Sacrarium ejus in regia (ita testante Varrone) in quod præter Vestales & Sacerdotem publicum introibat nemo; quum ea suffibulum haut habeat. De imagine Magnæ Matris jam, & deinde de

cultu

cultu Telluris quædam dispiciamus. De priori ita Varro apud Aug. Dicunt Magnam Matrem, quod tympana habeat, significari esse orbem Terræ; quod Turres in capite, Oppida, quod sedes fingantur circa eam, quum omnia moverentur, ipsam non moveri; quod Gallos (id est Castratos) huic Deæ ut servirent, fecerint; significat eos qui semine indigeant, Terram sequi oportere, in ea quippe omnia reperiri; quod se apud eam jactant, præcipitur, qui Terram colunt ne sedeant; semper enim esse quod agant; cymbalorum sonitus & ferramentorum jactandorum, ac manuum & cujusvis rei crepitus, quid sit, significat, quod ferramenta illa erant ideo ex ære, quod eam antiqui colebant ære, antequam ferrum esset inventum; Leonem adjungunt solutum & mansuetum, ut ostendant nullum esse genus Terræ tam remotum ac vehementer ferum, quod non subigi colique conveniat. Hæc ex Varrone Aug. lib. 7 de Civ. Dei. Aliam tamen rationem ponit Ovid. in Fastis quem vide, si otium est. De sacro quodam lapide quem Phryges Magnam Matrem appellabant, & quomodo in Romam translata fuerat, in ædem Victoriæ, & lectisternium ei statutum, ludique in ejus honorem celebrati, quæ Megalesia appellabantur, videatur Liv. & Cic. & Quintil. Atque hæc de simulachro Magnæ Matris sufficient. De cultu ejus (quem mysticum an Maniacum dixerim ambigo) quædam dicenda supersunt; atque utinam Procli Licii liber heic extaret, de quo ita Suidas. Scripsit Proclus librum de Magna Deorum Matre, quem si quis in manus sumpserit, videbit ut non sine inspiratione divinâ omnem de illâ Deâ Theologiam manifestarit, ne aures hominum amplius turbentur ob lamenta & planctus qui in sacris Deæ celebrantur: sed liber hic injuria temporis periit. Notissimi Magnæ Matris Sacerdotes fuerunt Κούρητες sive Curetes, atque ii præcipue Ætolici, Cretici, Phrygii; Κούρητες autem à κούρα sive tonsurâ ita appellabantur; quum è contra Acarnanes ab α στερητικῷ & κείρειν sive κάρειν, quod intonsi essent, vocarentur, cujus rationem à Cl. Vossio adductam videre licet lib. 53; sed quam probare ita facile nequeo, quum à religiosis ritibus, potius quam à militari quapiam causa vel eventu morem illum Sacerdotalium ordinum Magnæ Matris provenisse existimaverim; idque præcipue ob convenientiam inter sacra Isidis & Magnæ Matris supra allatam. Nam & Isidis Sacerdotes inter alias communes ceremonias caput radebant, plangebant, tundentes pectus, & lacertos proprios lacerantes: fuerunt & alii hujus Deæ Sacerdotales (ut mihi videtur) ordines, qui à Strabone lib. 10 appellantur Corybantes, Cabiri, Idæi, Dactili, Telchines; è quibus Corybantes ita dicti, quod in Sacris Magnæ Matris saltantes incederent; Cabiri à Cabiro Berecynthiæ monte, ad cujus pedem habita-

bitabant, Dactyli quod quinque tantum essent numero, & totidem haberent sorores, ut juncti repræsentarent numerum digitorum, Telchines, quia novem numero, Rheam à Rhodo comitati essent in Cretam, quæ Telchinia postea à Telchinibus illic appellentibus vocata. Sunt & aliæ veterum opiniones, quas apud Strabonem legere est. Sacerdotes Magnæ Matris quoque, qui omnes castrati erant, *Galli* vocabantur, non quidem in contumeliam Gallorum, qui Romam incendissent, quod B. Hieron. in Os. c. 4. putavit, sed à *Gallo* Phrygiæ flumine, quod testatur Herodian. lib. 1. ajens Phryges olim celebrasse Orgyia juxta fluvium Gallum, à quo etiam evirati Deæ Sacerdotes, nomen suum obtinent. Hujus fluvii Aqua epota dementasse homines credebatur, quod si verum esset; haud mirum videri potest; si tanquam dementes in ejus Sacris passim discurrerent. Hinc igitur explicandus Ovidii versus, ubi ait: —— *inter viridem Cybelen altasque Cylenas*

Ovid. Fast. 4. *Amnis it insanâ nomine Gallus Aquâ.*

Hinc etiam factum, ut qui Gallorum insaniam imitati essent, *Gallare* dicerentur; de his Varro in Eumenid. *Nam quæ venustas heic adest Gallantibus?* Factum ita ut caput jactarent, sive rotarent arma præferentes: ita enim Lucret. lib. 2.

*Telaque præportant violenti signa furoris.*

& tympana pulsantes. Non quidem (meâ opinione) ut magis terribiles viserentur, nam incessu (vereor etiam toto corpore) molles erant, crinibus, etiam aromatis, vel unguentis suavioribus delibutis, vultu interea candido byssi velamine operto. Inter hos Antistites fuere quidam Archigalli vocati, de iis Tertull. Apolog. c. 24 *Archigallus ille sanctissimus sanguinem impurum lacertos quoque castrando libabat:* Hisce ejulatus & planctus miscebant, ut fabulam non uno tantum modo narratam, quæ de Magnæ Matris dilecto, qui *Attys* fuit, commenti sunt Sacerdotes, melius repræsentarent. Tandem etiam & stipem mendicabant, unde μητραγύρται, hoc est ærusc atores Magnæ Matris vocabantur. Quod & pluribus locis præstitum, & particulatim in Carthagine, B. August. temporibus. Romæ non nisi ad paucos, eosque præfixos dies stipem illis colligere licuit: idque ne animi implerentur superstitione, ut refert Tull. lib. 2. de Leg. Atque heic præclarissimum Dionys. Hal. locum lib. 2 adducere placuit, ut Romanorum morem circa religiones exoticas ostenderem, quem ita vertit interpres: *Quamvis innumeræ nationes in eam urbem convenirent, quibus necesse sit patrios Deos domestico ritu colere, nulla tamen peregrina sacra sunt recepta publice, quod multis jam urbibus accidit: sed etiamsi aliqua Oraculorum jussu aliunde introducta essent, sacro suo tamen ritu peraguntur à civibus, abdicatis omnibus fabula-*

*rum*

*rum portentis, ſicut in Matris Idææ ſacris fit: huic enim Imperatores quotannis Romano ritu victimas cædunt, & ludos faciunt: Sacerdotio verò ejus funguntur Phrygii generis vir & mulier; eamque per urbem circumferunt circulatorio ritu ſtipem Matri colligentes, & pectora plangentes, proſequentibus eos cum Matroo carmine tibiis & tympanorum pulſu; ſed e Romanis indigenis nemo cum Matriacis vicatim ſtipem colligit, nec ad Phrygios tibiæ modos per urbem incedit, variâ indutus ſtolâ, nec ex decreto Senatus Phrygia Matris Orgia celebrat. Tanta eſt religio erga ritus exteros, omniſque indecora veſania reformidatur. Nemo tamen ſuſpicetur me ignorare fabulas quaſdam Græcas eſſe perutiles hominibus, quæ vel opera Naturæ per allegoriam indicant, vel ad conſolationem humanorum caſuum excogitatæ ſunt; vel perturbationes ac terrores, inſanaſque opiniones ex animis eximunt, vel ad aliam quampiam utilitatem ſunt confictæ: equidem iſta novi æque ac quivis alius. attamen illas religioſâ cautione mitto, ac Romanam Theologiam magis probo, reputanſque, quòd in Græcorum fabulis exigua inſunt Bona, nec multis proſunt, niſi qui ſcopum earum accurato examine cognoverint; quæ quidem ſapientia paucis contigit. Cæterum vulgus & Philoſophiæ rudis turba, tales de Diis ſermones in deteriorem partem accipit, & è duobus alterum heic capit incommodum; aut enim Deos contemnit, tanquam multis involutos infortuniis, aut à nullâ iniquitate turpitudineve abſtinet, cum Deos quoque his obnoxios videat. Verum hæc ſpeculativam duntaxat Philoſophiam ſectantibus conſideranda relinquimus.* Hæc Dion. Sacra ejus *Megalenſia*, & deinde detritâ litterâ N, *Megaleſia* vocata fuere; diverſa quidem (ut conjicio) ab Opis Opalibus; ludi quoque quidem Megalenſes vocati à M. Iunio Bruto inſtituti fuerant, qui ædem Magnæ Matris in Palatio dedicavit, ut refert Livius, ludoſque illos *Megalenſes* appellavit: an vero & Μητρῶα vocata ſacra ejus eſſent, dubito. Novi quidem Μητρῶα μέλη à Dion. Hal. memorata eſſe, quod ad Phrygium melos concinatum carmen in Deæ honorem exiſtimaverim. Sed nulla ſatis authoritate mihi conſtat ſacra ejus Μητρῶα appellata fuiſſe; quod tamen Cl. Voſſio placuit. Ludi hi menſe Aprili facti, ad quos ſervos adire non licebat, ut Alex. ab Alex. refert. Poſtea etiam & convivia, ubi cautum eſt de ſumptibus ejus, & ne vina alienigena inferrentur. In præſentia demum Magnæ Deæ fiebant hæc, ubi principes civitatis tantummodo aderant. Sacra hæc primo à Dardano inſtituta fuere, victimæ Aries & Taurus mactabantur. Pinus quoque tum cædebatur ex luco Pineo Cybele ſacro; ferunt enim quod in pinum converſa eſſet Attis: inde illud Maronis: *Alex. ab Alex.*

*Pinea Sylva mihi multos dilecta per annos:*

inquit Mater Deûm: & Ovid. lib. 10 Metam.

*------ Cybeïus Attis*

*Exuit hac hominem, truncoque obduruit illo.*

& de Pinea nuce Martialis:

*Poma sumus Cybeles* ------

Sed & quercum quoque Idææ Matri dicatam fuisse, tradit Apollod. de Diis, lib. 3. utpote quæ prima mortalibus tectum victumque suppeditarit: instrumenta musica in sacris Magnæ Deæ fuere cymbala ex ære, crotala, tibiæ ex buxo, tympana, lituus & ipsa cornua. Demsterus ex Hadriano Iunio mentionem facit campanarum & nolarum usus in Cybeles sacris; sed puto cymbala vel crotala (quæ ex ære) rectius heic substituisset: cum campanæ & nolæ longe posterioris sæculi inventa fuerint; uti probe doctioribus notum. In epulis post sacra suprà memoratis ex tympano libabant, ex cymbalo bibebant convivæ, indeque secreta religionis perdidicerunt, ut Iul. Firm. l. *de Err. Prof. Rel.* tradit. In iisdem sacris quoque repræsentabantur mythra, faces, lances, pedum, quæ nescio quid tum significarent; sed de sacris Magnæ Matris satis superque; quum enim heic fabulæ mysteriis intexerentur, & quædam μυθικῶς, quædam μυστικῶς intelligere oporteat, nihil sincerum inde elici posse videtur; ut speciosæ quædam pro Terræ cultu, tum temporis adduci possint rationes; haut video tamen quomodo insulsi Sacerdotum ritus ab ipso Proclo satis palliati essent, tametsi optarim opera ejus quævis edita fuisse. Atque ex his satis patet, non Solem tantum, & Lunam, cum reliquis, sive erraticis sive fixis stellis una cum Cœlo & Elementis superioribus honore divino olim in cultu fuisse: sed & ipsam Terram; quæ ut abjectissima sordidissimaque mundi pars videatur, seipsam tamen æque ac Elementa reliqua, immo ac Cælum ipsum ac Astra sustinet: quin & in eâ præcipue superiora corpora operationes suas perficiunt, virtutes deponunt, viresque exerunt. Quæ quanti etiam facienda sit, vel ex eo liquet, quod si ad pavimenti instar tessellato opere gemmis constrata esset Terra, illas in maris altum citius proijceremus, quam ut Terra aliqua unicuique ad hortum solummodo instituendum non superesset: Pluris quippe, si usum spectes, tria Terræ jugera quam triginta gemmarum æstimanda sunt. Ut hæc tandem claudam, pauca quædam de cultu supra dictorum in genere subdemus, reliqua ad eam libri periocham, ubi de *caussis errorum circa religionem* agetur, servaturi. Haut igitur totam solummodo mundi sumptam simul molem, sed ejus etiam partes, immo & particulas veneratione prosequebantur olim Gentiles; indecorum esse existimantes, ut aliquæ ejus eximiæ partes, quem tamquam Deum suspiciebant, aliæ non item, colerentur: veluti enim in Principe viro, neque totum pectus membris ejus nobilioribus posthabitis, vel partes corporis aliquas nullâ totius ratione habitâ,

rite

rite quispiam coluerit, adeo ut si oculos nasumque ejus se plurimi facere, reliquis ejus membris rejectis, vel totum corpus, si nasum oculosque exciperet, se honore prosequi dixerit, contumeliam illi factam, nullus dubitaverit. Ita quidem hoc vel illud Astrum, aut Elementum honore aut cultu dignari, reliqua mundi membra tanquam vilia abdicare, turpe & fortasse impium esse judicabant Gentiles. Quapropter uti in Astris, Cælo & Elementis quatuor, (integrantibus nempe Mundi partibus) mundum ipsum se venerari putabant: ita in Mundo ex partibus hisce constituto, & tanquam optimo demum divinitatis simulachro, sese Deum summum colere arbitrabantur, externum externo, interno internum Numini cultum exhibentes: sed de his (Deo favente) judicium meum libere interponam; quod & faxint alii quibus volupe est. Non de nihilo interea erit, quod nomina illa quæ hominibus tantummodo tributa esse olim existimaverit rudis plebecula, Astris, Cælo, & Elementis convenire, μυστικῶς ex Gentilium scriptis sanioribus, seu moribus demonstraverim: si enim ex Iove, Iunone, Marte, Apolline, Diana, Venere, Saturno, Rhea & Diis eorum reliquis nihil aliud intelligi posset, quam quod in Poëticis circa Deos fabulis vulgo præfertur, quis non insulsissimos mortalium Gentiles esse putaverit? Quomodo interea sive ex Sacerdotum commentis, quibus sæculis illis minus deditI fuere, sive ex Principum, Antecessores suos Diis æquales esse jactantium, tyrannide, sive ex servili & fœda populi adulatione, hominum cultus inter hæc irrepserit, jam illustrabimus.

## CAP. XI.

### *De Heroïco cultu, sive proprio, sive symbolico: quinam Dii Indigetes vocati, qui minorum Gentium Dii.*

POst Divinum Numinis summi, Mundi, ejusque partium præcipuarum cultum, in præcedentibus ostensum, Heroicus inferior sc. inter Gentiles cultus proxime tractandus venit. Qui quidem haud ita absurdus, & absonus videretur, si modo vel intra ejus ambitum sese continuissent illi, quibus sacrorum & cultus religiosi cura olim demandata fuit: aut tantum non potuisset olim humana authoritas, ut religionem ipsam quantumvis castam invaderet. Sed quod in ipsam Religionis prophanationem tum temporis cederet; ipse etiam cultus divinus hominibus quibusdam hac vitâ probe functis, sive decretus, sive exhibitus fuit: adeo ut Heroas suos non Cælo tantum, vel immortalitate donarent Gentiles, sed ipsa eorum nomina Diis intulerint, Heroas

in Astris plerumque, Astra in Heroïbus colentes, adeo ut cognomines ita essent; neque satis judicari posset num aniles de iis contextæ fabulæ ad Astra mystice, an ad homines mythicè pertinerent: licentiâ quippe Poëticâ usi Musarum alumni, ita omnia temerabant, ut quid ad alterutras spectet partes, nemo facile invenerit, ut minime dubitem tamen, quin non ita inscitiæ atque petulantiæ eorum scurrilis dicacitas tribuenda sit. Quid enim obscœnum & turpe, nedum scelestum de hominibus præclare de patriâ propriâ, sive genere humano meritis, fingere non ausi sunt Græci primum, & deinde Romani Poëtæ? Neque enim alia quam figmenta appellare possum, ea quæ carmine prodita primum, vix ullus quod sciam, tanquam vera agnovit solutâ oratione scriptor. Facessant igitur & ab ipsâ Gentilium Theologiâ exulent Poëtæ; non solum quippe veras Heroum veterum historias ex fabularum interpolatione suspectas, ne dicam, falsas etiam mortalium credulissimis reddiderunt; sed & fabulas hasce mysticis involutisque quibusdam circa Cælum, Astra, & Elementa doctrinis (quo scribendi genere sive ad asserenda, sive ad occultanda eorum dogmata usi olim sunt Gentiles) admiscentes, nihil integrum, nihil sanum, vel in historia, vel ipsâ religione reliquêre. Quarum fabularum origo ex eo initium duxit, quod quum multi in diversis sæculis & regionibus essent olim Ioves, Martes, Veneres, Bacchi, aliique tum temporis in Deos relati homines: hujus regionis incolæ in patriorum Deorum favorem alienigenas riserunt Deos; illi ex adversâ parte, ut vicem rependerent, hosce subsannarunt. Vnde miro tandem centone facto, omnia fere adulteriis criminibusque Deorum referta erant scrinia. Quibus alias demum superinducentes fabulas, recentiores Græci Romanique Poëtæ id effecerunt, ut neque veræ, neque falsæ ipsæ satis constarent historiæ. Hasce igitur ut castigaret Romulus, rectioremque de Diis opinionem inveheret, præclaram religionis reformationem suis temporibus instituit, teste Dion. Halicarn. l. 2. Τοὺς δὲ παραδεδομένους περὶ αὐτῶν μύθους, ἐν οἷς βλασφημίαι τινὲς εἰσὶ κατ' αὐτῶν, ἢ κατηγορίαι, πονηροὺς καὶ ἀνωφελεῖς καὶ αἰσχήμονας ὑπολαβὼν εἶναι, καὶ οὐχ ὅτι θεῶν ἀλλὰ, οὐδ' ἀνθρώπων ἀγαθῶν ἀξίους ἅπαντας ἐξέβαλε, καὶ παρασκευάσε τοὺς ἀνθρώπους κράτιστα περὶ θεῶν λέγειν τε καὶ φρονεῖν; μηδὲν αὐτοῖς προσάπτοντας ἀνάξιον ἐπιτήδευμα τῆς μακαρίας φύσεως. οὔτε γὰρ Οὐρανὸς ἐκτεμνόμενος ὑπὸ τῶν ἑαυτοῦ παιδῶν παρὰ Ῥωμαίοις λέγεται. οὔτε Κρόνος ἀφανίζων τὰς ἑαυτοῦ γόνας, φόβῳ τῆς ἐξ αὐτῶν ἐπιθέσεως. οὔτε Ζεὺς καταλύων τὴν Κρόνου δυναστείαν, καὶ κατακλείων ἐν τῷ δεσμοτηρίῳ τὸν ἑαυτοῦ πατέρα: οὐδέ γε πόλεμοι καὶ τραύματα, καὶ δεσμοὶ, καὶ θήτειαι θεῶν παρ' ἀνθρώποις. ἑορτὴ δὲ παρ' αὐτοῖς οὐδεμία μελανείμων, καὶ πένθιμος ἄγεται, κοπετοὺς

ἔχουσα

ἔχουσα καὶ θρήνους γυναικῶν ἐπὶ θεοῖς ἀφανιζομένοις ὥσπερ Ἕλλησιν ἐπιτελεῖται περί τε Περσεφόνης ἁρπαγὴν, καὶ τὰ Διονύσου πάθη, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα. quæ ita vertit interpres: *Cæterum fabulas de ipsis* (Græcis) *à majoribus traditas, probra eorum continentes, ac crimina improba, censuit, inutilesque ac indecentes, ac ne probis quidem viris dignas; nedum Diis superis; repudiatisque his omnibus, ad bene & præclare de Diis sentiendum ac loquendum cives suos induxit, nihil iis affingi passus quod beatæ illi naturæ parum esset consentaneum. Neque enim Cælus a suis liberis exectus apud Romanos traditur. Neque Saturnus proprios natos abolens metuensque, ne ipsorum appetatur insidiis: non Iupiter Saturnum Patrem regno dejectum Tartareo includens carceri: nec item Deorum Bella, vulnera, vincula servitutesve apud homines: nullum apud eos Festum atratum, aut lugubre agitur, in quo mulieres sublatos è medio Deos planctibus & lamentis prosequantur: qualia sacra Græci faciunt, raptam Proserpinam casusque Bacchi referentia, & id genus alia.* Hisce non obstantibus, paulatim gliscebant inter Romanos fabulæ Græcorum, quarum quædam ab Orientalibus traductæ, ipsaque superstitio: Quod quidem magis ferendum esset, si tantum Heroibus suis in Deos relatis tribuisset Græcia mendax, quantum *Amadisio* suo posteri; cujus mores saltem probi verecundique perhibentur, nihil commune cum dehonestamentis Gentilium Heroum habentes. Heroicus autem cultus is fuit, ut statuæ ornamento ut plurimum militari in vicis ponerentur: cereæ circa eas accenderentur; thus & cinnama adolerentur; statuæ deinde illæ in pompâ Circensi ferebantur, & eorum nomen & gesta in Hymnos Saliares, vel axamenta potius relata; quo honore donabantur inter alios Mamurius, Verrarius, & Lucia Volumnia, teste Varrone lib. 5, & 8 de L. L. neque ultra (quod sciam) Heroïcus extendebatur cultus: Plato 4 de Leg. docet Heroas post hanc vitam non coli debere, sed ornari & honorari eorum statuas. Nam templa, aræ, victimæ ad divinum cultum proprie spectabant. Horum cultuum differentias ostendit Plut. de Præ. mul. fact. τῇ Λαμψάκῃ πρότερον ἡρωϊκὰς τιμὰς ἀποδιδόντες ὕστερον, ὡς θεῷ ἐψηφίσαντο. *Quum Lampsacæ prius Heroicos tribuissent honores, ut ei velut numini sacrificaretur*: decretum igitur ut sacrificia cruenta Diis solis proprie oblata essent. Cæterum si non templa & aras, at sacella saltem & casulas Heroibus dicatas olim fuisse, tradit Dion. Hal. lib. 1 & 3. qui eos deducit (quemadmodum etiam Plato) ex mediâ quâdam naturâ inter Deos & Homines, quæ nunc hominibus, se nunc diis admiscent: unde mixta origo Heroici generis. His non absimiles Heroës inter Romanos habiti fuere Curius, Fabricius, Coruncanus, Duillius, Metellus, Luctatius, Maximus, Marcellus, Africanus, Paulus, Gracchus, Cato, Scipio, Lælius, multique

Cic. de off.

multique alii, quorum neminem nisi juvante Deo talem fuisse credendum est, ut tradit Cic. l. 2 de Nat. Deor. tum inter Græcos Vlysses, Diomedes, Agamemnon, Achilles, quibus Deos comites periculorum fuisse scripsit Homerus. Quæ quidem illorum sensum de Gratiâ divinâ assistente & comitante, Heröas suos testari videntur. Sed de cultu diverso religioso idem Cic. audiendus est 2. de Leg. ubi tres deorum classes, quibus divini honores & cultus tribuendi essent, memorat: Primam eorum qui Cælestes semper sint habiti; Alteram eorum quos merita in Cælum vocarunt; Tertiam, Divarum propter quas datur adscensus in Cælum, quæ ab illo nominantur Mens, Virtus, Pietas, & Fides; sed locum integrum alibi apponam, quum religionem antiquam luculenter ostendat. Quum autem de iis qui Cælestes semper sunt habiti, quædam supra videre sit: ad eos, qui secundæ Classis sunt, deveniamus. Atque hi quidem, ubi fato functi essent, Dii *Indigetes*, quasi in Diis agentes, ut ait Servius, ab aliis minorum gentium Dii vocati fuere; & in veteri Glossario, ut Scaliger testatur, ἡμίθεοι κὰγέτης. cujusmodi fuere, Hercules, Faunus, Carmenta, Euander, Castor, Pollux, Æsculapius, Acca Laurentia, Quirinus, & alii. Hos vocari & nuncupari nefas esse, scribit Festus; fortasse ne certus eorum numerus ita statueretur, aut alii præ aliis temere colerentur. Apud hos autem, & Lares, & Divos Novensiles potestatem, ut ait Livius l. 8. nostrorum hostiumque fuisse credebatur. Hi autem indigetes in libros quosdam Pontificales, quos ἱερατικὰ βιβλία vocat Vossius; sed quæ à Romanis *Indigitamenta* appellata fuere, relati erant, ubi & nomina Deorum & rationes illorum nominum continebantur: ut *Indigitamenta* igitur tanquam quædam indicia fuerint ad modum Kalendariorum nostrorum vel Rubricarum. Atque ab Indigitamentis illis fortasse fuit, quod Heroës quos supra adduximus, in Deos relati, *Indigetes* vocati essent; eoque potius quod curam mortalium tanquam iis cognati gerere credebantur. Deum summum quippe tanquam beatissimum curis eximebant olim Gentiles. Aliquod etiam hujus argumentum esse potest, quod è Sophocle narrat Cic. l. 1 de Divin. quum enim ex Herculis Æde patera aurea gravis surrepta esset, visus fuit in somnis ipse Hercules dicens qui id fecisset; quod semel iterumque factum, quum neglexisset Sophocles, admonitus tandem sæpius, in Areopagum ascendit, remque detulit, ubi quæstione adhibitâ, vir à Sophocle nominatus confessus est, pateramque retulit; unde fanum illud postea *Herculis Indicis* nominatum est. Sed & exempla hujusmodi quædam à Cicerone ibidem adducuntur. Novi alias à Lucretio & aliis dari deorum Indigetum etymologias, circa quas liberum unicuique sit judicium: sed seorsim quædam de Hercule & aliis videamus,

mus, ut ſaltem conſtet, non ἀθανασία tantum, ſed beatitudine etiam Heroas inter Gentiles donatos fuiſſe; ut (de Animæ immortalitate ita nemo tum temporis inter eos ambigebat) qui divinitatem ipſam eximiis hominibus tribuerunt.

## *Hercules.*

PLures olim Hercules fuere, quorum Terentius Varro 44 enumerat. Inter hos qui celebriores fuerunt, reperio Herculem Marguſanum, Herculem Ogmium, qui Gallis Eloquentiæ ſymbolum fuit, Herculem Pollentem, Herculem Thebanum prius Alciden dictum; Herculem Tyrium, qui & Ægyptius vocabatur; & geminus perhibetur: Senior, qui Melicarthus dictus, ſive is Eſavus, ſive Tyriæ urbis conditor, & junior, à quo Geryon ſubactus, qui in Sidone & Hiſpania colebatur. Herculi ſuo ea tribuunt Phœnices, quæ Ioſua in Cananæâ geſſit. Suſpicio quoque eſt à leone interfecto, & aliis circumſtantiis Samſonem eundem ac Herculem fuiſſe: de quibus omnibus, & aliis hoc nomine vocatis, inter alios videatur Voſſius l. 1 de Idololatr. qui plurima huc ſpectantia congeſſit. Brevi omnes viri fortes *Hercules* vocabantur, inter quos celeberrimus ille, qui Tyrannos ubique ſubegit: ſed non minus ob pietatem laudatur Hercules à Dion. Hal. l. 1 memoratus: Quum enim Saturnum olim placarent Gentiles victimis humanis, Hercules, ut aboleret hunc morem Sacrorum, in Saturnio Colle Romæ aram fundavit, auctorque fuit, ut Sanctæ hoſtiæ puris adolerentur ignibus; tum ad mitigandam Dei iram ſufficere, ut pro hominibus, quos compeditos & manibus exarmatos in Tyberim jaciebant, oſcilla ad eorum ſimilitudinem efficta, eorundemque habitu exornata, in fluvium mitterent; quem morem ad ſuum uſque tempus ſervatum tradit idem Dion. Decimas Herculi olim dicatas fuiſſe, ſcribit Diod. Sic. & homines qui id feciſſent, fortunatiores evaſiſſe, Hercule id antequam in Deos tranſlatus eſſet, ſpondente: quâ de re vide Plut. Q. Ro. Aurel. Victor. Macrob. Servium & alios. Cognomina ejus fuere *Cubans*, *Defenſor*, *Magnus*, *Triumphalis*, *Sylvanus*, *Vector Muſarum*, vel *Muſagetes*; in nummis etiam nomina Pacifici, Invicti, Olivarii, inveniuntur; ſub quibus utplurimum cognomentis Ædes, Templa & Simulachra in Romà, & paſſim, erigebantur. Nullum enim inter Heroas præclarius fuit ubique Gentium, quam hujus vel illius Herculis Numen.

*Fau-*

### *Faunus.*

Reges Aboriginum duo fuere Fauni appellati: prior à Chronologis quibusdam statuitur A. M. 1520. Alter, Pici filius, ædificia primus certis numinibus & lucos dicavit, à quo *fana* etiam sunt dicta, teste Probo; quin & Faunos & Satyros ab illo originem duxisse, aliqui volunt. Fuit is Herculis contemporaneus, à quo etiam uxorem accepit, & postquam inter mortales esse desiisset, voce quadam homines excitasse, & *Panicos* terrores induxisse, & spectra ipsa illis obtulisse credebatur, ut ait Dion. Hal. l. 5. Adeoque in Deos *indigetes* relatus fuit, ac sacris honoribus & carminibus celebratus. Quapropter Cl. Vossio assentiri nequeo, qui tradit Faunum nullum Aboriginum regem fuisse. Disertim enim testatur Dion. Hal. l. 1. Faunum apud Aborigenes regnum à majoribus acceptum tenuisse. De altero Fauno quem Aboriginum regem A. M. 2724, scribunt aliqui, non est ut prolixior sim, quum circa eum haud ita clara sit authoritas. De Fauno & Pico, montis Aventini numinibus, apud Ovid. l. 3. Fast. legitur eos carminibus Iovem è Cælo attraxisse, ut sibi ad interrogata responderet: illuc spectant versus:

*Eliciunt cælo te Jupiter, unde minores*
*Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.*

Hujus nefariæ artis Apulejus reus factus, ultimum vix evasit supplicium.

*Voss. de Orig. & Progr. Idol. l. 1. c. 12.*

### *Carmenta.*

Carmenta, Mercurii filia, & mater Euandri, quum ei nomen esset *Nicostrata*, ita appellata fuit à carmine quo futura prædicebat; nisi potius Carmen à Carmentâ deducas, quod quidam volunt; fuit illa, uti fertur, vatidica, & adeo à Plutarcho *Carmenta* quasi *carens mente* vocata, quum in furorem acta futura prædicens, haut sui compos esse videretur. Religiose à Romanis colebatur, tum præsertim à Matronis; adeoque Ara illi dicata apud Portam *Carmentalem* sub Capitolio, & sacrificia facta fuerunt. Templum quoque habuit in Octava regione Vrbis, honoresque heroici illi decreti.

### *Euander.*

Euander, Carmentæ & Mercurii filius, eo tempore quo Hercules in Italiam venit, non tam imperio ac authoritate Aboriginum Rex fuit Arcas ipse, qui præter scitamenta multa ab illo invecta, cujusmodi fuerunt instrumenta Musica, Lyra, Trigonum, Ludi, Græcas literas

etiam intulit, legesque condidit; & tandem propter excellentem ejus eruditionem, summamque Sapientiam, non tantum Heroïco honore cultus fuit, sed ei quotannis sacrificatum. Dion. Hal. l. 11.

### *Castor & Pollux.*

Castor & Pollux, dicti *Dioscuri* sive Iovis filii, aut pueri, & fratres Helenæ, in pugnis auxiliares sæpe visos fuisse olim Romanis credebantur; ipsi pugnantes quoque ex equis,& quum ex *Semonum* sive ἡμιθέων numero essent, tanquam deo patre prognati, ut ait Dion. Hal. l. 7. in Deos tandem translati putabantur, atque iis ædes constructæ, & Sacra facta; tum fons ludique annui illis dicati, ubi in honorem eorum etiam Pompam quandam equestrem publicam pulcherrimamque Idib. Quintilibus (quo die eorum ope Romani quandam victoriam reportasse dicebantur) spectare fuit: de qua vide Dion. Hal. l. 6.

### *Æsculapius.*

Æsculapius non unus tantum recensetur. Tres olim fuisse, scribit Cicero de N. Deorum, quorum primus Apollinis filius; secundus Mercurii pater; Tertius Archippi & Arsinoës dicebatur filius; omnes Medici egregii, inter quos tamen clarissimus Apollinis filius perhibetur. Hunc, vel potius Anguem quendam, quem pro Æsculapio coluerant Graji, ab Templo ejus Epidauri arcessebant Romani, templumque illi in Insulâ Tiberinâ ponebant, ubi ægroti pernoctabant sanitatem sibi ipsis inde redditum iri, spondentes. Adeo ut hic quoque Epidauri primo inter deos Indigetes receptus, in Græciâ, Carthagine & Româ tandem Heroico cultu cultus esset.

### *Acca Laurentia.*

Acca Laurentia, sive Larentia, Faustuli uxor, quum pulchra esset, & quæstu corporis divitias magnas sibi comparasset; nutrix fuit Romuli & Remi, qui ubera ejus sugentes, suxisse dicebantur ubera lupæ vel meretricis, unde etiam earum prostibula *lupanaria* vocabantur. Quæ quum bonis suis populum Romanum hæredem reliquisset, meruit ut Sacrificium ei publice fieret, & dies è nomine ejus in Fastos adderetur, feriæque ejus quæ *Laurentalia* vocabantur, à Romulo ipso constituerentur, quum non solum nutrix ejus esset, sed quod post occisum Remum, *Dion. Hal. l. 1.* *Agel. l. 6. c. 8.*

ubi de inferendis sibi manibus cogitasset, animus ejus prudenti Laurentiæ consilio erigeretur. Dion. Hal. l. 1.

## *Quirinus.*

VLtimo heic *Quirinum* adjungam, (innumeros enim fuisse olim Heroas tradit Dion. Hal.) *Quirinus* autem à verbo *curis*, quod Sabinis hastam significat, ita fuit dictus (ut quibusdam placet) vel à Genio loci ita vocato, qui Aboriginum tempore puellam in Engali templo choros ducentem, posteaque tanquam furore correptam, in Dei sacrarium sese proripientem, compressit, ut refert Dion. Hal. filiumque ex ea genuit Heroa: sed ut ista mittamus, liquet ex Dion. Hal. l. 1. Romulum ubi in Deorum cœtum à genio suo ductus esset, ut ipse retulit, se hisce verbis *Quirinum* vocari à Romanis, jussisse Εἶμαι δὲ Κυρῖνος. sed videatur de hac re etiam Plutarchus: ut Quirinus tamen heic sit Romulus, licet & Marti idem nomen tributum fuisse, & in genere Quirinum hominem fortem & Bellicosum referre, tradunt alii: certe *Quirites* inde vocati fuere Romani, tum præcipue milites. Huic Quirino sive Romulo, in tumulo Quirino dicto, fanum constitutum fuisse, narrat Varro l. 4 de L. L. Tatium Quirino Templum & Aram consecrasse, scribit Dion. Hal. l. 2. Atque hæc de Diis Indigetibus, quos Cicero ordinem temporum secutus, nominavit, dicta sunto. In quorum cultu ut quædam fuerint, Heroicos honores excedentia, id tamen vel adulationi, vel superstitioni temporum adscribendum: quum heroicus cultus simpliciter non ita late proferretur. De utroque cultu videatur Iustinus l. 12. & vide etiam Plut. in Alexand. Quum enim Alexander *Hephæstionem* suum mortuum diu luxisset, tumulumque ei 12 millium Talentorum fecisset, & tanquam deum coli tandem jussisset, ita ut etiam per nomen Hephæstionis jusjurandum sanctissimum tum temporis esset: quia tamen non authoritate propriâ tantum, sed Oraculi effato uti vellet, ad Ammonem misit consultum an in Deos illum referri fas esset; jussisse autem Oraculum τιμᾷν Ἡφαιστίωνα, καὶ θύειν ὡς Ἥρωι, *Hephæstionem honore afficere, & sacrificare ut Heroi:* in quibus clare inter utrumque cultum distinxit Oraculum; ut dubium tamen non sit, quin subsequentibus temporibus ingruente superstitione, auctiori cultu coluerint Heróas suos Gentiles. Multum quippe in religione quavis effecit apud homines in credulitatem pronos rituum solemnitas, fabularum vetustas, & Sacerdotum in id maxime contendentium, ut obstrictum obnoxiumque sibi redderent populum, calliditas: unde factum, ut paulatim gliscente eorum authoritate, ut Heröici honores in divinum illorum cultum transierit,

ierit, quemadmodum de Lampſaco ſupra teſtante Plut. monuimus. Sed & alia erroris hujus cauſa adduci poteſt; quum enim, uti ſupra diximus, curam particularium Heroibus ſive Indigetibus traditam fuiſſe à Deo ſummo crederent Gentiles, eos (lapſu prono facilique) divino honore afficiendos eſſe putabant, quo ita citius propitiarentur. Atque hæc de Diis Indigetibus quibuſdam (plures enim fuêre ſtante Rep.) dicta ſunto: de Cæſaribus quædam jam videamus.

## *Cæſares.*

IUlius Cæſar poſt mortem ejus ab Auguſto conſecratus fuit: de quo Manilius:

*Jam facit ipſe Deos, mittitque ad Sydera Numen*
*Majus, & Auguſto creſcit ſub Principe Cælum.*

*Divus* etiam vocatus fuit, teſtante Strab. l. 4. Diod. Sic. l. 1. Tzetz. l. 1. Hiſt. 68. De Auguſto ſic Plin. in Paneg. *Dicavit Cælo Tiberius Auguſtum, ſed ut Majeſtatis numen induceret.* De eo Tacitus Ann. 1. *Sepulturâ more perfectâ, Templum & honores cæleſtes decernuntur.* Quin & Numerius Atticus affirmavit ſe vidiſſe Auguſtum in cœlum euntem, eoque nomine accepit à Liviâ decies ſeſtertiûm, ut in Dione habetur l. 3. Plin. in Paneg. etiam ait dicatum fuiſſe Claudium à Nerone, ſed ut irrideret; Veſpaſianum à Tito, Titum à Domitiano, ſed ille ut Dei filius, alter ut frater haberetur; *deinde*, inquit, *tu Syderibus Patrem* (Nervam) *intuliſti.* Sed non à ſucceſſoribus ſolis is honos factus Imperatoribus; ſua enim ſuffragia heic addidit Senatus. Ita enim de Antonino Pio Iul. Capitol. *Cum jucunditate à Senatu Divus appellatus eſt, cunctis certatim admittentibus.* Item de M. Antonino Philoſopho: *Deinde quum gratias ageret Senatus, quod Fratrem conſecraſſet.* Item de Ælio Helvio Pertinace: *Per Senatum & Populum Pertinax in Deos relatus eſt.* De *Apotheôſi* Imperatorum, & quomodo illos ἐκθεάσειν ſolerent Romani, videatur Herodian. ubi poſt rem divinam ceremoniaſque de more concelebratas, narrat quomodo imago cerea Imperatoris recumbenti ſimilis, lectuſque eburneus in regiæ veſtibulo veſtibus aureis inſtratus, illi poneretur, & Senatus dein veſtibus atris amictus, Matronæque albis, per dies ſeptem continuos illuc acceſſerint; Medicis interea ad lectum adſiſtentibus, inſpectumque velut ægrum deterius ſe habere ſubinde pronuntiantibus. Dein ubi jam viſus obiiſſe diem, lectus ille humeris juvenum Senatorii & Equeſtris ordinis attolleretur, & per viam Sacram ad vetus forum deferretur, ubi Magiſtratus Romani Imperium deponere ſolerent, exinque chorus Patriciorum puerorum & fæminarum illuſtrium hymnos in de-

functum, Pæanasque μίαν θρηνῳδίαν canerent; quibus peractis in Campum Martium perferretur, ubi suggestus quadrangularis ligneus fomitibus oppletus, in fastigium bene altum assurgens, extrà stragulis auro contextis eburneis signis, varijsque picturis, exornatus esset, & exin quomodo suffimentorum odoratorum acervus ingens aggereretur, Equestris ordinis viris interea motu Pyrrichio in orbem decurrentibus, curribusque circa suggestum circumactis: Atque ubi hæc celebrata essent, facem caperet Imperii successor, eamque Tabernaculo, in quo lectus positus, admoveret, adstantibus unà ignem subjicientibus, donec igni universa machina corriperetur, & in suavissimum odorem abiret; tum Aquila dimitteretur, quæ in Cælum (uti credebatur) ipsam Principis animam deferret, & tum denique illum cum cæteris Numinibus cultum fuisse. Ius quippe suffragiorum in Cælis ipsis se habere putabant Gentiles; (uti qui Mundi concives essent) neque Deos ipsos eorum consortium rejecturos, quos illi unâ voce heic *Apotheôsi* dignos judicaverant. Quod etiam haut ita mirum inter eos videri debet, quum Deos illos, quos benignos cumprimis exaudiendisque precibus faciles credebant, ex hominibus in Cælum relatis constituissent; ita tamen ut haut minus inde Deum summum, tanquam fælicioris cujuscunque status authorem advenerarentur, quem beatum porro eo nomine præsertim esse fatebantur, quod constanti in rebus, tum justo prudentique ante omnia ordine posito, ipse sese curis particularium, nisi quatenus in generali hujus mundi Systemate legibusque æternis continerentur, exemisset. Sed de his alibi. Morem hunc consecrandi Imperatores haut abolitum fuisse vel ipsis Constantini M. temporibus, colligitur ex nummo quodam antiquo: in quo (uti Vossius habet) Anima ejus linteo velato, cætera nuda, in Cælum vehitur quadriga, brachioque exserto excipitur à brachio altero cælitus porrecto; subscriptum vero *Conf.* hoc est *Consecratio*. Incongruum esse fortasse existimabant successores ejus, ut honores vel præmia non meruerit Imperator Christianus, quæ Ethnicis, immo & quibusdam pessimis Imperatoribus tributa fuere. Hoc solummodo interfuit, quod Ethnici Imperatores Aquilis in Cælum vehi crederentur: Constantinus quadrigâ; ita tamen ut non nisi brachio porrecto, quod Divinam Gratiam significare videtur, ingressum in Cælos dari posse subindicarent. Sed & *Augustæ* divinos honores consequutæ sunt. Ita Livia, conjux Augusti Cæsaris, non à Tiberio filio, sed à Claudio nepote tandem consecrata fuit; hoc quoque in ejus honorem additum fuit, ut mulieres per illam jurarent; habitu demum Iunonis consecrata fuit: ut in illa Iuno, & quicquid demum Iuno inter illos significare mysticè posset, coleretur. Vnde Prudentius:

*Adje-*

*Adjecêre Sacrum, fieret quo Livia Iuno.*

De Faustina, Antonini Philosophi uxore, hæc in Capitolino habentur: *Divam etiam Faustinam à Senatu appellatam gratulatus est.* Cajus Caligula quoque sororem suam Drusillam urbes per omnes divinis honoribus coli jussit; nec defuit Senatorii ordinis vir Livius Geminius, qui juraret se eam vidisse in Cælum ascendentem, cumque Diis conversantem; & exitium sibi & familiæ imprecaretur, si falleret, testes Deos & in his Drusillam invocans: adeo ut post Numerium Atticum supra allatum, & Iulium Proculum, qui se Romulum in Cælum ascendentem vidisse asseveraverat, tertius hic fuerit, qui rem parum verisimilem ausus sit sub diris imprecationibus affirmare: ut ut fuerit, decies sestertiûm hoc nomine meruit vel accepit. Dion. author est, Drusillam habitu *Veneris* nomine *Pantheæ* consecratam fuisse; atque huc retulit Iust. Lipsius veterem inscriptionem *Veneri Cælesti Augustæ Sac. Mummia C. P. Dorcas, S. P. F. C. Mæsa* quoque Severo Cæsari nupta, & duorum Imperatorum avia, in Deos est relata. Etiam *Mares*, qui non Augusti, sed ex Augustina domo, relati in Deos fuere. Inter hos Geta Severi filius numeratur, de quo illud fratris Bassiani: *sit Divus dummodo non sit vivus.* Imo & Antinoüs Hadriani Imperatoris deliciæ, cælestes honores post mortem consequutus est, Oraculo etiam constituto: de quo mira narrantur in Spartiano. Atque hæc de diversis Heroum Imperatorumque inter Romanos cultibus dicta sunto. *Herodian. l. 6.*

## *De Cultu Heroïco inter Græcos.*

AD Græcos jam transeo, qui utique Heroas suos in Deos retulerant, non ideo quidem quod diffiterentur inde Deum O. M. quem omnes etiam unanimiter Gentes colebant, esse longe supra illos positum; sed ut inferiores quosdam Deos, Summo militantes, vel ministrantes, statuerent: *Dii* quippe sive numina ea omnia apud illos habebantur, quæ vel à Deo summo huic mundo præfici conspicerent, vel in Cælitum consortium post hanc vitam transactam adsci ſci crederent. Hujusmodi autem fuêre Heroës optime de patria sua, sive humano genere meriti, quos immortalitate beatiorique vita dignos censebant; ubi igitur illud Deûm agmen in Authoribus Græcis celebratum occurrit, cogitandum est, vel Astra, Cælum & Elementa, mysticè inde significari: vel homines saltem fuisse quos in Cælum retulerunt suffragia humana. Quæ ut audax sententia procaxque esset, quum de occultis Dei summi judiciis ita decernerent, non parum tamen ad virtutem tum excitandam tum sanciendam faciebat. Novi quidem Patres

Ecclesiæ sævè in Gentiles invehi, quod Deos-homines colerent; sed fucus heic forsan lectoribus factus, quod illi diversâ à Gentilibus significatione acceperint Verbum Deus, velut supra ostendi: adeo ut apud Gentiles Deus-homo (vix puto) plus innuat (ubi mystica omnis abest interpretatio) quam apud Patres Ecclesiæ *μακαρίτης*, vel *Sanctus*, nisi quod hi felicitate quadam abstracta & spirituali (ut vocant) in cælis frui dicerentur; illi næ! crassa nimis & corporea; quæ quamvis hebes & animis piis indigna sit opinio, non solummodo tamen inter Mahumedanos Indosque plurimos hodierno die obtinet; sed & in se ipsa magis antiqua & universalis fuit doctrina, quam vulgo creditur. Huc enim respiciunt veterum Pythagoræorum dogmata, de transmigratione Animarum in nova corpora, & mystica priscorum Poëtarum Theologia, & Brachmannorum & Bongorum in Indiis Orientalibus de statu futuro animarum; adeo ut quidam (juxta illos) illustriora corpora induant, deliciis longe nostris suavioribus utentia, si probe hac vita functi essent; sin minus, Animas eorum in bestias migrare: sed de his non libet disserere. haut tamen silentio prætereundus doctissimi Heinsii locus, Annot. suis de Abrahamo & Lazaro in N. T. ubi quædam huc spectantia eruditè, ut solet, afferuntur. Heic satis fuerit indicasse Diis olim corpora tributa fuisse, ne Anima humana ab hoc corpore soluta, vi sua plastica orbata esset, & tanquam charissimo sibi comite destituta feriaretur, nudisque contemplationibus totum transigeret ævum, antiquis muniis exercendis inepta prorsus & inhabilis; adeo ut innumeras bonas utilesque actiones, quas corporis ministerio edere solebat, haut amplius jam vel conniti posset: dubium quippe illis fuit, an Anima ex natura propria sine corpore aliquo ministrante perfectior esset; unde tandem in eam sententiam pervenerunt, ut Diis suis corpora tribuerent Gentiles; quum neque Anima sine corpore, neque corpus, nisi vices suas Anima rependeret, muneri suo par esset. At dices, etiam turpissima de Diis Gentilium tradi? fateor: sed quæ vel Poëtæ ipsi finxerint, ideoque prodita fuerint, ut alienigenarum, vel exoticorum Deorum vitam deridendam propinarent, vel quæ supponerent, à Diis illis dum heic agerent, perpetrata fuisse; aut si postquam immortalitatem adepti essent, stupris & adulteriis mulierum illusissent pudicitiæ; quod Diis non solummodo omnia licita putarent, sed quod Heroës ex illo concubitu geniti, debilem fragilemque nostram conditionem longe excederent, & exsuperarent; adeo ut in bonum aliquem heic finem editi essent Heroës illi; hominesque ita facti, in Deos tandem ipsos evaserint. Atque hæc in genere puto fuere Sacerdotum tum temporis, in favorem prurientium Deorum suorum argumenta,

menta, quorum ut aliqua non inepte dicerentur, quædam tamen adeo absurda & absona mihi videntur, ut non Deorum prodidisse ita labes, ac hominum mœchorum scelera texisse perhibeantur. Quæ tamen quum ad veterum Theologiam intelligendam, in qua nihil Diis-hominibus frequentius, conferant, paucis heic perstrinximus. De cultu Hominum-Deorum (neque enim θεανθρώπους lubet appellare) in Græcia sic scribit Cicero lib. 3 de N. D. *Iam vero in Græcia multos habent ex hominibus Deos: Alabandam Alabandi, Tenedi Tenem, Leucotheam, quæ fuit Ino, & ejus Palæmonem filium; cuncta Græcia Herculem, Æsculapium, Tyndarides.* Ex quibus videre est in nonnullis urbibus vel provinciis, eos cultos fuisse Heroas, sive Deos, quos vicinæ nationes non agnoscerent. Sed & alios utique fuisse, qui ex consensu communi populorum in cultum adsciscerentur. Quinam hi fuerint, docet Cicero lib. 1 de N. D. *Perseus* (inquit) *Zenonis auditor eos dicit Deos habitos, à quibus magna utilitas ad vitæ cultum esset inventa, ipsasque res utiles Deorum vocabulis nuncupatas.* Ita etiam Max. Tyr. dissert. 38. Græci quidem bonis viris sacra etiam faciunt; quorum virtutum memoriam celebrant: συμφορὰς vero sive calamitates omittunt. Et quidem hoc in genere cultus (puto) præivere Græci Romanis, Ægyptii Græcis, ex quorum officina, ut antea diximus, religiosus primo prodiit cultus hominum. Tales enim fuere *Osiris* & *Isis*, antequam in Deos, atque ita in Astra eorum nominibus nuncupata, relati essent: ut ideo Salustio in Servio assentiri nequeam, ubi ait: *Cretenses primos invenisse religionem*; neque enim ab Cretensi eorum Iove, aut ab ulla quavis Insula in orbem terrarum primo manasse *religionem* crediderim: si enim ex *Religionis* verbo internus ille Dei Summi, ex omni virtute & pietate cultus, intelligitur, haut ille quidem à Cretensibus primo incepit: est enim in ipsis hominum ubique cordibus descriptus: sin vero externi ritus & ceremonia, velut etiam Dii ascititii eorumque colendorum modus, & sacerdotales ordines ex *Religionis* verbo, juxta genuinum ejus sensum innuantur; neque illi quidem à Cretensibus ordientur; quum in Ægypto & Græcia hasce *Religionis* partes initium habuisse supra ostensum sit. Sed quædam heic breviter de aliis Diis-hominibus attingamus, Vossium secuti, qui eos magna diligentia congessit. Hujusmodi fuere in Sicilia *Butacides*, & forte *Marcellus*; quum de Marcelleis in honorem ejus institutis mentio fit, in Peleponeso, & postea per totam Græciam, & alias nationes Castor & Pollux, *Tyndarides* vocati, & Διόσκουροι; sed non soli, ut in Cicerone l. 3. de N. D. videre est, velut etiam Ἄνακες, ut tamen an *Anac*, vel *Ænac*, vel *Anacim* Hebræorum aliquid cum his commune habeat (quum Græcum origine sua prorsus sit verbum)

*Cicero sic in Ver.*

bum ) dubitem. Fuit inter Laconum Heroas Hyacinthus, cujus ſacra in Apollinari feſto celebrabantur; niſi potius ſub ejus nomine Apollo coleretur, quo in feſto hedera coronati Bacchico ritu incedebant. Agamemnon etiam cultus fuit, & Menelaus; & ipſa Helena: cui unà cum marito ſuo honores divini tributi fuêre, teſtante Iſocrate in Helenæ Encomio. οὐχ ὡς Ἥρωσιν ἀλλ' ὡς θεοῖς, *non ut Heroïbus, ſed ut Diis*: quo in loco, velut etiam in aliquibus præcedentibus, videre eſt clare diſtinctionem illam inter cultum Heroïcum & Divinum; Templum Spartani quoque dicarunt Lycurgo, ut Plutarchus tradit, & Leonidæ; etiamque Braſidæ hujuſmodi habiti ſunt honores. Meſſenii rem divinam fecere Polycaoni, Lelegis filio, & Glauco, aliiſque; ita tamen ut Euryto tantum fierent Parentalia. Quod honoris genus tertium & infimum hominum hac vita excedentium mihi videtur; cui tamen ſupplicationes nonnunquam miſcebantur, ut habet Cicero. Ab Arcadibus *Arcas* & *Caliſto* in ſydera relati fuere; & Ariſtæo divini honores tributi, quod, qualiter apes debeant reparari, docuerit, ut Servio placet. In Arcadia Mantineæ cives annua ſacra & quinquennale certamen Antinoo ſupra nominato dicarunt. *Anio* quoque, ſive Elio, Eliorum urbis conditori, divini honores tributi fuere. Perſeus etiam apud Argivos in ſtellas receptus fuit, idemque pro numine veneratus. *Lynceo* quoque & *Hypermneſtræ* fanum apud eos conſtitutum erat. In Argia Æſculapio Meſſenio Fanum Epidauri ſtatutum fuit; ſed extra urbem heic, ut in Ambracia & in Roma; ominoſum fortaſſe putabant Medicum-Deum in urbem ipſam introducere, ne ægrotorum numerus, deo ipſo in ſui ipſius gloriam id procurante, augeretur. Atque hi præcipui fuere in illis regionibus, quibus honores divini habiti erant. De divinis honoribus ( quos etiam à cultu divino inter Gentiles diſtinguo ) & iis quibus adhibiti fuere, apud Græcos potiſſimum diximus: fuerunt alii qui ſive Divinos, ſive Heroïcos honores, aut cultus conſecuti ſunt, quos heic attexere placuit. Hujuſmodi fuere Amphilochus vates inter Acarnanios, cujus oraculum in Ætolia celebrabatur, ut Ariſtides habet in Aſclepiadas, & in Orepo Atticæ vel Bœotiæ, & in Athenis ipſis, ubi quoque Cecrops, qui in *Aquarium* dicitur converſus, & filiæ ejus colebantur, & Ceneus, & Triptolemus, unci aratri monſtrator, & Amphictyon, qui in ſidera relatus, & Heniochus, vel *Auriga* dictus fuit, ob quadrigarum inventum, & Icarius vini faciendi modum à Libero edoctus, & Erigone ob pietatem in patrem, in *Virginis* ſignum relata: licet id factum alterius Erigonæ honori, tradant alii; & Erictheus ejuſque filiæ ob pietatem in patriam. Et Perdix & Æacus & Alcmena, & Androgeus, & Theſeus, cujus fana in Athenis complura erant. Et Con-

*Cic. 1 Phil.*

*Pauſ. in Arcad.*

*Origen. l. 3. contra Celſum.*

Connidas Thesei illius pædagogus, & æqualis Thesei Hercules, uti & *Hebe*, quæ uxor ei data, & Iolaus, & Menestheus, & Codrus, qui pro patria sese devovens, nactus est τιμὰς τῶν Ἡρώων, hoc est, *honores Heroïbus præbitos*, uti habet Polyænus lib. 1. cui tamen tanquam Deo sacrificia oblata fuisse, narrat Augustinus lib. 18 de Civit. Dei, cap. 19. Etiam sub Archontibus aliqui Divinum vel Heroïcum nacti sunt honorem; ut Toxaris Scytha, & Penops heros Atticæ, cujus est fanum & statua, & fons, ut Hesych. refert. Fuit in Attica quoque fanum Amphiarai, quem tamen Oropii in Bœotia primi in Deos retulerunt. Adelphensibus Neoptolemus quoque cultus fuit, alii quoque Dii Bœotici, ut Ino & Melicerte, recensentur, tum præcipue Hercules Thebanus, Thesei amicus, ab Homero descriptus; in cujus honorem festum & certamina instituebantur. Heic cultus etiam fuit Trephonius antro celebris, & Democrates Cyclæus, & Leuco. In Thessalia Peleus & Chiron. In Macedonia Æneas: Inter Stagyritas Aristoteles, cujus festi meminit Ammonius in vita ejus, nisi is sit Philoponus: Aristoteli tamen honorem divinum tributum ita fuisse, non verisimile videtur Clarissimo Vossio. In Macedonia cultus fuit Philippus Amyntæ, & Alexander Magn. de quibus vide Iustinum lib. 24 ambigue hac de re scribentem: Miltiades quoque inter Chersonitas cultus fuit, & in Leuce Achilles, cui templum multis anathematis celebre, constructum. Thasii coluere Theaginam Athletam: Lesbo an Musæ novem, an Mysæ ad earum exemplum edoctæ, colerentur, dubium est. Chios Aristæum venerata est, & Drimacum fugitivorum ducem: Samii Lysandrum colebant: Tenes Calistagoram: Naxes duabus sacra instituit Ariadnis: Salaminii coluere civem suum Telamonium Ajacem: Æginenses Æacum: In Insula Cycladum, quæ vocabatur Ios, colebatur Homerus: unde Varro collegit hanc fuisse ejus patriam. Astypalæi Cleomedem Athletam: Cretenses Europam & fratrem ejus Cadmum, tum Idomeneum & Molonem Minois nepotes, quibus divinos præstabant honores, uti narrat Diod. sacrificando iis & belli periculis invocando: Epimenidem porro & Theognetem pugilem. Quorum omnium vitæ & res gestæ utinam extarent, quum historia dignos saltem existimaverim eos quibus Heroïcos vel divinos honores decrevit Antiquitas. Pauca quidem de iis collegit Clarissimus Vossius: sed quæ non satis eorum indicant vires, quod tamen injuria temporum accidit. Et hæc quidem de *Diis Indigetibus*, & aliis, quos *minorum Gentium Deos* ut plurimum vocabant Gentiles, dicta sunto.

## CAP. XII.

### *De Cultu Deorum qui* Conſentes *ſelecti*, *&* Majorum Gentium Dii *appellabantur.*

QVum is numerus Deorum inter Gentiles eſſet, ut non ſolum Regiones fere quævis & Provinciæ, ſed ipſæ etiam Inſulæ & propemodum Amnici ſuos patrios (ne vicinis gloria cedere viderentur) habuerint Deos; dubitari cœptum eſt, num alii præ aliis coli deberent? Qua in quæſtione hæc ſententia inter Romanos & alios obtinuit; ut aliqui tanquam *majorum Gentium Dii* ſtatuerentur à *minorum Gentium Diis* (qui Heroës ἡμίθεοι ut plurimum & *Semones* vocabantur) dignitate & poteſtate inter ſe diſparati: ita ut eos *Semones* Fulgent. Planciades ajat eſſe *quos veteres nec Cælo adſcriberent, ob meriti paupertatem, nec terrenos eſſe diſputare vellent, pro gratiæ veneratione*: adeoque *Semones* tanquam *Semihomines* vocatos fuiſſe, à Semideis nonnihil diſtinctos. Hos omnes Varro in duas claſſes diſtribuit, ita ut alii Dii *Certi*, alii *Incerti* cenſerentur: *Certos* appellat eos, quibus Romani publicas ædes ſive Templa ædificarint, quoſque plurimis ſignis ornatos notaverint: *Incertos* autem, quorum certa ratio reddi non poſſit qui ſint. Cicero, uti alibi diximus, aliam partitionem adducit, unam eorum qui Cæleſtes ſemper habiti ſint, qui etiam majorum Gentium Dii vocantur: alteram eorum quos in Cælum merita vocarint, qui & Semidei & Dii Indigetes vocantur: tertiam earum propter quas hominibus datur adſcenſus in Cælum: cujuſmodi ſunt Mens, Virtus, Pietas, Fides, Spes; de quibus ſuo loco ſigillatim agere propoſitum eſt. Quum lucem multam religioni veterum afferant. Qui Majorum gentium Dii præcipui, *Conſentes* appellabantur, uti qui ex communi conſenſu ſtatuerentur: quinam hi fuerint docet Ennius ipſe:

*Iuno, Veſta, Minervá, Ceres, Diana, Venus, Mars,*
*Mercurius, Iovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.*

Hi numero duodecim (quorum ſex mares, ſex fœminæ) fuere, quibus octo alii additi (inter quos Ianus, Saturnus, Orcus, & Liber, præcipue ſtatuebantur) 20 ſelectorum Deorum numerum complebant. Hoſce ita recenſent quidam; *Ianus, Iupiter, Saturnus, Genius, Mercurius, Apollo, Mars, Vulcanus, Neptunus, Sol, Orcus, Liber Pater, Tellus, Ceres, Iuno, Luna, Diana, Minerva, Venus, Veſta.* Quorum 12 mares, 8 fœminæ. Dii Conſentes tanquam Conſiliarii Iovis in maximis rebus agendis

agendis habiti fuere; quibus etiam in foro ſtatuæ auratæ ponebantur. Reliqui quidem majorum Gentium tum maxime ſelecti tanquam Proceres in regno cæleſti ſtatuebantur. Hiſce paulo inferiores Dii fuere qui *minorum Gentium* appellabantur, inter quos *Indigetes* accenſeri poſſunt: fuit dein & Plebs Superûm; ita enim Poëta: *Vos quoque Plebs Superûm*, &c. de quibus ſuo loco. De pleriſque horum Deorum antea egimus: ſed ut myſtica eorum conſignaretur præſertim Theologia, quædam heic etiam adjiciemus, ita tamen ut Gentilium circa eos hiſtorias vel fabulas potius, à Poëtis, vel Sacerdotibus, vel ipſis vetulis adornatas, atque ita teneris nepotibus ſuis traditas, adducamus; aliqua tamen inter hæc minime confićta fuiſſe, arbitramur: at quis veritatem ex tot inconſutis inconditiſque commentis eruerit? ſatis habeat igitur lector, ſi de Diis ſupra allatis, quæ ſuperſunt inter Authores præcipua, attexere conemur. Dii *Conſentes*, ſive *ſelecti* prorſus homines olim fuere à Gentilibus ob præclara eorum merita in Deos relati, quos etiam variis cultuum gradibus adveneratos fuiſſe, conſtat; adeo ut ſupplicationes illis fierent, & vota nuncuparentur. Credebant quippe Gentiles, non homines tantum, (puta reges vel magiſtratus) dum heic agerent, hominibus reliquis à Deo Summo præfici: ſed & Heroïbus ſuis poſtquam Cælos conſequuti fuiſſent, id muneris obtigiſſe, ut humana cuncta heic moderarentur, ac procurarent, Deo ſummo ita volente, ut ſeipſum curis moleſtiiſque liberaret, Heroïbuſque illis rerum adminiſtrandarum provinciam demandaret: ſatis ex ejus parte eſſe, ſi leges, certumque in rebus ordinem ab initio ſtatuiſſet, unde quovis ſæculo gubernarentur omnia: Heroas cælo donatos hiſce legibus, uti mortaleſque heic plectere, ſi ita viſeretur, vel remunerari, hoc ni præſtarent, otioſos deſideſque in Cælis ipſis, neque humanis rebus ſatis conſulentes, ſtatui oportere; ſingula tandem in Deum ſummum rerum momenta diſponentem, hoc pacto referri: ut haut mirum ideo videri debeat, ſi ex Theologicis hiſce principiis, Dei ſummi inter omnes agniti cultum ad inferiores Deos tranſtulerint Gentiles, ſacerdotibus eorum id unice interea ſtudentibus, ut ad dubias mirandaſque fabulas populi animos avocarent, quæ tamen ubi ab ipſis explicarentur, myſteriorum plenæ eſſent, plurima quæ populi captum ſuperabant continentes: quin & hæc ipſa à Diis, quorum ſacerdotes conſtituebantur oraculo, revelata fuiſſe jactabant; ſed de his ſuo loco uberius agere propoſitum eſt.

### *Saturnus.*

A Saturno, Deorum Gentilium antiquissimo, ordiemur; licet enim Ianus Deus Deorum habitus esset, (sed mystice certe) uti qui tempus omne sive præteritum sive futurum significaret. Illa Deorum-hominum fœcunda tamen Suboles à Saturno & Ope (quam Scropham divinitatis appellat Tertull.) originem duxisse ferebatur. Ambigitur inter veteres, an *Saturnus* nomen vel cognomentum fuerit, sed verisimile est, quod sicut Iupiter *Iuvans* sc. *Pater* pluribus commune nomen esset, ita Saturnus qui, (ut Ioseph. Scaliger habet) *latentem* significat, non uni tantum homini conveniret, à latenti scil. aliquo numine; Dii illi in Terris conspicui prodibant. Hæc firmare videtur, quod tot essent olim non Ioves tantum, sed Saturni quoque; nec refragatur liber de æquivocis, qui Xenophontem authorem præ se fert, ubi proditur Saturnos dici familiarum nobilium & regum, qui urbes condiderunt, antiquissimos. Atque Saturnum quidem eundem ac Adamum statuit Clarissimus Vossius: alterum Saturnum eundem ac Noë putat: Abrahamum quoque in Saturno cultum fuisse, arbitratur. Saturnum porro eundem ac Molech fuisse censuit Christoph. à Castro in Hier. 7. Hunc bifrontem facit Sanchoniathon in Euseb. & quidem si Saturnus Noë tum, idem sit aliquibus Ianus, suspicari licet Saturnum ideo à nonnullis bifrontem effictum. Quis ille Saturnus fuerit, ex priscorum sententia optime docet Virgilius:

*Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo,*
*Arma Iovis fugiens & regnis exul ademptis,*
*Is genus indocile & dispersum montibus altis*
*Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari*
*Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris:*
*Aureaque ut perhibent illo sub rege fuère*
*Secula, sic placida populos in pace regebat.*

Saturnus falcem manu gestare fingebatur, sive ad fruges demetendas, quod Agriculturæ & stercorationis inventor esset; sive quia Κρόνος (quod ejus nomen mysticum) viventia omnia velut falce tandem resecaret. De fabula Saturni sive Temporis filios suos vorantis, nullus non ingeniose scripsit Grammaticus. Ex liberis tamen suis superfuerunt Iupiter, Iuno, Neptunus & Pluto, quibus 4 Elementorum regimen tribuisse Mythologos, antea ostendimus. Neque enim ad Elementa ipsa abolenda, sed ex Elementis tantum composita imperium, sive jus, penes Saturnum fuisse, dictitabant non incongrue Poëtæ. Veteres Satur-

num

num impense colebant, tum præcipue Carthaginenses & Galli, aliæque Gentes Occidenti proximæ, victima humana illum placare studentes; ut Dion. Hal. habet lib. 1. qui porro scribit Herculem hunc morem abolevisse, aramque fundasse in colle Saturnio, ubi sanctæ hostiæ (ita enim ab interprete vertitur) puris adolerentur ignibus. Græcanice quidem hostiæ illæ Sanctæ, θύματα ἁγνὰ vocantur, θύματα autem, ut Thucid. Scholiastes habet lib. 1, sunt opera quædam à pistoribus efficta ad formam animalium, quæ Diis offerebantur. Hæc ipsa (puto) à Dionys. Halicarn. εἴδωλα ἀνδρείκελα, *imagines viris similes* appellantur; sed & imaginum è stramine vel scirpis confictarum meminisse videtur Ovid. de Fast. lib. 5, ubi ait è more fuisse

*— stramineos in aquam misisse Quirites.*

Et paulo post: *Scirpea pro Dominis Tiberi jactatur imago.*

Quod è ponte factum virginis manu, testatur idem author, loco fortasse senum sexagenorum, qui *depontani* vocabantur. Eadem quoque oscilla, quæ imagunculæ erant Saturno oblatæ. Per totam Italiam Fana multa Saturno dicabantur, tum quædam civitates, tum scopuli & editi tumuli ab eodem numine denominabantur; ut in lib. 1 Dionys. Halicarnass. legere est. Tatius Saturno Templum statuit. A Sempron. Atratino, ex M. Minutio Coss. quoque Templum dedicatum Saturno, & feriæ publicæ quotannis decretæ cum sacrificio, Dionys. Halicarnass. lib. 6. Macrob. scribit Tullum Hostilium Fanum Saturni ex voto consecrasse, & tum primum Romæ *Saturnalia* esse instituta. Ædes Saturni quoque fuit in clivo Capitolino, quam, sive aliam ejus ædem, ærarium fecit P. Valerius Publicola, quod Saturni tempore nullum furtum esset. Ad hanc ædem Legati undecunque Romam missi accedebant; in illa etiam contractuum monumenta, tum acta quæ susceptis liberis parentes faciebant, & omnia civium Romanorum nomina, in libris Elephantinis vocatis, descripta, adservabantur. Ædis Saturni à Munacio Planco extructæ meminit Sueton. Saturno sacrificantes sacra aperto faciebant capite, Diis tamen cæteris tecto: cujus ritus non paucæ redduntur rationes, quas lubens prætereo: statuæ Saturni olim vincula injecta erant, quæ festo ipsius solvebantur, in memoriam securitatis & fælicitatis, quam sub illo egerunt homines. Arnob. contra Gentes hujus mentionem faciens, innuere videtur, Saturnum parricidii causa vinctum fuisse, & suis tantum diebus relevari. De Saturno & filiis ejus tanquam Diis antiquissimis, multæ extant fabulæ, quas attexere non est opus. Quo vetustior enim Deus, eo plures de eo confingebantur fabulæ, quas tamen rejicere plebi non ita proclive vel tutum fuit. Recte enim Cicero lib. de Univ. *difficile factu est à Diis ortis fidem non habere;* quan-

*Fulg. Mythol. l. 1. Servius. Festus.*

*Lucian.*

*quanquam nec argumentis, nec rationibus certis eorum oratio confirmetur.* Addit deinde Oceanum Salaciamque Cæli ſatu, Terræque conceptu generatos editoſque, & ex his Phorcyn, Saturnum & Opem. Quis ille Phorcys, niſi Meduſæ vim & ſaxeam naturam producendam poëtice indicantis pater eſſet, neſcio: ad Opem igitur accedamus.

## *Ops.*

OPs Saturni ſoror & uxor, Magna Mater & Deûm mater, & Berecynthia appellata fuit, de ea Virg. 6 Æneid.

—— *Qualis Berecynthia mater*
*Invehitur curru Phrygias turrita per urbes,*
*Læta Deûm partu, centum complexa nepotes.*

Eodem etiam ſenſu myſtico Ops, Cybele, Veſta, Rhea, Ceres, aliæque Deæ cenſebantur, ſaltem quatenus Terram, vel è Terra producta ſignificarent. Hanc Homerus ζείδωρον, quaſi *vitam dantem*, & Heſiod. ἐυρυστέρνον, quaſi *latum pectus habentem* appellat, hæc quadriga à leonibus tracta (ut antea diximus) ferri dicebatur, quos Hippomanem & Atalantam olim fuiſſe, & in Leones ob contumeliam Deæ factam converſos fabulantur Poëtæ: currus heic pannis opertus, quem nefas eſſet cuiquam præterquam ſacerdoti attingere, ut qui ſolus ſciret ibi Deum eſſe. Clavis huic in manus indebatur, quod aperire vel claudere omnia ex terra orta crederetur. Victima illi porca fuit, fœcundiſſimum ſcilicet animal. Apud Tacitum legitur divinos honores à Germanis ei tributos fuiſſe, ſed quum Templis & ſimulachris carerent, divinam rem ei in luco faciebant. Templi Cybeles indigenæ Deæ deflagrati meminit Her. lib. 5. Telluris ædem memorat Dionyſ. Halicarn. lib. 8. Quo anno Mater Deûm advecta Romam eſt, majorem ea æſtate meſſem quam antecedentibus annis, tradit Plinius. Quod de Claudia illam fune trahente dicitur, tanquam vulgatum prætereo. Miri ſpecus Matris Magnæ meminit idem Author lib. 2. quem nemo niſi ſacerdos Matris tuto introiret. De variis ejus cognomentis antea loquuti ſumus; & quis ſingula perſequatur?

## *Iupiter.*

AD Iovem accedamus, à quo ordiendum eſſe, dicunt Poëtæ: prior enim tempore ut fuerit Saturnus, dignitate tamen Diis cæteris omnibus anteſtare credebatur Iupiter, quem etiam puerum lactentem & cum Iunone in gremio Fortunæ ſedentem, mammamque ap-

appetentem finxere veteres: castissime apud Romanos à Matronis cultum fuisse, tradit Cicero. Atque solum hunc (ut puto) Deum in cunis, antequam egregium aliquod facinus patrasset, inter veteres cultum fuisse autumo; haut nempe vagientem facile ferrent Deum. De Iove aliqua historicè, aliqua mythicè, aliqua mysticè narrantur: quæ tamen inter se, neque ipsi distinguerent Sacerdotes, ut qui satius haberent illis opus esse, ut hujusmodi quævis explicarentur. Sed neque magistratibus forsan displicuit populi animos circa aliqua hæsitasse, ne superstitionibus onerarentur, & plus apud vulgum sacra, quam leges possent. Quædam igitur in religione tanquam indubia & certa, quædam tanquam verisimilia: quædam etiam prorsus falsa, hisce permisceri non adeo inviti sinebant, ut qui gnari essent, quanta hominum è tripode dicentium authoritas apud imperitos foret, nisi aliquid daretur quod fidem effatis eorum detraheret, luxuriantemque compescerent religionem, quam, ut falsa esset, hominum animos mire invasisse observaverant. Putabant fortasse, quod veluti ad gladium fabricandum ferrum chalybi, ita ad religionem procudendam verisimile vero admistum temperaturam optimam efficeret, ipsamque prorsus exacueret; quod, ut subtile speciosumque aliquod præ se ferre videatur, incongrue dicitur, cum perfectissima quævis alienâ ope haut indigeant. Sed quantopere religioni veræ heterodoxa istiusmodi officerent, suo loco dicemus. Multi fuere olim Ioves, trecentos, qui in orbe terrarum hinc inde fuerint culti, se invenisse tradit Varro. Alii narrant nullo prope sæculo suum defuisse Iovem, ante tempora Trojani Belli. Horum omnium notissimus fuit *Iupiter Cretensis*, Argivo licet junior, de quo inter alia hæc ait Diod. Siculus: *Excessit hic Deus fortitudine & cæteris virtutibus omnes, accepto enim post Saturnum regno, maxima plurimaque contulit ad humanam vitam: primus omnium justitiam docuit mutuo servari inter mortales, omni vi ac injuriâ remotis, lites & contentiones judicio auferens; singula quæ ad bene vivendum ac pacem pertinerent, summâ ope procuravit, bonos ad virtutem exhortatus est: improbos timore coercuit ac pœnâ. Omnem pæne orbem circumiens bello impiis ac prædonibus indicto, æquitatem ac leges introduxit.* Iupiter hic quem *Curetes* infantem adservasse fertur, claruit (ut quidam putant) circa tempora Isaaci & Iacobi: alter fuit Iupiter Cretensis, qui rapuit Europam, aliter *Asterius* vocatus, ex quâ suscepti sunt filii Minos, Rhadamanthus, & Sarpedon; inter quos Minos natu maximus in Antrum montis Idæ se recipiens, dicebat heic se leges suas accepisse à Iove, haut aliter ac postea Numa Pompilius ab Ægeriâ nymphâ sacra sua accepta fuisse jactaverat: haut satis habebant quippe se bonas sanasque leges condidisse, nisi eas utique Deo alicui authori retulissent:

tulissent: sed morem hunc inter Legislatores in ipsis Indiis obtinuisse olim, de novo orbe Scriptores quidam testantur, ut de Mahumedis Gabriele in præsens nil dicam. Fuere & Ioves duo Argivi, sed de eorum plurimis videatur Clarissimus Vossius lib. 1 de Idol. c. 14. qui Ioves, puto, omnes ab Authoribus præcipuis inter nos extantibus, memoriæ consignatos recensuit. De cognomentis Iovis videamus jam, velut de ejus aris & templis. Iovi Inventori aram posuit Hercules, postquam (Caci bubus inventis) cædem aquâ fluminis expiasset. Dion. Hal. lib. 1. de Iovis Feretrii templo 15 pedum longitudine, ab Romulo extructo, meminit idem Dion. Hal. lib. 2. Templum hoc primum omnium Romæ sacratum fuisse, narrat Livius, quod vetustate collapsum restituit Augustus. Ex hoc enim templo sumebant olim Romani sceptrum, per quod jurarent, & lapidem silicem, quo fœdus ferirent. De Historico & Mythico verbi Feretrii sensu, sic habet Dion. *Feretrium* autem Iovem, cui arma Cæsinensium devictorum dicavit Romulus, sive quis τροπαιοῦχον, aut σκυλοφόρον (ut quibusdam placet) appellaverit, (sive quod universam rerum Naturam & Motum circumquaque complexus, supra omnia emineat) ὑπερφερέτην, haut à vero aberraverit. Iovi Statori quoque templum hac occasione constituit Romulus. Quum à Sabinis fugati essent Romani, Romulo ipso unà cum illis abacto, manus ad Cælos attollens, Dei opem implorabat Romulus, votumque de templo ei ædificando faciebat, inquiens: *Iupiter tuis jussus avibus heic in Palatino prima Vrbis fundamenta jeci, arcem jam scelere emptam Sabini habent, deme terrorem Romanis, fugamque fœdam siste: heic ego tibi templum Statori voveo*, &c. quibus precibus factis stetisse Romanos, narrat Dion. lib. 2. viribusque usos fuisse. Atque hæc de historico Iovis Statoris templi sensu. Mysticum adducit sensum Seneca, ubi ait, Statorem dictum esse Iovem, quod ejus vi omnia *starent*. In hoc templo, Cicerone teste, Senatus nonnunquam habebatur, & Senatus Consulta fiebant. Fuit & aliud Iovi Statori templum extructum. Iovis Elicii, de quo quædam pag. 104 adduximus, templum ita appellabatur, quod in eo Sacerdotum ope responsa à Iove elicerentur, vide (Arnob. recitante) lepidum dialogum inter Iovem & Numam, quem habet etiam Plutarchus in ejus vitâ. Huic Deo cum non sacrum rite fecisset Tullus Hostilius, fulmine ictum cum totâ domo conflagrasse, narrat Livius lib. 1. Iupiter Captolinus inter omnes præcipue Ioves colebatur; quippe *Opt. Max.* appellatus fuit; & *Optimus* quidem antequam *Maximus*; adeo ut propter beneficia *Optimus*, propter vim *Maximus* censeretur. *Capitolini* nomen habuit à monte Capitolino, olim arboribus denso, in quo templum ei conditum, &

cultus

cultus divinus institutus fuit: voverat hoc templum Tarquinius Priscus (ut refert Tacitus,) bello Sabino, jeceratque fundamentum, sed perfecerat ex hostium spoliis Servius Tullius, & post illum Tarquinius Superbus: quod pulsis regibus Horatius Pulvillus iterum Cos. dedicavit eà magnificentià, quam immensæ postea P. R. opes ornarent potius, quam augerent. Templum hoc ignibus absumptum, post interjectum CDXV annorum spatium; iisdem vestigiis restituit L. Scipio, & C. Norbanus Coss. Eadem fere de hoc templo refert Plutarch. Mansit hoc templum usque ad Vitellii tempora, cujus in seditionibus eversum ac dirutum est; quod iterum à Vespasiano de integro refectum, una cum ipsius interitu inflammatum ac incensum est. Tandem à Domitiano quartùm restauratum est, columnis & deaurationi ejus 12 millibus talentorum impensis. Ambitus hujus templi fuit IIX jugerum; in templo hoc asservabantur duæ coronæ aureæ, quarum unam Galli, alteram Carthaginienses Iovi O. M. consecraverant; sed præcipue ubi summâ observantiâ custodiebantur libri *Sibyllini*, eximiæ authoritatis inter Romanos; adeo ut in rebus dubiis ubique consulerentur, rerum futurarum eventibus inde sive conjectis sive exploratis. In hoc templo Imperatores, ad Bellum ituri, vota nuncupabant, & postea reversi victores, triumphali pompâ in id deducebantur, Iovi in eo sacra facturi. Vnde (opinor) fuit etiam quod *Iovis Imperatoris* signum in hoc templo statueretur: Senatus quoque in eo nonnunquam habebatur. Religionis porrò causa in eo homines cubabant, futurorum dignotionem ex somniis captaturi: de quo more diximus supra. Fulmen manu trisulcum gestans effingebatur Iupiter, quod fulmina jacere crederetur. Plurima alia de Iove O. M. dici possunt, tum præsertim de cultu ejus mystico; sed quia hæc aptius eo capite, quod de *Deo summo* scribere propositum habemus, enarrari queunt, heic solummodò ad viam huic argumento sternendam, adnotabimus, *Iovem* inter Gentiles non tanquam nomen sed cognomentum ubique accipi: Iupiter enim illis haut alius quam *juvans Pater* fuit; unde tot etiam Ioves, nisi potius ab Ἰάω dicatur: sed de his suo loco partim egimus; alia porro (cum bono Deo) addemus. Iovis Latialis quoque templum fuit, quod sapientissimo consilio pro temporum ratione extructùm fuisse à Tarquinio Superbo, ex Dion. Hal. lib. 4 liquet: quum enim diversi tum institutis suis, tum sacris quibusdam essent vicini, tum præcipue Latini, Volsci, & Hernici; Tarquinius Latinorum imperio potitus, Legatos ad Volscos & Hernicos misit, eorum amicitiam & societatem expetens, proponens inter alia, ut commune illis omnibus extrueretur Fanum; ubi quotannis solennem cœtum agitantes, unà epularentur, &

sacra participarent: quod quum acceptaretur, in meditullio fere Gentium illarum Fanum *Iovi Latiali* dedicatum fuit, cui præessent tamen Romani, feriæque eo nomine indictæ. Fuit quoque ab eodem Tarquinio, ut Dion. Hal. habet lib. 9, Διὸς Πίστιος templum, in urbe incœptum, sed quod dedicavit postea Sp. Posthumius: *Iovis Fidii*, id est *Sponsoris*, recte (ut puto) vocat templum illud Interpres. Huc etiam refert Cartarius Græcorum Iovem Horcium. Etiamque forte huc adduci potest *Iupiter Lapis*, ita dictus, quod in sanciendis fœderibus silicem tenerent jurati, proferentes hæc verba: *Si sciens fallam, ita me Diespiter, salvâ Vrbe, arce bonisque ejiciat, ut ego hunc lapidem.* Iovi *Victori* quoque templum positum fuit in monte Palatino. Fuit & Iupiter *Lucetius*, ita dictus à luce quam præstat hominibus: quo sensu Solem significatum fuisse, verisimile est: idem igitur ac *Diespiter* & Διόνυς est, ut Agellius & Servius tradunt, cui ædes à P. Victore in decima Vrbis regione collocatur. Idem est forte ac Iupiter Sol, vel Sol *Heliogabalus*; de quo vide quædam in doctissimo Salmasio in Annot. suis in Heliogabalum Imperatorem, & Fullerum nostratem; cui, post Porphyrium, placuit, ut *Elagabalus*, sive *Heliogabalus*, idem esset ac ὁ ἥλιος δημιουργός, Sol *Opifex*, sive *Conditor universi*: Syris enim *Gabul*, & Arabibus *Gabil* est Conditor: quicum convenit, quod idem Sol κτιστὴς τῆς οἰκουμένης, in Obelisco maximo, quem transferri Romam jussit Constantinus Magnus, vocatur. Licet aliis *Elagabalus* sit tantum Deus Montis, sive Deus Mons, à *Gebel* Arabibus *montem* notante: quæ tamen minus verisimilis sententia mihi videtur. Iovi *Tonanti* ædem in Capitolio extruxit Octavius Augustus, cujus causam adducit Suetonius. Fuit & ædes Iovis *Genetii*, à monte vel flumine vicino ita appellati, de quo Scholiastes Apollonii Rhodii, Strabo lib. 16. Iovi *Vltori* ædes, quæ *Pantheon*, omnium sc. Deorum appellatur, ab Agrippa olim consecrata fuit, hodie *omnium Sanctorum*, & *sancta Maria Rotunda*, ob formam circularem vocatur: sed quæ Cybele primo extructa fuit: hanc Romæ me vidisse memini, columnis ante vestibulum ejus alte in terram ob terræmotus crebros depressis. Quum enim per duodecim gradus ascensus olim ad templum fuit, nunc, ut ait Marcellinus, per totidem descenditur. Hujus templi descriptionem elegantem Fabricius in Româ suâ retulit: voluit in eo Agrippa Augusti statuam collocare, nomenque operis ei adscribere, neutrum tamen eo accipiente, in Pantheo ipso Cæsaris superioris statuam suam, & Augusti in vestibulo posuit. Iovi *Conservatori* modicum sacellum primo: & postea Iovi *Custodi* ingens templum extruxit Domitianus in Capitolio, ubi seipsum in sinu Dei sacravit: ut videre est in Tacito. In numismate quodam Diocleti-

Lamprid. Euseb. de Præp. Evang. l. 3. c. 4.

ni

ni Iupiter effingitur dextrâ victoriam porrigens, sinistrâ hastam erectam tenens: inscriptio est: *Iovi Conservatori Orbis.* Arbitratoris Iovis templum in decima Vrbis regione positum fuit. Iovis Propugnatoris ædes in Palatio fuit, ut testatur vetus inscriptio: tum Iovis etiam *Pugnantis*; memoratur etiam Iovis *Fauni*, vel Διὸς δειματίου (ob panicos terrores hosti injectos) ara in Dion. Hal. lib. 6. Hercæi Iovis meminit Suidas, quem *Septitium* vertit Budæus: huic ara intra Curiam sive aulam domus alicujus privatæ structa erat, & quicumque Iovem Hercæum habebant, jus civitatis habebant; cum tribus oculis effingebatur hic Iupiter, ut Cæl. Rhodig. refert, qui explicationem etiam mysterii hujus subdit. Iovi *Hospitali*, qui Græcis Ζεὺς Ξένιος, multos & magnos honores factos fuisse, testatur Plutarchus. Iovi *Terminali* res divina facta fuit. Numa etiam legem quæ *Terminalis* vocabatur, in eum finem sanciebat, ut Romani propriis contenti, aliena non concupiscerent. De pœna hujus legis violatæ videsis Dion. Hal. lib. 2. Fuit & *Prædator* Iupiter, quod ex præda aliquid ei deberetur; cui ædes etiam extructa fuit. Iovis etiam Olympii templum fuit, quo ex Græciâ concursus fiebat maximus, certatim omnibus splendida dona adferentibus. Fuit & *Iupiter Ammon*; de quo plura habet Vossius lib. 1 de Orig. & Progr. Idol. Fuere & plura alia Iovis cognomenta, quæ omnia, ut habet S. August. lib. 7 de Civ. Dei, c. 32, *Vni Deo* imposita fuere, propter causas potestatesque diversas, &c. sed in hunc locum vide etiam Io. Ludov. Vivem. Aquila, Iovi sacra, avis fuit duplice nomine, mysticè, quod obtutum in Sole defigat; poëticè, quod arma Iovi subministrasse crederetur in pugnâ suâ cum Titanibus. Inter arbores *quercus* & *olea*, illi sacræ fuerunt; sed quercus etiam Baccho, Rheæ, & Cereri. Victimæ, Capra, Agna bima, candidus Taurus cornibus auratis; interdum etiam Iovi farre, sale, & thure, absque aliis victimis faciebant Romani. Athenienses bove tantum; sed ridiculo satis ritu; quem legas in Pausania. At quis omnia de Iove, sive fabulose enarrata, sive historice scripta, sive mystice contexta, enumeret? satis est indicasse, ipsum inter aliquos Gentilium pro principio & patre Deûm hominumque habitum fuisse, quatenus saltem ad Solem relatus esset: tametsi ex Iove alii æthera tantum intelligant: verum plerique certe neutrum: sed Iovem numen summum Sole superius, omnia heic administrans, & gubernans, bona etiam quævis mortalibus conferens statuunt; quo nomine à *Vejove* distinguebatur, (qui & *Vejupiter*, & *Vedios* à Martiano vocatur,) ita dictus (ut Agellius habet,) quod non *juvandi*, sed *nocendi* vim haberet: nam cum quosdam Deos celebrarent, ut prodessent, quosdam ut ne obessent, placarent: Deum hunc *Vejovem*,

demptâ & detractâ *juvandi* poteſtate, appellarunt. Particula enim *Ve* privandi hoc loco habet ſignificationem. Ædis *Vejovis* inter Arcem & Capitolium fuit; in qua etiam effingebatur ſimulachrum Dei, ſagittas tenens, quæ paratæ ſint ad nocendum: huic ſimulachro adſtitit figmentum *Capræ*: ea enim ſolet ipſi immolari. Addit Agellius putare quoſdam hunc deum eſſe Apollinem; Martianus Plutonem putat: ut ut ſit, haut aliis quam ſceleratis & perjuris nocere credebatur, quo nomine à probis viris non ita metuendus atque colendus eſſet. Sed de his fuſius, ubi de principio boni & mali inter Gentiles agemus; quo etiam loco, quid de Deo ſummo ſub *Iovis* nomine, myſticè ut plurimum adumbrato, ſenſerint, afferre propoſitum eſt.

## *Iuno.*

DE *Iunone*, Iovis conjuge, proxime erit ſermo; quamvis enim Iovem ſuum parturientem Liberum Patrem mitrato capite, & muliebriter inter obſtetricia Dearum ingemiſcentem finxerint (ſed myſtico certe ſenſu) olim Gentiles; ut videre eſt Plin. l. 35. uxor tamen Iovis, velut etiam ſoror (Iuno puto) ſola dicitur: Novum tamen eapropter ut non ſit, Iovem ipſum parturiiſſe, quum utrumque ſexum Diis ſuis tribuerint non Orientales tantum, ſed Occidentales etiam populi. Iuno ita dicta, ut Iupiter, à *juvando*. Fuit autem ſoror Iovis. Perhibetur quod ſumma inter Æthera & Aërem, Iovem ſc. & Iunonem, myſticè interſit cognatio, vel conjunctio, juxta Stoïcos, ut videre eſt in eodem Cic. l. 2 de N. D. fabula quomodo Iupiter Cuculi formam induens, in gremium Iunonis devolavit, connubiumque formâ propriâ receptâ pollicitus ſit, habetur in Comment. in Theocritum. Myſtice intelligendus eſt locus Virgilii:

*Cic. l. 2 de N. D.*

*Conjugis in gremium lætus deſcendit.*

Statua ejus tamen non unum aliquod numen (ut Cartarius habet) referebat, ſed plurima. In ea enim aliquid Palladis, Veneris, Dianæ, Nemeſis, Parcarum atque aliorum numinum manifeſte deprehendebatur: ea ſupra duos Leones ſedebat, alterâ manu ſceptrum, alterâ fuſum geſtabat, radiis capite inſignito; pluraque alia in eâ cernebantur, quæ aliorum Deorum erant propria. Hinc Lucianus oſtendit *Iunonis* numen ſub diverſis nominibus honore atque cultu fuiſſe olim affectum. Alii paulo aliter ſtatuam ejus deſcribunt, eamque Iride per circuitum caput ejus cingente effictam fuiſſe volunt. Iridem quippe (Thaumantiæ filiam) Iunonis ſc. Aëris nunciam fuiſſe tradunt veteres; uti quæ ſerenitatem poſt interjectum aliquod tempus oſtenderet. Iunoni Pavo ſacer erat: ideo, (ut Pauſan. habet) Hadrianus Imperator *Pavonem* ex auro & ſplendidiſſimis gemmis factum, huic Deæ obtulit. Fuit & quoddam *acci-*

*accipitrum* genus, Iunoni ſacrum; & *vultur*, apud Ægyptios, ut Ælianus habet, qui hujus avis pennis *Iſidem* coronabant; quæ plurima in ſe continebat numina, à Græcis & Romanis ſeparatim culta: *Anſeres* quoque Iunoni erant ſacri: quorum aliquot Romani ob Capitolium ſervatum, publicis ſumptibus alebant: ut ſe gratos etiam oſtenderent, quotannis ſolemni pompâ anſerem lecticâ & veſte ſtragulâ ſedentem geſtabant; eodemque tempore canem ex palo Sambucino transfigebant, ut ita malè cuſtoditæ Arcis pœna repoſceretur. A Græcis Iuno Ἥρα vocabatur, quod eſt Ἀήρ, trajectis literis, ut ab Athenagorâ monitum. Atque inde fortaſſe vocata fuit *Soſpita*, quod ab Aëris temperie diverſa diverſi naſcantur effectus, & etiam morbi; quod, præter Hippocr. & Galenum, experientia docet. Cognomina Iunonis fuere multa: Iunonis Reginæ ſtatua Veis tranſvecta, Camillo Dictatore, in Aventinum à Matronis dedicata fuit: de hac ejuſque reſponſo lepidam fabulam ſatis ſerio narrant Livius & Plutarchus: qui etiam teſtantur ſtatuam, ſive ſignum hoc, ea in religione fuiſſe, ut nemo niſi Sacerdos certæ Gentis attrectaret. Huic tandem Templum ab eodem Camillo in Aventino, velut aliud etiam in Capitolio, à Flaminio, bello contra Ligures, dedicatum fuit. Iuno etiam *Caprotina* vocata eſt, ob caprificum arborem, ex qua ſignum Romanis olim datum ab ancillis quibuſdam; unde victoriam in inimicos reportaverant: de quâ re vide Macrob. Iuno Moneta etiam, à monendo, dicta fuit, ut tradit Cicero de Divinat. & Livius; cui potius credendum cenſeo, quam Suidæ. Hujus in æde libri, *Lintei* vocati, fata Romani Imperii (ut ferebatur) continentes, aſſervabantur. Iuno *Soſpita* quoque appellata, hujus ædes tres memorantur; quarum prima Lanuvii extructa fuit, duæ alteræ, Romæ: ſimulachrum ejus fingebatur cum pelle caprinâ, haſtâ, ſcutulo, & calceolis repandis. Iunoni *Soſpitæ* Conſules, magiſtratum ineuntes, ſacrificare ſolebant; ut Cicero pro Muræna habet. Iuno *Lucina*, ita dicta fuit, quod lucem naſcentibus dare crederetur: alii à luco, ubi ejus ædes condita fuit, eam ita appellatam volunt. Lucius Piſo 1 Annal. tradit, Servium Tullium regem, ut urbanæ multitudinis ſciret numerum, tum naſcentium, tum morientium, tum eorum qui virilem togam ſumerent, ſtatuiſſe quanti pretii numos pro ſingulis inferre deberent in ærarium Ilithyiæ, quam (ut Dion. Hal. habet) Romani Lucinam vocant: pro naſcentibus, in *Veneris* (quam *Libitinam* appellant) ærarium pro defunctis; in *Iuventutis*, pro togam virilem ſumentibus. Iuno *Iuga* ita dicta fuit, (ut quidam habent,) quod veteri ritu nubentes vinculis juncti erant: unde etiam verbum *Conjux*: huic ara fuit in vico, qui ideo *jugarius* dictus. *Sororia* etiam, *Iulia* & *Martialis* appellata fuit, aræque, ædiculæ, vel templa ei ſub his

nominibus dedicatæ. Iunoni *Pronubæ* ſacrificia obtulerunt olim ſponſi ſponſæque; ſed felle dempto, & poſt altare abjecto. Victimæ fuerunt Kal. omnibus porca vel agna: Sacra hæc obibat regina, hoc eſt, ſacrificuli uxor, ita dicta, ut maritus ejus rex: & id, quod ſub regibus Romanis Rex ipſe Sacra hæc faceret; iis ejectis, ne nomen minus auguſtum ſonaret, in ſacris Sacrificulo ea appellatio tributa; ſed ſubjectus ipſe Pontifici, ne nomen officere videretur Libertati. Alia porro cognomina Iunonis, quod nuptiis præeſſe, ſed pellicibus infeſta crederetur, data fuere; adeoque *Domiduca*, *Vnxia*, *Cinxia*, & à Græcis Γαμηλία Ζυγία, &c. in nuptiis invocata fuit. *Calendaris* etiam Iuno à veteribus appellata fuit, quoniam omnes Kalendas ipſi tributas eſſe exiſtimabant veteres: cui etiam omnibus Kalendis ſupplicabant. *Novella* Iuno quoque colebatur à Pontificibus, in menſium Kal. Februalis; vel *Februata* etiam dicebatur; quia ipſi eo menſe Sacra fiebant. De Iunone *Quiritiâ*, menſiſque ei in omnibus Curiis poſitis, meminit Dion. Hal. l. 2. De Iunonis Ardiæ templo quoque picturis nobili, & Iunonis *Laciniæ* ara, ubi perflantibus ventis cineres erant immobiles, vide Plin. Sed & alia Iunonis templa memorant Authores. *Populonia* quoque Iuno appellabatur à populo illi precanti Iunonia: *Opigenia* & *Fluonia* à mulieribus, quarum præſes credebatur, invocata fuit; ſed præcipue à parturientibus, ante & poſt partum. Atque hæc de Iunone.

*Liv. l. 2 ab V. C. Dion. Hal. l. 5.*

## *Apollo.*

APollines quatuor fuiſſe olim videre eſt in Cic. de N. D. horum antiquiſſimus (ex Voſſii ſententiâ) fuit *Iubal*, ſive Pater *Canentium*, conſanguineus *Tubalcani*, niſi potius ante eum extiterit, aſſa voce Cantor eximius. Nam Timogenes author eſt omnium in literis ſtudiorum antiquiſſimam eſſe Muſicen. Reliqui Apollines in Deos, & præſertim in Solem relati fuere: An vero hunc honorem *Iubal* adeptus ſit, incertum eſt. Perantiquus ſane inter Apollines mihi videtur ille qui Oſiridis frater, & militiæ comes fuit; de quo Diod. Sic. velut etiam Apollo Delius, Dianæ frater, à Iove & Latonâ natus, qui unà cum Iove colebatur, ut Macrob. habet; cui etiam Sacra quinto quoque anno in Delo celebrabantur; unde cognomen *Deliaci* conſequutus eſt, tum quod ibi oracula ejus darentur, æſtivis tantum menſibus: contendebant ſc. Phæbades Apollinem Brumali tempore apud alios agere: ſed hoc forſan accidit, quod difficile eſſet vatibus illis commenta ſua per annum integrum ita caute proferre, ut iis, qui oracula ab illis petebant, non ſuboleret fraus: quapropter ſemeſtria tantum edere tutius ducebant mendacia.

dacia. Apollo quoque *Delphicus*, à Delphis, (ubi templum celeberrimum Oraculis habebat) vocatus fuit; locum hunc commune generis humani Oraculum, & umbilicum Orbis terrarum appellat Livius l. 9. belli Mac. Habebant & Scythæ suum Apollinem *Hyperboreum*, inde nominatum: De Apollinis, *Genitoris* vocati, arâ Ceratinâ, quæ inter septem mundi miracula recensetur, vide Plut. de *Solertiâ animal.* & Callim. & Ovid. & alios: Apollinem *Delium* cumprimis venerati sunt Græci & Romani, tanquam Cytharœdorum Deum, & Medicinæ inventorem; tum Iaculatorem & Sagittarium, & Pythium, & Vatem, sive vaticinii Deum vocarunt. Cognomenta inter Græcos Apollinis fuere, Ἀγυιεῦς, Ἀκερσεκόμης, Χρυσοκόμης, Λοξίας, λύκιος, Νόμιος, Θυραῖος, inter Romanos *Cœlispex*, *Medicus*, *Capitolinus* (à Bosphoro Thracio ad Romam advectus) *Palatinus*, qui & *Actiacus*, & *Navalis* & *Parætonius*: Apollini huic templum in Palatino (Antonio & Cleopatra devictis) Augustus extruxit, ubi etiam aureas argenteasque statuas sibi positas locavit, structurâ magnificentissimum; tum Bibliotheca Græcâ & Latinâ ornatissimum; tum donis opulentissimum fuisse templum hoc, testantur Authores; tum *Iurisconsultos* ibi convenisse de litibus ambiguis disceptaturos. Hujus Templi descriptionem vide in Propertio. Insignis Apollo fuit ille Delphicus, de quo vide Plin. l. 34, & 52. Apollo etiam Choragus, & Musarum dux vocabatur. A simulachris vel statuis ejus diversis, quarum una apud Spartanos 4 auribus, & totidem manibus efficta fuit, diversa Apollini obtigere cognomina. Apollo Sandaliarius, Sosianus, Tortor, Thuscanius & Diadematus appellatus fuit. Sunt & plura alia in veteri inscript. Apollinis cognomina. Alia etiam illi Templa extructa. Mysticas plures cognominum Apollinis, cum fabularum de eo contextarum interpretationes, adduxit Porphyrius olim libro qui *Sol* conscribitur, de quo Servius quædam mutuatus est. Inter quadrupedes lupus, Temporis instar, voracissimus; inter insecta, Cicada; inter aves, Cygnus, Corvus, Gallus, Accipiter Apollini dicabantur. Sed & Ægyptii sub Accipitris symbolo Osirim, qui illis Sol est, intelligebant; quin & divinis honoribus *accipitrem* prosequebantur; quod priscis temporibus ex ignotis regionibus Thebas (quæ erat Ægypti primaria urbs) ad Sacerdotes librum rubris literis conscriptum attulit, in quo sacrorum ritus continebantur. Vnde factum est, ut Sacrarum rerum Scriptores apud eos pileum rubrum unà cum Accipitris alà gestarent: sed à Sacerdotibus & Nomothetis commenta hujusmodi edita fuisse, novum non est illis qui historias callent: ut levius tamen peccarint, qui ritus suos ab *accipitre se* habuisse finxerint; quam qui à præstantiori naturà, minus authoritatis tamen, ut legibus, sive ritibus suis inde con-

*Ovid. Metam. l. 2.*

*Diod. Sic.*

conciliaverint. Inter arbores Laurus Apollini ſacra fuit, quod præſagia inde captarentur. Si enim in prunas conjecta, magnum ex ſe ſtrepitum ederet, fauſta portendi credebant veteres; ſin nullum, aut parvum, infauſta. Qui etiam Lauro ſibi tempora devinciret, in ſomnis viſurum ejus rei, quam cupiat, veritatem. Quin & Heſiodi interpres ait, Laurum ἐνεργεῖν πρὸς τοὺς ἐνθυσιασμοὺς. Fuit etiam non Poëtarum tantum, ſed Triumphantium inſigne *Laurus*; quam tamen in gremio Iovis O. M. deponebant, quaſi illi victoriam acceptam ferrent Romani Imperatores. Palma Soli ſive Apollini quoque ſacra fuit arbor, ut Iulianus Imperator teſtatur, licet illam ab Apolline proceſſiſſe velit, neſcio quo modo Libanius.

## *Diana.*

Dianas tres fuiſſe olim, narrat Cicero l. 3 de N. D. quarum una mater Cupidinis pennati; clariſſima fuit illa, ex Iove & Latonâ nata. Hæc ſoror Apollinis, uti Luna Solis dicebatur. Etymologiam nominis ſupra adduximus; neque enim placet quod Diana quaſi *Deviana* appellaretur, in ſylvis ſc. devia, vel errans, vel in Cælis ipſis. Hæc inter omnes Deos Deaſque uti ſæviſſima, ita caſtiſſima perhibetur, odio voluptatis forſan magis quam viri. Diana haut aliter ac humana victimâ placari potuit; Cervam tamen ſuppoſuiſſe loco *Iphigeniæ* dicitur; ſed ut ipſa Deæ Sacerdos poſtmodum eſſet; ut plurimum tamen Dianæ mactabantur homines, ſed præcipue in Tauricâ regione; cujus incolæ advenas omnes, ſed præſertim Græcos Dianæ ſacrificabant. Quin & Pauſan. in Achaicis refert, apud Patras quotannis virginem & puerum, qui formâ eſſent præſtantiſſimâ, Dianæ immolatos fuiſſe. Deæ hujus ſimulachrum ab Iphigeniâ, quod fratrem ſuum Oreſtem advenam ſacrificari noluit, lignorum faſce abſconditum, ad Aritiam oppidum non longe à Roma ferebatur; ubi diu mos hoſpitum immolandorum ſervatus fuit: ſed cum poſtea Romanis Sacrorum ſævitia diſpliceret (quanquam ſervi tantum ad aram mactarentur) ad Laconas Diana transferebatur, ubi verbera ſolummodo adoleſcentuli paterentur, ara Deæ eorum ſanguine tantum conſperſa: Poſtea cervi vel cervæ ſolummodo immolatæ fuere: unde in omnibus Dianæ fanis cervorum cornua tholis ſuſpenſa videbantur. Poëtæ hinc etiam Dianæ currum cervis jugalibus tractum fuiſſe, tradunt, & inter illos Claudian. Prolixior hac in re fui, ut conſtaret quam immania & impia Sacrificia ſub religionis obtentu à Sacerdotibus excogitarentur, quibus id ſtudio fuit, ut mortalibus inde ſuaderetur, aliquos Deos non niſi humano ſanguine pla-

guine placari posse; haud male interea cum illis actum esse qui immolarentur, quum Deo curam totius speciei gerenti, ita oblati essent. Et quidem Diana parturientibus præfici credebatur; unde earum vestimenta Dianæ consecrata fuisse, tradunt veteres; ita ut ipsa etiam inde χιτώνη vocaretur. Sed non cervi solum, at steriles etiam vaccæ Dianæ immolatæ fuere; Dianæ simulachro per id temporis sterilibus vaccis vecto; quandoque etiam albo & nigro. Simulachrum Dianæ erat altum, magnum, veste ad talos usque contectum, facie juvenili, virginali aspectu, dexterâ ardentem facem præferebat, sinistrâ arcum tenebat, sagittæque ex humeris pendebant. Alii paulo aliter Simulachrum ejus describunt. Diana quoque Βριτόμαρτις, quasi dulcis virgo appellata fuit, & *Dyctinna*, & ab Orpheo κυνηγέτις, & à Callim. θηρητεῖρα, quod *venationi* præesse crederetur ipsa venatrix; hinc omnem lucum Dianæ sacratum fuisse, tradit Luct. Plac. *l.* 4. *Thebaid.* Vocata fuit inter Ægyptios *Bubastis*, ab oppido Ægypti nobili, unde etiam sacra ejus *Bubastia* appellata. Hujus fanum in Creta visebatur: Templum quoque illi in Aventino monte Romæ extructum fuit, tum etiam Cæliolo & Subura: vetustissima ejus templa in Hispaniâ, & Aulide fuere: sed celeberrimum Ephesi, de quo in priscis scriptoribus passim, & Act. Apostol. videre est. Heic quoque de Sole & Lunâ, qui filii Rheæ, sive Magnæ Matris, & Hyperionis, ut Diod. Sic. l. 4 habet, quædam dici possent, sed hæc facile aliis permittimus.

*Cic. orat. contra Verrem.*

## *Mercurius.*

MErcurios quinque fuisse, docet Cic. l. 3 de N. D. inter quos celeberrimus Iovis & Majæ filius. Hunc cum Minervâ conjunxerunt veteres, non conjugio, sed communitate studiorum: hic Deorum internuntius habitus fuit; Literas porro & Musicen, Palæstram & Geometriam invenisse dicitur, & Eloquentiam docuisse: sed præsertim Ægyptiis, apud quos sub *Anubis* nomine colebatur, uti antea diximus. Mercurius ab antiquis Germanis præcipuâ veneratione cultus fuit; cui etiam certis diebus humanis hostiis litare fas habebant: hic *communis Deus* appellabatur, unde mos fuit, ut qui aliquid in itinere reperisset, *Communi Deo* verba quædam præfaretur, tanquam repertæ rei conscio; quum *Viis* præesse crederetur: quapropter in compitis civitatum, & in triviis illi olim erigebantur statuæ; quas *Hermas* vocabant antiqui; hasce pro foribus domorum suarum habuere Athenienses. Simulachrum ejus tanquam notissimum omitto. Delubri Mercurii apud Æthiopas meminit Plin. l. 37. Hujus duæ ædes, totidem ædiculæ, aræ quædam, &

*Tac. l. de Mor. Germ.*

Templum Romæ fuere. Mercurius etiam Cyllenius dictus, & Camillus, quod Deorum minister esset, & subterraneus, qui idem ac *Trophonius*.

## *Minerva.*

Minervæ quinque fuere, ut Cicero habet l. 3 de N. D. harum præcipua de Iovis capite nata ferebatur. Hæc prudentiæ & belli Dea, saltationis armatæ quoque secundum quosdam inventrix fuit. Et lanificii usum monstrasse, & lanas colorasse fertur; multa etiam alia docuit, adeo ut opifices illi præsertim supplicarent; unde etiam *Dea artium* dicta fuit; sed unà cum Mercurio conjuncta; ideo utrique Deo ara communis erigebatur, & communis statua, *Hermathena* ideo dicta. Templum ejus antiquissimum in Arce Orvinii extructum fuit. Templi Minervæ Assessiæ, sed deflagrati, meminit Her. l. 1. at Minervæ Pallenidos templi apud Tageates l. 9. & in Sigæo; & Oraculi ejus apud Ægyptios; quin & plurium Minervæ templorum passim conditorum meminit idem Her. Minervæ quoque templum fuit Landi Insulæ Rhodiorum, & in Elide, & in Capitolio delubrum ejus habebatur. Fuit etiam Romæ templum Minervæ *Medicæ*, & aliud Minervæ *Flavianæ*, item *Chalcidinæ* & *Catulianæ.* In delubro Minervæ à Pompejo M. consecrato servabatur Breviarium rerum in Oriente ab eo gestarum. Minerva aliter *Pallas* appellata fuit, cujus simulachrum fuit celebre illud *Palladium*, quod non solum cœlitus delapsum, sed hastam vibrare, & oculos motare ferebatur; cui tamen neque ad intuendum ulli pateret accessus, nisi virgini Vestali, quæ illius custodiæ præficiebatur. Huic, sive Minervæ, templum in Aventino monte antiquissimum extructum fuit. Minervam *Custodem* Cicero domi suæ privatim coluit; quam postea abiturus in exilium, in Capitolium detulit, & consecravit. Hujus in sacrificiis mundæ victimæ adhibebantur, quales essent agna candida, candidus taurus, indomita juvenca auratis cornibus. Inter aves noctua Minervæ sacra fuit; quare vix ullibi Minervæ imago in numismate aliquo cernitur, ubi noctua non ejus galeæ insideat. Inscr. Ἀθήνη, quod ejus nomen inter Poëtas reperitur, ita Hom. ---- γλαυκῶπις Ἀθήνη. Medusæ caput etiam in clypeo vel thorace gestasse, ferebatur; sed ut Victoriam ita signaret: ideo Pausan. in Atticis scribit, Athenienses Victoriam in pectore ejus cum Medusæ capite insculpsisse. Quænam illa Medusa fuerit, etiam pueris notum. Inter arbores Olea Minervæ sacra fuit; cujus etiam inventrix esse dicebatur: unde est fortasse quod Herod. in Terpsich. scribit per aliquod tempus ἐλαίας, sive oleas nullibi nisi apud Athenienses fuisse.

Turneb. l. 8. c. 14. Advers.

*Mars.*

## Mars.

POst Minervam accedimus ad Martem, qui sine patre natus esse dicitur, sicut illa sine Matre; quum enim, uti antea diximus, Iuno Iovi invidisset, quod filiam absque se peperisset; ipsa quoque sine illius opere filium edere voluit: hunc in finem floribus quibusdam usa, quos ei Flora ostenderat, ut Ovid. refert. Hunc in Thracia peperit Iuno; inde ejus incolæ Martem impense venerabantur: alii ex Iove & Enyo Martem esse natum volunt; Acinacis verum Martis simulachrum Thracibus & Scythis erat. Herod. lib. 7. per hunc Septentrionales populi jurare solebant. Sed Arabiæ. Petrææ incolæ, qui Martem æque venerabantur, simulachrum ejus sic effingebant: lapidem nigrum quadratum quatuor pedes altum, latum duos dedolabant, nulla alia figura expressa. Alii eum ita describunt, ut armatus aspectu truci esset, manu hastam atque flagellum tenens, currusque ejus à duobus equis traheretur; quorum unus *Terror*, alius *Timor* appellaretur; quos *Fama* buccinans ubique præcederet. Ex Marte (nisi forsan ex ejus sacerdote) Romulum natum esse, credebant Romani; illum eapropter summopere colentes. Antiquissimum Martis templum in Campo *Martio* fuit, unde Campus ille nomen habuit. quo in loco etiam comitia Centuriata habebantur, copiæque conscribebantur, uti in Dionys. Halicarnass. videre est, qui templi ejus pervetusti meminit in urbe *Suna*: nec non oraculi ejus in *Tiora*. De Martis Oraculo apud Ægyptios antea locuti sumus. In Circo Flaminio ædes Martis fuit; altera etiam in Capitolio. Maximum ejus templum ab Augusto extructum fuit; & Marti *Vltori* dedicatum; cujus magnificentiam celebrat Ovid. lib. 5 Fast. Secundum etiam templum Marti Vltori, sive, (ut ipse dici voluit) *Bis-ultori*, in Capitolio erexit idem Augustus, ob victoriam à Parthis reportatam; in quo etiam eorum signa suspensa erant. Martis Gradivi magnum & elegans templum extra Vrbem in via Appia extructum fuit, quod Martis Extra-Muranei P. Victor appellat.

## Bellona.

VNa cum Marte Bellonam, ejus sororem, sive uxorem, sive utramque, apponere heic placuit. Hæc ædem habuit in Circo Flaminio, intra quam dabatur Senatus Legatis exterarum nationum, quas in Vrbem admittere nolebant Romani: hujus Deæ sacerdotes *Bellonarii* vocati, ut Tertullianus habet: se ipsos cultris feriebant, ut non alie-

no, sed proprio ſanguine numen placarent; & furentes mox vaticinabantur, vel (ut noſtris placet) efferebantur, & inſaniebant. Hanc Martis aurigam fuiſſe fingit Statius:

*—— regit atra jugales*
*Sanguineâ Bellona manu ——*

Cæſar ſcribit Cappadoces eam tantum veneratos fuiſſe, ut ejus ſacerdos ſecundum à Rege locum teneret. Hanc eandem ac Minervam faciunt nonnulli; quæ magis veriſimilis eſt ſententia, quam Apuleji, qui eandem Dianam, Iunonem, Venerem, & Bellonam ſtatuit; vel quidem doctiſſimi viri; qui eandem Bellonam ac Lunam ſolam eſſe contendit. Ante Bellonæ fanum columna quædam extabat non admodum magna, *Bellica Columna* à Romanis vocata. Nam quum in aliquem populum bellum inferrent, poſt Iani portas patefactas, alter Conſulum accedebat, indeque haſtam jaculabatur verſus eam partem, ubi hoſtis eſſet: ex eo tempore bellum denunciatum intelligentes, ſed & unà Fecialem ad hoſtium ditiones allegabant, qui belli cauſſis narratis, haſtam verſus eorum caſtra conjiceret certo quodam ritu. Bellonæ Pauſus contrarium numen à Gentilibus poſteriorum ſæculorum putabatur, quod implorare forſan ſolebant, qui Bellonam infeſtam habuerunt. Cæterum de Pauſo inter veteres nulla, quod ſciam, fit mentio. Bellona depingebatur ſparſis crinibus, armata face, altera manu falcem, altera clypeum geſtans.

*Arnobius.*

## *Victoria.*

VIctoriam quoque cum Minerva enutritam, & in Deos relatam, heic apponam. Ea à Romanis religioſe culta fuit, atque ita efficta: Virgo alata volans, coronam, vel palmam proferens: hujus ſimulachrum pompæ præferebatur in Circo: In Senatu ſemper ara *Victoriæ* præpoſita erat, ita ut transferretur ea Ara in quamcunque ædem, ubi habitus eſſet Senatus; ut colligit Dempſterus. Ædes Romæ habuit tres, ædiculas duas, lucum etiam, (quemadmodum Dii fere reliqui;) & Aram. Antiquiſſimum *Victoriæ* templum in Aventino (locandis caſtris aptiſſimo) monte poſitum fuit; viſebantur & aliæ ejus ædes, vel ædiculæ in Roma: Victoriam Capuæ velut Cumis Apollinem ſudaſſe, tanquam malorum præſagam, narrat Cicero l. 1 de Divin.

*Ovid. l. 3 Amor.*

## *Nemeſis.*

ROmani etiam ad bellum proficiſcentes *Nemeſi* (quæ Iuſtitiæ filia dicebatur) ſacrificabant, & munus gladiatorium edebant, ut Pom-

Pomponius Lætus habet. Aliis Nemesis est vis Fortunæ, hæc culta fuit in Capitolio: illi quoque in urbe Templum tribuit P. Victor. Atque hæc de Diis qui unà cum *Marte* Bello sive præesse, sive auxiliari crederentur.

### *Venus.*

QVatuor olim fuisse Veneres, ex Cicerone liquet lib. 3 de N. D. Haut tamen antiquum ejus fuisse nomen, docent Cincias & Varro apud Macrobium: quod neque Græcum, neque Latinum, regum Romanorum tempore, vocabulum esset. Conjecturam doctissimi Seldeni de nominis origine supra attulimus. Hæc tum generationis voluptatisque, tum ipsius formæ externæ Dea à veteribus habita fuit; adeo ut eam tribuere, vel adimere cuilibet pro libitu posset. Hunc in sensum fere Plutarchus in Symp. ejus historiam sive fabulam trahit; atque ideo è mari ortam perhiberi, ut Salis vis genitalis ostenderetur, & alia, quæ in illo Authore videre licet. Duplex etiam Venus à Platonicis statuitur; una *Vrania*, sive Cælestis, ex qua Amor divinus extiterit: altera *Terrestris*, in Deas relata. Mythologi quidam Venerem, Iunonem, Lunam, Proserpinam, Dianam, aliasque nonnullas Deas idem numen esse perhibent; diversasque ejus virtutes sub diversis nominibus adumbrari: sed mysticum horum sensum ex Authoribus quantum licuit supra adduximus. Statua *Veneris* in Papho fuit, quæ non humanam aliquam figuram præferebat, sed ita effingebatur, ut Conoides quoddam esset basi, latum, & rotundum, gradatimque inde in fastigium assurgens: quod statuæ genus non soli *Veneri* obtigit, sed aliis numinibus veterum, quæ sub forma humana haud semper, aut ubique repræsentabantur. Alibi effingebatur tanquam è mari orta, concha stans adolescentula pulcherrima, nuda. Venerem exeuntem mari (uti eam Apelles pinxerat) Divus Augustus dicavit in delubro Iul. Cæsaris, quæ *ἀναδυομένη*, *iterum emergens*, vocabatur: Venus quoque θαλαττία appellabatur, cui Insula quædam consecrata fuit, Templumque in illa Veneris. Vetustissimum ejus (ut Herodoto videtur) Templum *Veneris Vraniæ* appellatum fuit, & in Ascalone Palestinæ urbe extructum; quod Scythæ depeculati sunt, uti antea dictum. Narrat porro idem Herod. Ædem *Veneris Cypriæ* ex hac prodiisse; quinetiam delubrum ejus apud Cytheram Phœnices, ex illa Syriæ regione ortos, condidisse, refert. Deum porro Scythis infensum ex templi ejus direptione νοῦσον θήλειαν illis immisisse; sed qualis morbus ille fœmineus fuit, non indicat: nec juvat exquirere. De Dea hac ab Assyriis *Mylitta*, & Arabibus *Alitta*, & Per-

*Plin. lib. 35. c. 10.*

*Festus.*

sis *Metra* dicta, supra mentionem fecimus. Veneris templi apud Atarbechas quoque meminit idem Author lib. 2, & Veneris Hospitæ ædis in Protei fano, & *Veneris Vraniæ* à Scythis sub nomine *Artempase* cultæ. Æneas & Trojani quoque in Italia appellentes, ante omnia alia, Templum Veneri extruxerunt, ut Dionys. Halicarnass. habet lib. 1. Fuit & Templum ejus apud Zacynthos, & prope portum Anchisæ tum dictum, uti etiam apud Leucadios, & Actienses : ita ut vetustissimus *Veneris* saltem *Vraniæ* cultus fuerit; quæ an Amorem Cælestem, aut vim Fortunæ Cælestis, aut reginam Cæli, aut stellam Veneris nomine vocatam denotarit, ambigitur. Venerem in Deos relatam, non meretrices tantum, sed pudicæ etiam puellæ colebant; ut venustatem, pulchritudinem & gratiam sibi apud omnes conciliarent : sed & viduæ quoque fælices ab ea alteras nuptias precabantur: quamobrem Veneris festa ab omnium generum mulieribus summa cum religione celebrabantur. Multa Veneris cognomenta fuere: *Acidalia* Venus dicebatur (ut Servius habet in 1 Ænïd.) vel quia curas injicit, vel à fonte Acidalio, in quo se *Gratiæ* lavant, quas *Veneri* constat esse sacratas. Venus *Cluacina*, à cluere, quod antiquitus pugnare significavit, denominata fuit; huic Templum construxit Titus Tatius Rex; ædes & ædiculæ ejus porro recensentur ab Onuphrio. Venus *Libitina* ita appellata fuit, uti antea diximus, quod una eademque Dea & ortibus & interitibus apud Gentiles præsideret. In hujus Deæ templo vendebantur ea quæ ad funera pertinebant. Veneri *Libentinæ*, puellæ, quæ excesserant annos pueritiæ, pupas, ætatis suæ insignia, dicare solebant. *Alma Venus* etiam dicta est, id est, Sancta, sive Pulchra. Venus *Verticordia* dicta, quod fœminarum corda ad pudicitiam converteret : de hoc vide Ovid. lib. 4 Fast. Hæc à Græcis Ἀποστροφία appellabatur, quod nomen illi ab *Harmonia*, Cadmi uxore, impositum fuit, quod homines à scelestis operibus & desideriis parum æquis, malisque cogitationibus avertere putaretur. Venus *Erycina* quoque dicta fuit, ab Eryce, monte Siciliæ, in quo Æneas matris Templum extruxerat; cui ædem in Capitolio dedicavit Q. Fabius Maximus Dictator. Fuit & alia ædes Veneris Erycinæ ad portam Collinam; Veneris Romanæ, vel Veneris & Romæ consors; delubrum fuit in Via sacra : quapropter Prud.

*—— simul geminis adolentur thura Deabus.*

hoc templum inter singularia & admiratione digna memorat Marcellinus. Fuit, sed inter Eleos præcipue, Venus Πάνδημος, sive *popularis*. Fuit & Venus *Calva*, ita dicta quod ubi Romani à Gallis obsiderentur in Capitolio, mulieres sibi comas ad funes in machinarum usum conficiendos absciderunt, unde Templum postea in Veneris *Calvæ* honorem

Plut.

rem dedicatum fuit. Statua Veneris *Barbatæ* apud Cyprios visebatur, ut Alex. Neapol. habet. Suidas quoque scribit Veneris simulachrum nonnunquam effingi solitum cum pectine & barba: quod Romanis olim mulieribus pestilens irrepsit pruritus, quo morbo quum pili deciderent omnes, pectinum non erat usus; quare mulieres Veneri vota facientes, ex Deæ miseratione impetrarunt, ut pili illis denuo succrescerent: Deæ simulachrum inde ponentes cum pectine & barba effictum; ut Dea, quæ omnis generationis præses credebatur, marem æque ac fœminam repræsentaret: ideoque superiora corporis cingulo tenus maris speciem præferre, inferiora fœminæ. Sed & Diis fere reliquis utrumque sexum à veteribus tributum fuisse, supra ostendimus, ne manci aut inutiles aliqua ex parte viderentur: quod & Elementis ipsis convenire, ex Ægyptiorum doctrina alibi dictum est. Inter Lacedæmones quoque *Veneris Armatæ* templum fuit: cujus cognomenti originem videre est in Lactantio: de ea Ausonius:

*Armatam Venerem vidit Lacedæmone Pallas.*
*Nunc certemus ait judice vel Paride:*
*Cui Venus Armatam ni me temeraria temnis;*
*Cum quo te vici tempore, nuda fui?*

Veneri *Victrici* ædem dedicavit Pompejus altero Consulatu: Inter Græcos quoque hujusmodi nomen, sc. Νικηφόρος, ei obtigit, ut in Pausania videre est. In quodam Faustinæ numismate quoque effigies Veneris cernitur dextra *Victoriam* porrigens. Inscr. est *Veneri Victrici.* Qui primus porro ovasse dicitur, Posth. Tubertus, quia rem leviter sine cruore gesserat, myrto Veneris Victricis coronatus, urbem ingressus est, ut habet Plin. lib. 15, cap. 29. *Veneri Genetrici* Templum posuit C. Iulius Cæsar post pugnam Pharsalicam, eique spolia de hostibus dedicavit; & inter alia Thoracem de margaritis Britannicis. In hoc templo Octav. Augustus statuam æneam posuit Cæsari Divo, cum stella crinita supra caput ejus fulgente, quia ejusmodi post mortem ejus stella visa est. Vide Dionys. lib. 43. Appianum de Bell. Civ. lib. 2. *Veneris Placidæ* ædicula fuit Reg. Vrb. 5. *Veneris Capitolinæ* meminit Suetonius. Inter frutices Veneri Myrtum & rosam consecrarunt olim veteres. Ita Virg. Ecl. 7: *Formosæ Veneri Myrtus* ——

Credebatur Myrtus vim habere ad amorem conciliandum, & conservandum. Myrti ramulos bustis olim imposuisse Græcos, ex Eurip. Electra colligitur. Marmorea porro aliqua veterum sepulchra ostendunt morem fuisse coronas myrteas illis imponere; fortasse quod *Libitina Venus* mortuorum curam gerere putaretur. A Myrto quoque *Venus Myrtia* vel *Myrtea* olim appellari videtur. Convenit optime externæ

formæ

formæ rosa, quæ Veneri etiam dicata; uti enim nihil rosa magis gratum, ita nihil minus diuturnum : de rosa alba Veneris sanguine purpureo colore tincta dicant Poëtæ. Veneri adduntur *Cupido*, *Gratiæ* & *Adonis*.

## *Cupido.*

CVpidines tres fuere, ut Cicero habet lib. 3 de N. D. primus ex Mercurio & Diana; secundus ex Mercurio & Venere, (qui præcipuus videtur) tertius (qui *Anteros*) Marte & Venere genitus. De Cupidine Poëtæ præsertim plurima jactant, de quibus nihil attinet dicere. Sed neque divinum sive Cælestem Amorem, quem ubique præferunt Philosophi Platonici, prolixius heic tractabimus; quum plurima de hoc argumento in Mars. Ficino videre sit. Inter veteres uti *Cupido* Amori favere, ita *Anteros* in contrarium ferri credebatur : sed alii, tum maxime Porphyrius, apud Cartar. contendit *Anterota* mutuum Amorem esse : ita enim ait : *Quum Cupido infans parum coaleret, Venus Themin Deam consuluit, quæ illi respondit, Cupidini Anterota necessarium esse; quo rependantur vices, ut mutuam vicissim dent operam. Hinc Anteros genitus; quo vix dum nato, Cupido adolescere cœpit, & alas explicare; quin quoties Anteros præsens esset, Cupido procerior & formosior, illo absente quasi tabescere videbatur.* Sed quis non hæc intelligit? Philostratus Amores multiplices facit Nympharum filios. Apulejus eos pueros esse candidissimos tradit, à Cælo descendentes, aut è mari emergentes. Orpheus duas januas in Cælo esse perhibet, per quarum unam animi è superioribus ad inferiora descenderent; per alteram è contra ab his ad illa ascenderent. Simulachrum Cupidinis, quia notum est, transeo; tametsi tum ejus, tum Veneris Matris non uno tantum modo effingerentur olim imagines. Templum huic numini nullum nisi in *Cordibus* statutum, (quod sciam) tradunt veteres.

## *Gratiæ.*

GRatiæ, secundum quosdam, Bacchi & Veneris filiæ fuere; alii eas Iovis & Eurymones filias esse volunt; alii Iunonis, alii aliter eas natas esse fabulantur. Chrysippus *Gratias* paulo juniores & pulchriores *Horis* esse dicebat, ideoque Veneri comites attributas. Alii easdem *Horas* ac *Gratias* statuunt. Harum munus fuit, ut homines inter se colligatos continerent, beneficiorumque memores efficerent. Inter Lacedæmonios duæ tantum *Gratiæ* fuere, ut Pausan. habet, sed inter Athenienses, tres. Hæ ab Hesiodo ita nominantur, *Euphrosyne*, quæ

quæ hilaritatem significat; *Aglaia*, quæ majestatem & venustatem sonat; *Thalia*, quam florentem festivamque interpretari licet : his quartam addit Homerus, quam *Pasitheam* vocat. Vulcani quoque uxor illi *Gratia* fuit : verum tres tantum *Gratias* recenset Seneca l. 1 de Benef. ubi earum imagines quoque descriptas videre est. Templi *Horis* dicati, in quo Ara Baccho posita fuit, meminit Athenæus. *Gratiarum* templum in media platea construi solere, docet ex Aristotele Alex. Neap. ut homines beneficiorum acceptorum memores passim fierent. Hæ Græcè *Charites* appellabantur. De his Servius: Nudæ sunt, quod Gratiæ sine fuco esse debent; connexæ, quia indissolubiles esse decet. Quod vero una aversa pingitur, duæ nos respicientes, hæc ratio, quia profecta à nobis Gratia duplex solet reverti.

## *Adonis.*

ADonis quoque Veneris minister esse fingitur, teste Servio, qui ait veteres singulis Diis inferioris potestatis ministros addidisse, ut Veneri Adonim, Dianæ Virbiam, &c. Atque hæc de *Venere*, & ejus asseclis.

## *Bacchus.*

POst Venerem *Bacchus* heic proxime sequitur; quinque *Bacchos* sive Dionysios enumerat Cicero lib. 3 de N.D. primum è Iove & Proserpina natum; secundum è Nilo, qui Nisam interemisse dicitur; tertium Caprio patre, eumque regem, Asiæ præfuisse, cui *Sabazia* sunt instituta; quartum è Iove & Luna, cui sacra *Orphica* putantur confici : quintum Niso natum & Thione, à quo *Trieterides* constituti putantur. Poëtæ illum à Iove & Semele natum tradunt, quibuscum faciunt Diod. Sic. & Eusebius. Nomen *Dionysius* è Iove Nysaque componi dicitur; ubi, vel quænam illa Nysa fuerit, ambigitur : plures enim fuere Nysæ; hanc inter Phœniciam & Ægyptum collocat Diod. Sic. lib. 4. cujus in antro Bacchum à Musis educatum fuisse, tradit idem Diod. Hic non solum vini vineæque author fuit, sed & potus ex hordeo confecti, quem nonnulli *Zithum* vocant. Orbem terrarum obambulans non exercitum tantum hominum, sed mulierum secum duxit, iniquos pœna mulctans. Antiquissimus Bacchus clarissimo Vossio videtur esse Noë, ut alius tamen sit Osiris, alius Bacchus, sive Liber ille, qui expeditionem Indicam suscepit, aut magis stricte loquendò, Arabicam; quam tamen Indicam vocari, haut mirum est. Prisci enim terras omnes ultra Mediterra-

terraneum ſitas, Indiam vocarunt, ſive intra, ſive extra Gangem. Bacchus hic Arabicus, Moſes fuit, ut poſt Sanfordem noſtratem placuit clariſſimo Voſſio. Pauca quædam ex ſupradictis Authoribus decerpam, quæ rem expediant. Nos Moſem vocamus Legiſlatorem illum eximium; Orpheus Liberum vocat Μίσλω; neque obſtat quod Μίσλω ibidem dicat *ἄῤῥητον ἄνασσαν indictam reginam* : nam *Dionyſius*, ſive *Liber*, ſexum habuit utrumque : Alexander Polyhiſtor ait mulierem fuiſſe nomine *Moſa*, quæ legem tulerit Iudæis. Bacchum etiam habitu fœmineo induerunt interdum priſci, ut apud Philoſtratum in imag. Ariadnæ cernitur. Sed Porphyr. ut Euſebius refert, vult *Bacchum* fœmineo habitu indutum, & cornutum fuiſſe; ut in plantis duplicem ineſſe virtutem ad fructus producendos, maſculi ſc. & fœminæ, oſtendatur. *Liber* dicitur Βιμάτωρ, *Bimater* : Filia enim Pharäonis ſecunda mater videtur Moſis; nam ita habetur Exod. 2, 10: Actor. 7. ubi etiam dicitur Moſem inſtitutum fuiſſe omni doctrina & ſapientia Ægyptiorum. Formam egregiam *Liberi* laudat Diod. Sic. lib. 5. idem de Moſe refert Ioſeph. Antiq. lib. 4. cap. 5. & Trogus ſive Iuſtin. Hiſt. Philo l. 36. *Liber* educatus in Nyſa, Arabiæ monte, ſed Nyſſus in Chron. Alexandrino eſt Sina in Arabia, ubi Legem ſuam tulit Moſes; unde etiam poſt 40 annorum exilium in Ægyptum rediit;ſed & exilium Liberi memorat Plut. de Iſid. & Oſir. & Theodoretus. Poſt exilium quadraginta annorum Moſes ex Ægypto educit Iſraëlitas. *Liberum* profugiſſe in mare Rubrum, narrat his verbis Nonnius in 20 Dionyſiac.

Ταρβαλέοις ᾗ πόδεσσι φυγὼν ἀχίχητος ὁδίτης,
Γλαυκὸν Ἐρυθραίης ἐπεδύσατο κῦμα θαλάσσης.

*Trepidantibus vero pedibus fugiens incomprehenſibilis viator, flavum rubri ſubiit fluctum maris.* Egreſſus hoc mare Moſes varia prælia cum Arabiæ & vicinis principibus commiſit. *Liber* etiam,ut ex Antimiro Diodorus habet l. 3,in Arabiam cum exercitu ſuo venit. *Liber*, uti antea diximus,circumduxit exercitum non virorum modo, ſed mulierum: Moſes totum populum Iſraëliticum; in quo viri, fœminæ,& pueri circumducti. Orpheus Dionyſum ſive Liberum vocat θεσμοφόρον, at Moſes Iudæorum erat Legiſlator; cui & δίπλακα θεσμὸν tribui videas ab Orpheo, ob duplices Decalogi tabulas. *Liber* vel *Dionyſius* in hymnis dicitur ταυρομέτωπος, *Tauri frontem habens*, & ταυρόκερως *Tauri-cornis*, & κερασφόρος corniger : At Moſes, quod radii de ejus vultu relucentes, radiorum imaginem præberent. Interpretatio vulgaris S. S. vertit locum Exod. c. 34. 29. quod *cornuta* eſſet facies Moſis; ſed & Pictorum vetus conſuetudo eſt Moſem effingere cum cornibus binis. Moſes in ſolitudine Sin virga feriens de Petra educit Aquam; hoc quoque in Liberi Orgiis re-

repræsentabatur; ut cognoscere est ex Eurip. in *Bacchis*: verba Latinè reddita sunt:

*Thyrsum autem quædam accipiens percussit petram,*
*Aquæ prosiliit unde humor roscidus.*

Deus populo Israëlitico serpentes immisit ignitos, qui multos necabant; sed pœnitudine ducti, Moses Dei jussu anguem erexit æneum, quem qui conspicerent, sanitati redderentur. In Liberi sacris caput cingebant serpentibus Bacchæ, ut in Eurip. *Bacchis*, Catull. & Clem. Alex. Admon. ad Gentes & Arnobio lib. 5 videre est: habuisse Mosem fidelem comitem, *Kaleb* dictum, in S. S. *Keleb* Hebraicè *canis*; sed Liberi socius erat *canis*, qui Panos donum, cujus præmium etiam erat Cælum; ita Nonnius 16 Dion. ubi *Liberum* sic loquentem ad *canem* adducit:

--------- *gratiam tibi laborum ergo*
*Referam mutuam post Syrium, stellam Mæræ,*
*Ætheris civem ego te, & stellis multis relucentem efficiam,*
*Prope Canem priorem, uvam ut & tu maturam reddas,*
*Racemi in ubertatem jaculans à te splendorem.*

Moses perduxit populum ad terram melle & lacte fluentem: aqud Eurip. in *Bacchis* legitur:

*Fluit vero lacte Terra,*
*Fluit etiam vino: Fluit & apum*
*Nectare, Syriaci vero ut Libani fumus.*

Sed de his satis superque; neque enim multum refert ea adducere quæ confinxerint olim sive Græci, sive alluserint alii, quorum nobis merito suspecta est fides. De distinctione inter *Bacchum Ægyptium*, qui *Osiris* quibusdam videtur, & *Bacchum Thebanum*, cujus sacra Bacchicis Ægyptiis similia, vide Voss. lib. 1 de Orig. & Progr. Idol. Bacchi ἀπὸ τοῦ βάκχειν, id est, ululare, vel *incondite clamare*, dicti. Cognomenta fuere: *Iacchus*, *Lyæus*, *Lenæus*, *Licnotes*, de his Auson. Ep. 29:

*Ogygia me Bacchum vocat;*
*Osirin Ægyptus putat;*
*Mystæ Phanacen nominant;*
*Dionyson Indi existimant;*
*Romana sacra Liberum;*
*Arabica Gens Adoneum;*
*Lucaniacus Pantheum.*

Qui plura desiderat, adeat Ovid. lib. 4 Metam. ubi tamen nulla Bacchi *Eleutherii* mentio est; quem ita appellari contendunt nonnulli, quod liberas fecit Bœotiæ civitates: sunt & alia Bacchi cognomenta, sed

*Scalig. Hypercrit.* sed quæ lubens prætereo. Bacchus, ex Scaligeri observatione, communi arâ cum Proserpinâ colebatur; quin & inter Deos inferos ab Artemidoro lib. 2 Oneirocr. recensetur. De insanis Bacchi sacris, quæ *Bacchanalia* dicebantur, plurima ediderunt olim tum Historici, tum S. August. de Civ. Dei, tum Poëtæ, ac præsertim Catullus, ubi inter alia de iis loquens ait:

*Orgia quæ frustra cupiunt audire profani.*

Bacchanalia à Scythis improbata fuisse, Her. lib. 4 author est: negabant quippe credibile esse Deum invenisse quo homines ad dementiam adigantur. Sacra hæc in quantum abolita fuerint, tandem in Italia, in quantum etiam aliquibus concessa, (quippe generosi quiddam in Dionysiacis, sive Bacchi festis fuisse testatur Dion. Hal. lib. 7.) narrat Livius lib. 39. De quibus etiam quædam dicenda essent, nisi obstaret sacrorum insania, & obscœnitas; quam ob causam extra Vrbem celebrabantur quondam, ut Herod. habet lib. 1. Hæc igitur silentio præterire satius duximus. Si cui tamen hæc placeant, videat Herod. inter alios lib. 2, & Suidam de Phallis loquentem. Delubrum Bacchi litteris Assyriis oppletum memorat Herod. l. 4: & templum ejus in Samo, Plin. Nat. Hist. lib. 8, c. 16. Inter Romanos Bacchi templum visebatur regione 2, Liberi Patris ædicula in reg. 6. Simulachrum ejus tum pueri, tum viri, tum senis formâ effingitur, Panthera ut plurimum prope posita, quæ illi sacra bellua fuit, sicut etiam asinus & tigris. Pl. lib. 24. Bacchus haut minus quam Apollo Musarum dux habebatur; unde Poëtæ etiam haut minus hederâ quam lauro coronati incedebant. Hedera enim (quæ Græce Κίσσος, à κισσᾷν, id est *libidinose aliquid appetere*) sicut ferula illa quæ arundini similis Baccho sacra fuit. Bacchum primum omnium Elephanto vectum triumphasse, tradunt veteres. An vero inter aves *pica* illi dicata fuit, ut Cartarius vult, quod in triumphis cuilibet fas erat triumphatori probra omnia objicere, dubitari potest; quum illa picæ garrulitas ebriis dicacibus æque ac convitiatoribus in pompâ triumphali conveniat. Suidas eundem *Priapum* ac *Bacchum* esse scribit; alii Bacchum Priapi patrem esse volunt. De *Vanno Bacchi* alibi dicetur, ubi de expiationibus veterum. Bacchi comites fuere *Sileni*, *Bacchæ*, *Lenæ*, *Thiyæ*, *Mimallones*, *Najades*, *Satyri*, *Bassarides*, *Nymphæ*; quorum historiam enarrent, quibus otium est.

### *Ceres.*

C*Eres*, quæ Saturni & Opis filia, non à Græcis solum, sed etiam à Romanis culta fuit: de eâ Virg. Georg. 1 scribit:

*Prima*

*Prima Ceres ferro mortales vertere terram*
*Instituit.* ----

Et Ovid. de eadem:

*Prima Ceres unco terram dimovit aratro.*
*Prima dedit fruges alimentaque mitia terris;*
*Prima dedit leges; Cereris sunt omnia munus.*

Ceres, ut quibusdam placet, *Libera* dicta est: sed obstat Herod. locus lib. 6, ubi ait Postumium ædem Cereri Libero & Κόρη vovisse: Κόρη heic vertitur *Libera*. Libera autem, ut Cicero habet Verr. 6, Proserpina putabatur; utcumque diversa à Cerere fuit. Cicero quoque de N. D. lib. 2 ait, majores auguste sancteque Cererem, cum Libero & Liberâ consecrasse: sed *Liberam* heic Venerem fuisse, suspicantur quidam: verumtamen priori opinioni adhæserim, nisi potior adducatur authoritas. Cognomenta ejus fuere, secundum aliquos, *Panda*, quod panem det; ideoque ex Varrone Nonnius ait, qui ad Cereris asylum confugissent, panem illis dari; alii alias *Pandæ* etymologias adducunt, & *Pandam* εἰρήνης θεὸν faciunt. Ceres etiam *alma* dicta fuit, quod aleret. Ceres quoque eadem ac Isis existimata fuit; ita Diod. Sic. lib. 5: *Ægyptii dicunt eandem esse Cererem ac Isidem, primamque eam semina intulisse Ægypto.* Hoc firmat quod Cereris sacra apud Athenienses tantopere convenirent cum sacris Isiacis; & Herod. testimonium lib. 2, qui ait illum cum Libero inferorum principatum tenere; unde fortasse *Vannus* purgationis animæ sive expiationis insigne Libero tributus. Cereris templi & delubri meminit idem author lib. 2, & 4, & 9, & ad Platæas, & in Eleusine templa ejus extructa fuisse. Cererem *Achææam* quoque memorat, ejusque Orgia, lib. 5, tum sacra Cereris legiferæ, à mulieribus celebrata fuisse, lib. 6. Solennia tandem Cereri & Proserpinæ quotannis ab Atheniensibus fieri narrat lib. 8. Cur *Legifera* dicta fuerit, docet Serv. ad Æneïd. lib 4; ubi ait, *Leges Ceres dicitur invenisse, nam & sacra ipsius Thesmophoria*, id est, *legumlatio vocantur*: sed hoc ideo fingitur, quia ante frumentum inventum à Cerere passim homines sine lege vagabantur; quæ feritas interrupta est, postquam ex agrorum discretione nata sunt jura. Sacra hæc quamquam castiora Eleusiniis, Syracusis tamen Cereri tum Proserpinæ ejus filiæ μύλλοι ferebantur. De his sic habet Athenæus lib. 14: *Heraclides Syracusis de vetustis & sancitis moribus scribit, apud Syracusios in extremis Thesmophoriis, ex sesamo & melle fingi pudenda muliebria, quæ μύλλοι per totam dicebantur Siciliam, & circumferebantur Deabus.* Qua de re Vossius: *Flagitiosus mos, symbolicus tamen: nam ut in Osiridis & Bacchi sacris, Phallus est circumgestatus ad signandam generandi vim activam; ita in Syracusanis*

*Thesmophoriis, circum ferebatur mullus, ad signandum principium generationis passivum.* Sed Cereris templi quoque meminit Dion. Hal. l. 1, ubi per fæminas Sacerdotes abstemia ei sacra fiebant, more Græcorum, quorum nihil mutatum esse suo tempore, ait idem author. Sed & hoc quoque ita legibus cautum erat: *Cereri Græco sacro tantum mulieres initianto.* Bona eorum qui tribunum verberarent aut occiderent, vel Tribunitiæ potestati resisterent, Cereri dicata fuere. Dion. Hal. l. 6. Sita est ædes Cereris Romæ in fine Circi maximi super ipsos Carceres: fuerunt & aliæ Cereris ædes, de quibus P. Victor. In Eleusiniis sacris noctu cum facibus currebant Sacerdotes (fæminæ puto) inter quas quæ præiret, semper vociferari solebat:

-------- ἑκὰς ἑκὰς ὅςις ἀλιτρός.

-------- *procul procul este prophani.*

Nemo autem ad ea admittebatur, nisi initiatus, quem etiam omni flagitio expiatum esse oportebat. Quare de Nerone legitur, eum his Sacris nunquam interesse voluisse, scelerum sc. conscientiâ convictum: cæterum Antoninum Imperatorem in probitatis argumentum se *Cereris Eleusinæ* sacris initiandum curasse. Hæc anniversaria erant, & *initia majora* vocata, in quibus pompa sacrorum & quæ fieri oporterent, ex reconditis quibusdam literis publice significabantur. Literæ hæ in quadam lapidum compage servatæ erant, ad quam Pheneatæ de maximis quibusque rebus, ut Pausan. refert, jusjurandum concipere solebant. Idem porro tradit effigiem Cereris cognomento *Cidoniæ* servatam ibi fuisse, eamque effigiem Sacerdotem tanquam personam indutum, statis diebus populares patrio quodam ritu virgis cecidisse: sed & ritûs heic alii plurimi fuere, inter quos primus fuit ut ipso consecrationis die novam subuculam mundamque induerent initiati, quam nunquam exuerent, quoad ex longo usu detrita esset, frustis interea maximâ curâ custoditis, ut ex iis fasciæ infantibus conficerentur. Quid pompâ Eleusinâ circumferretur, uti nemo sciebat, ita nefas erat quærere. Sacra hæc cistis opertis summo silentio deferebantur; unde puellæ, quæ illas gestabant, dictæ sunt *Canephoræ*. Qui mysteria hæc propalaret, olim in somniis admoneri solebat, si credere fas est; Deabus Eleusinis Cereri scil. & Proserpinæ displicente licentia illa: Quin & Pausanias ipse refert se, quum copiose de *Sacris Eleusinis* disserere statuisset, à quodam spectro ab ea re deterritum: quare de iis nihil attingit, nisi quod in Propyleis statua Triptolemi (qui agriculturam à Cerere edoctus fuit) ac vaccæ æneæ floribus redimitæ ac cornibus auratis, quales erant victimæ immolandæ. Arcades præcipuo quodam cultu Cererem & Proserpinam afficiebant, ignem in earum templo semper ardentem maximâ cum religione conservantes. Cereris ingens simulachrum è marmore

totum

totum erat. Proserpina sive Περσεφόνη ejus filia vestita visebatur, eò quòd semina rerum corticibus velarentur; neque se velut in matre Cerere explicarent. Ante Cereris pedes Hercules constitutus erat magnitudine cubitali: in Cereris sacrificiis vinum non adhibebatur, contrà atque in aliorum deorum sacrificiis fieri consueverat. Sacrificia hæc ejus *nuptiæ* appellabantur. Sus propria ejus victima fuit, quæ etiam tempore prima ante cætera animalia in sacrificiis mactabatur, quod segetes vastaret: quippe summe pii suo genere cum essent antiqui Gentiles, haut sibi jus mactandorum animalium esse, facilè credebant; quum noxium tamen animal esset sus, & frugum ab illis satarum proventum absumeret, vel diriperet, Diis sacrificandum esse, æquum putaverunt. Cognomenta Cereris quoque fuere Græcis Δήμητερ, Ερίννυς, & Λυσία, & Μέλαινα, quorum rationem reddit Pausanias. Simulachrum ejus alicubi ita effingebatur, ut saxo insideret, muliebri formâ præter caput, & cervicis partem; quod equinum cum jubâ esset, serpentibus & feris aliis ad caput alludentibus, reliquo corpore ad imos pedes tunicâ velato, alterâ manu delphinum, columbam alterâ præferente: quo Elementorum sibi proximorum animantia ita denotarentur. De fabulâ Cereris in equam versæ, & Neptuni deinde in equum, parum sum sollicitus. Alii aliter *Cererem* effinxere, & quidem mitius. Sed hæc de *Cerere* sufficiant.

## *Vulcanus.*

VVlcani olim plures fuere. Quatuor recenset Cicero lib. 3 de N. D. Inter quos qui Iovis & Iunonis filius dicitur, ille fortasse est, qui usque adeo cultus ab antiquis fuit. Hesiodus & Lucianus scribunt, vel potius fabulantur, illum à Iunone solâ, citra ullius dei vel viri opem, natum fuisse; sed ut ignem quandoque ab aëre solo gigni significarent: quod præceps etiam daretur à Iove in Lemnum Insulam, & claudus inde factus, aliquid circa fulmina quibusdam denotat. Hunc *Ignis* inventorem fuisse, Ægyptii produnt; quo nomine etiam in Deos relatum fuisse, crediderim, & mystice inde apud priscos Ignem significare. Inter omnia enim inventa sive reperta, ab ipsis mundi primordiis, uti nihil magis repentinum, & mirandum *igne* primò prosiluit, ita nihil magis utile, vel commodum. Quapropter pro Deo aliquo interno, & in aspectum sese prodenti, & Solis symbolo apud Gentiles habebatur, uti antea diximus. Celeberrimum ejus templum Memphi fuit: de Colosso ejus supino, longitudinis 75 pedum, ante templum posito supra diximus, tum de Sacerdotibus, qui ejus cultui celebrando desti-

destinati erant, inter quos Rex quidam recensetur ab Her. lib. 2, cujus statua lapidea in Vulcani templo visebatur, murem tenens (ob victoriam animalculi hujus ope reportatam contra Sanacharibum Arabum & Assyriorum regem) Inscr. fuit εἰς ἐμὲ τις ὁρέων, εὐσεβὴς ἔστω, id est, *in me quis intuens, pius esto.* Templi Vulcani à Tatio conditi meminit Dion. Hal. lib. 2. Quadrigas æneas illi à Romulo dedicatas fuisse, narrat idem author; & conciones ante ejus templum & in ejus templo, pro more habitas fuisse, lib. 6 & 11. Dies festos quoque Vulcano inter Romanos institutos fuisse, Pl. 18 narrat. Quomodo fabricator armorum esset, quibus dii uterentur, non opus est dicere; neque ut *Venus* ei uxor esset, quam tamen Cincias *Majam*, Piso *Majestam* appellat: atque hæc de Vulcano.

## *Vesta.*

Vestæ nomen Græcum esse, & ab Ε'ςία, in Herod. Ι'ςίη, derivari vult Cicero lib. 2 de N. D. forte tamen ab Hebræo *Eschia*, quod *Ignem Dei* significat, originem ducit. Traditur enim à quibusdam colendi ignem consuetudinem defluxisse à Iudæis, & remansisse inter Ethnicos, tenui quadam umbrâ depravatorum rituum relictâ. Vesta illa, quæ in Deos relata, Saturni filia, (ut Diod. Sic. & Apollodorus habent) & Iani uxor fuit, ut Q. Fabius Pictor refert. Atque inde fortasse fuit quod Iani & Vestæ nomina in sacrificiis aliis Diis oblatis, præfarentur veteres Romani, ut Cartarius observat. Iano quidem (ut opinor) quod templa in Italiâ primò Ianus construxerat, ritusque sacrorum instituerat, ut Macrob. habet. Vestæ autem, quod nullum sacrificium sine igne fieret, ideo focus *Vestæ* erat dicatus, & *Lar* dicebatur; cum & ibi Dii *Lares* colebantur. Vestibulum etiam à Vesta fuit, tanquam ei dicatus esset domi introitus. Simulachrum ejus fingebatur formâ mulieris sedentis & gestantis tympanum, ut in numismate quodam veteri extabat. *Vestam*, quatenus ignem significat, à Scythis cultam fuisse, sub nomine *Tabiti*, traditur. In Orientalibus enim & Meridionalibus partibus sub *Vulcani* nomine, ignis præcipuè coli videtur, nisi Italiam excipias, quæ æque *Vestam* ac *Vulcanum* impensè coluit, ut supra retulimus. Romanos Vestæ cultum ab Albanis accepisse, author est Livius. Hujus sacra etiam Athenis, Delphis, & aliis Græciæ locis obtinuere. Vestæ templi, vel ædis à Numâ Pompilio extructæ meminit Dion. Hal. non uno tantum loco; Sacerdotes ejus è nobilissimis familiis lectos fuisse testans. De occultis sacris, in hoc loco servatis, videatur Dion. Hal. & Plutarchus: tum præcipue de *Palladio*, de quo videatur Lud. Vives

Vives ad c. 2 August. de Civ. Dei. Conflagrationis ædis Vestæ meminit Plin. quod haud adeo mirum est, quum eam igni perenni circundatam fuisse, tradat Plut. Vestam, Terram solam significasse, vel potius vim internam, in terris agentem, nonnulli scribunt. Atque hæc de Vestæ & Vulcani symbolis, numinibus interdum ignem cælestem & purum, aliquando crassum & Elementarem denotantibus, dicta sunto.

### *Neptunus.*

NEptunus, Saturni & Opis, sive Rheæ filius, Iovisque frater, Mari, ex veterum sententiâ, præesse credebatur, quod navigandi artem invenisset: mystice tamen Neptunum habitum fuisse Animum cum intelligentiâ per mare pergentem, videre est in Cicerone lib. 3 de N. D. Sacra huic Numini à navigantibus pro more fiebant. Templi hujus in Cariâ meminit Plin. Nat. hist. lib. 3. *Reducis Neptuni* quoque mentionem factam esse in veteribus quibusdam nummis, tradunt aliqui. Templum Neptuni Romæ fuit reg. Vrb.9. & ædes, cujus meminit P. Victor. At non solum mari præfuit Neptunus, sed artem etiam equitandi docuit: ideo inter cognomenta ejus apud Græcos fuere Ἵππιος, & Σεισίχθων, & Ποσειδῶν, quod pedibus terram quateret, pedibus sc. sive ungulis equorum suorum; ita enim Virg. Æn. 8 ait:

*Quadrupetante putrem sonitu quatit ungula campum.*

Et Georgic.

*Cornu solido graviter sonat ungula.*

Tum Γαιήοχος, & ἐννοσίγαιος, quæ huc etiam trahi possunt. Ideo in ludis equestribus certantes, per *Neptuni* numen jurabant se nullam fraudem adhibituros. Pausanias porro agnoscit quod inter nomina Neptuni Ἵππιος cæteris præstat, eò quod cunctis nationibus sit commune. Circenses etiam ludi equestres erant, & Neptuno sacrati. *Taraxippus*, Pausania teste, uti ante diximus, Neptuni cognomen fuit, quod equi aliquando consternati (subitâ coortâ trepidatione) viserentur, maxime verò circa aram rotundam ad alterum curriculi latus positam; (ut Pausan. in Eliac. habet) Neptuno huic Equestri in Illyrico quaternos equos jaci solitos, nono quoque anno, Festus tradit. Vtrumque Neptuni munus optime signant duo numismata, unum Vespasiani, alterum Adriani, in quibus Neptuni imago cernitur nudi stantis, ubi in lævi humeri tergo amictu propendente dextrà trilorem scuticam, lævaque tridentem elatum tenet. Apud Veteres Portas Iunoni, Arces Minervæ, Mœnia & Fundamenta Neptuno esse sacra, ait Servius. Imagines Nep-

tuni & Oceani ita quandoque efformabantur, ut non valde essent dissimiles. Oceanum veteres dixere *Deorum Patrem:* sed mystice certe; ut videlicet humidum illud primigenium, à quo res naturales incrementa sumunt, denotaret.

### *Portumnus.*

PORtumnum sive *Portunum* heic subticere nequimus. Deus heic portubus præficiebatur. An idem ac ille fuerit *Palæmon*, sive *Melicerta*, non lubet disquirere. Duæ ædes *Portumni* in Romà fuere olim, utræque in duodecimà Vrbis regione.

### *Genius.*

GEnius quid sit, vel quomodo Diis animalibus accenseatur, inter veteres haut conventum est: optime meà sententià Servius statuit *Genium* esse naturalem deum uniuscujusque loci, rei, & hominis. Veteres Inscr. habent: *Loci hujus Genio.* & apud Arnob. lib. 1 *Civitatum Genius.* Inscr. Puteoli est: *Deo magno Genio Puteolanorum & Patriæ suæ.* Genium quoque custodem regni statuit Claud. ep. ad Severum: sic etiam Symmachus ad Val. Th. & Arcad. habet, *ut animæ nascentibus, ita populis fatales Genii dividuntur.* In quibusdam Hadriani inscr. talia sunt verba: *Genio P. R.* ubi imago cernitur hominis militaris cum veste ad cruris medium circumvoluta, dextera pateram in morem sacrificantis habens, lævâ autem cornucopiæ. Huc referri possunt *Nemestinus* Deus nemorum, *Collina* collium, & *Vallina* vallium Dea. Varro (ut in B. Aug. videre est) dixit *Genium* esse uniuscujusque animam rationalem, & ideò esse singulos singulorum. Atque hoc puto sensu veteres accepisse *Genios*, ubi eos inter deos *animales* annumerarent. Censorinus ait: *Genius ita nobis assiduus observator appositus est, ut ne puncto quidem temporis longius abscedat; sed ab utero matris acceptus, ad extremum vitæ diem comitetur.* Hujusmodi duo unicuique apud veteres constituti erant, quorum unus, velut inter nostros bonus Angelus, erat hominis custos: alter contra tanquam malus Angelus, & insidiator habebatur. Hac de re videatur Serv. in Virg. locum:

*Quisque suos patitur manes.* -------

Qui hanc sententiam sancire conantur, ajunt ab Astris unà cum anima hominis demandari Genium, qui illum heic sive custodiens, sive observans, post hanc vitam vel ad feliciorem statum adduceret, vel ad supplicia dimitteret. Inde Horatius:

*Scit*

*Scit Genius natale comes qui temperat Astrum;*
*Naturæ Deus humanæ* ------

Postea ait esse vultu mutabilem, album & atrum, ut *Genium* admonitorem æque ac observatorem actionum humanarum facerent. Eâ ratione adacti erant olim Philosophi quidam, quod cum Deum curâ particularium in hoc mundo exemissent, nisi quatenus in specie, & deinde in genere suo continerentur, necessum putabant ut *Genii* particulares cunctis hominibus præficerentur; quo ita de illis cognosceret Deus Opt. Max. arbitriique eorum, sive bene sive male impensi, certior factus, de futuro eorum statu decerneret, adeo ut, non nisi unum unicuique Genium homini congenitum existimaverint. Alii paulo aliter hac de re statuunt, uti antea diximus. Qui de fœminarum statu solliciti erant, illis *Iunonem* suam, velut masculis *Genium* suum tribuêre. Varia *Geniorum* simulachra olim videbantur; alii eum serpentis forma effingebant, sed mystice prorsus, ut renovationem quandam vitæ subindicarent: alii eum pateram dextera supra aram sertis ornatam porrigentem, læva propendulum flagellum, vel simile quippiam tenentem, effingebant: aliqui puerili, alii juvenili, alii senili forma *Genium* effingebant. De Genio pueri primo, & deinde serpentis formam induente, videatur Pausanias in *Eliac. poster.* & ut ob victoriam ejus ope partam Fanum illi erexerint Elei. De *malo* etiam *Genio* cum *Euthymo* congrediente, illumque vincente, videatur idem author. Magna inter *Genios* & *Lares* olim erat convenientia; quare Romani in triviis & compitis Augusti *Genium* unà cum *Laribus* collocarunt ac venerati sunt. Quilibet porro suum Genium separatim colebat, sed tum maxime ubi diem suum natalem celebraret. Quo tempore, quum in omne lætitiæ genus pronus esset, pro more, unusquisque *indulgere Genio* dicebatur: vel è contra *Genium defraudare*, vel *defrudare*; unde *Festum Geniale* in Ovid. Fast. & *Epulæ Geniales*, in Claud. de Raptu. Proserp. & *Lectus Genialis*, in Virg. Æneïd. & *Thorus Genialis*, qui in nuptiis stratus fuit; in honorem *Genii*, dies lætus & voluptuarius *Genialis* dicebatur: ita Iuvenalis:

------ *Genialis agatur*
*Iste dies.*

Quanti habitus fuit olim *Genius*, tum maxime Principum, ex eo liquet, quod qui per ejus *Genium* juratus pejerasset, pœnas dabat, tanquam religiosissimi jurisjurandi violator. Caligula (ut Sueton. refert) pœnas infligere quibusdam solebat, quod nunquam per *Genium* suum jurassent: seipsum inde contemni colligens. *Genio*, natali die, res sacra fiebat mero & floribus; à cruento scil. sacrificio abstinere suadebantur, ne die qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent,

 ut

ut ait Varro. Addit Censorinus, quod postquam sacrum *Genio* factum esset, neminem oportuerit antea gustare, quam eum qui sacra fecisset. Platanum *Genio* sacratam, eaque *Genium* coronatum fuisse, tradunt Authores; fortasse quod, ut Ælianus refert, eò non accedebat noctua (scil. infausta avis) ubi platani folium fuerit: sed & interdum floribus coronabatur *Genius*, ut habet Tibull.

*Ipse suos adsit Genius visurus honores,*
*Cui decorent sanctas florea serta comas.*

De *Geniis* plura habet Plutarchus l. *cur Oracula edi desierint*, ubi ostendere conatur *Genium* alium alio præstare virtute, sapientiâ & viribus. In descriptione 14 Reg. Vrb. mentio fit ædiculæ *Genii liberorum* & ædiculæ *Genii Larium* Reg. 6. & Sacelli *Genii Sangi* Reg. 7, neque aliæ, quod sciam, fuere Genii olim ædes, vel Templa publica: privatim enim, ut plurimum *Genium* cultum fuisse puto.

## *Penates.*

AD *Penates* jam & *Lares* proxime cognata nempe numina, ut ex Dion. Hal. colligere licet, accedimus. *Penates* quasi *Penites* dicti, quod penitissimi Dii sunt & proprii. Inde etiam in Dion. Hal. vocantur Μύχιοι, ἀπὸ τȢ̃ μυχιȢ̃, quod *penetrale* significat: sed ab eodem Κτήσιοι appellantur, hoc est, *Quæstuarii* vel *fortunatores*; quomodo etiam Iupiter & Mercurius à quibusdam nuncupantur. Alii *Penates* Πατρῴȣς sive *Patrios*; alii γενεθλίȣς, sive natalitios, alii ἑρκίȣς, quod *intra septum domi* uniuscujusque se contineant, *Penates* vocant; Dion. Hal. l. 1. Templi in quo Imagines *Penatium*, quos *Penates* vocant, extabant, meminit idem author; qui D. ante inventam literam P. heic præponi putat. Penates (ut Cicero habet l. 2 de N. D.) vocantur, sive à penu ducto nomine, (est enim omne quo vescuntur homines penus) sive ab eo quod penitus insident; ex quo etiam *Penetrales* à Poëtis vocantur: sed non solum Patrisfamilias, sed & hospitum ejus Dii *Penates* præsides custodesque perhibebantur. Ideo in conspectum *Deorum Penatium* hospitem necare, scelus ingens habitum fuit, ut ex Cicerone & Ovid. intelligere est. Simulachra eorum effingebantur quasi juvenes essent militari habitu, hastas tenentes, quos quidam *Apollinem* & *Neptunum* signasse tradunt; alii *Castorem* & *Pollucem*; alii Deos ipsos suâ propriâ formâ *Penates*. Hi in penitissimis ædium partibus colebantur, antequam negotia tractaret Pater-familias. Ideo Demipho apud Terentium *se domi proficisci*, ait, *Deos Penates salutatum, ut inde in forum ad negotia peragenda revertatur.* Hi irati crediti, hostiâ placabantur: de aversis Penatibus hostiâ molliendis loquitur

quitur Hor. 3 Carm. *Penatibus* & Vestæ, etiam Dictatores cæterique Magistratus Romani, quo die dignitatem inibant, Sacra faciebant.

### *Lares.*

LAres & Genios eosdem esse, sunt qui credant, sed neque *Penates* illis dissimiles. *Lares* veteri linguâ *Lemures* dictitatos esse, scribit Apulejus l. *de Deo Socratis.* Sed *Lar* certe Lemure mitior habebatur: Lemures etiam sive larvæ noxii fuerunt, saltem malis: at *Lares Dii* familiares & domestici perhibebantur. Ideo intra domesticos parietes colebantur. *Laribus* focus sacer erat; inde verbum *foculare*, quasi *Laris focus:* prope Forum quoque *Lararium* fuit, ubi *Lares* reponerentur. Lampridius scribit Alexandrum Severum duo *Lararia* habuisse, quorum uno simulachra Christi, Abrahami, Orphei, atque Apollonii erant; in altero Ciceronis & Virgilii effigies visebantur. Neque privatarum tantum ædium custodes credebantur, sed agrorum & ipsius civitatis. Festus tradit pilas & effigies viriles, & muliebres Compitalibus suspendi solere in compitis: Compitalia hæc festa fuisse in Compitis, idem author docet. Cæterum Varro l. de L. L. ait *Compitalia* esse dies attributos *Laribus*: Compitalitios tamen dies illos vocat Cicero, qui etiam ludorum Compitalitiorum meminit. Tot pilæ in Compitalibus constituebantur, quot capita servorum; tot effigies quot essent liberi, ut vivis parcerent, & essent iis pilis & simulachris contenti. Compitalia & ludos *Laribus* primum instituisse Servium Tullium docet Plin. l. 36. causamque reddit, quod in regia cubanti, quum adhuc puer esset, caput arsisse visum, creditusque quod *Laris familiaris* filius esset: Sed *Laribus* ædem vovisse primum & extruxisse Titum Tatium, Sabinorum Regem, author est Varro. Plutarchus scribit, *Laribus*, quos proprie *Præstites* vocant, canem assistere, ipsosque *Lares* caninâ pelle vestiri; ejusque rei hanc reddit causam, quum scil. custodiæ & curæ domus destinentur, convenire eos alienis terribiles, domesticis verò mansuetos esse, qualis est natura canum. Quæ sacra *Laribus* fiebant, indicat ipse *Lar* in Plauti *Aululariâ*:

*Huic filia unica est, ea mihi quotidie*
*Aut thure, aut vino, aut aliquo semper*
*Supplicat. Dat mihi coronam.*

Dabatur quoque, ut Ovidius habet, lanea vitta. Cibus etiam è mensâ, qui illis oblatus erat, igne absumebatur; homini enim gustare nefas. Hostia, quæ *Lari* immolata fuit in Compitis, à Propert. l. 4 memorari videtur:

*Parva saginati lustrabant compita Porci.*

Vervecibus quoque sacrificatum fuisse *Laribus*, testatur Cicero de Leg. qui etiam ait *Lares familiares* discessu suo vexatos fuisse. Hi singuli singulos familiis, juncti urbibus præesse credebantur. Ideo Propertius ait eos Hannibalem fugasse: & Festus, hostiliis Laribus immolatum, quod ab his hostes arceri putarent. *Laribus* Templum & sacellum, & delubrum, in octava Vrbis Regione fuerunt; fuit etiam lucus *Larium*, & sacellum in Velia reg. oct. *Laribus* porro marinis in Campo Martio L. Æmilius Regulus vovit, ut sibi in pugnâ navali auxiliarentur. *Laribus* præstitibus aram dicavit Curius, quod præfuissent mœnibus Vrbis. In *Larium* sedibus exædificatum Templum *Licentiæ* illis displicuisse, narrat Cicero 2 de Leg. *Larium* à *Lara* vel *Larunda* ortarum fabulam consulto mittimus. *Lares* Græcis Ἥρωες κατ' οἰκίαν vel κατοικίδιοι dicti fuere; ut ideo Heroum quorundam animas in *Lares* transiisse olim crederent fortasse Gentiles. Atque hæc de *Genio*, *Penatibus* & *Laribus* sufficient.

*Dion. Hal. l. 4. Priscianus.*

## *Pluto.*

PLuto, Saturni & Opis filius, Iovis & Neptuni frater, Inferis præesse credebatur. Hujus causam adducit Diod. Sic. l. 5, dum ait *Plutonem Funerum & Sepulturæ & Parentationis ritus ostendisse*. Hic & *Orcus* sive *Horcus* vocatus fuit, à juramento, quod per *Orcum* jurarent olim Gentiles, quo nomine etiam inter Deos selectos recensetur. *Plutoni* huic sive Orco Inferorum curam traditam fuisse fabulantur Poëtæ. Sicut enim Cælum Iovi; Mare & Aquæ Neptuno, ita inferiora his omnia, præcipue subterranea, Plutoni dicabantur; haut ita tamen unicuique fratri sua ditio particularis obtigit, quin ut jura aliquando miscerent; & Iupiter & Neptunus in Terris; Pluto & Neptunus in Cælis; Iupiter & Pluto in mari vires suas imperiumque exercerent. Pluto divitiarum Deus habitus est. Πλοῦτος enim, à quo nomen illud, divitias significat; inde etiam à Latinis *Dis* vocatus est, quod ditaret: verum hoc ita intelligendum est, ut de Plutone quatenus præses fuit intimarum terræ partium, è quibus metalla effodiuntur, proprie accipiatur: quatenus enim Inferorum Deus crederetur, non opes quidem hominibus, sed vel pœnas, vel etiam præmia largiebatur. Postquam enim hac vitâ functi essent homines, à Poëtis sive ipsis Philosophis pratum quoddam statuebatur, quod *Veritatis ager* appellabatur; ubi duæ sese dividerent viæ, quarum altera ad Beatorum insulas, altera ad Inferorum loca tenderet. Heic tres Iudices etiam constituebantur, Æacus, Minos, & Rhadamanthus, qui de homi-

hominum gestis, ubi in terris agebant, olim cognoscerent. Rhadamanthus & Æacus, ubi judicarent, virgas manu tenere, Minos seorsim sedens, & apud se singulorum causas pensitans, sceptrum auratum gestare fingebatur: Animæ interim secundum illos à corporibus tanquam tegumentis spoliatæ, & externis omnibus exutæ, heic nudæ sistebantur, ut cogitationes internas ita perspicerent Iudices, ab iisque præcipue actionum indicia desumerent. Quorum omnium sensum mysticum aperiebat non Plato tantum, sed ejus passim sectatores, qui unanimiter præmium, vel pœnam, animabus vitæ hujus stipendia emeritis, destinabant; quum frustra prorsus esset conscientiæ ratio, nisi secundus, sive melior, sive pejor nos maneret status. Sed & aliam Platonis mysticam interpretationem ex Eusebio videre est, dum ait Porphyrium eo nomine Solem adumbrasse, qui hyeme sese nobis parum ostendens, apud Antipodas degit, in inferioribus mundi partibus statutus, nostrum haut satis collustrans orbem. Quod autem Proserpina à Plutone retineri dicatur, id eo spectare, ut seminis vim (quod antea ex Proserpinâ denotari retulimus) Pluto sive Sol Inferus latitantem sive apud se, sive in corticibus semen comprehendentibus conservet, neque explicari heic ubertim sinat. Simulachrum ejus apud Poëtas ita effingebatur, ut tanquam Manium præstes apud Inferos sederet Rex. De eo sic Claudianus:

*Ipse rudi fultus solio nigrâque verendus*
*Majestate sedet; squallent immania fœdo*
*Sceptra situ.* -----

Martianus Capella coronam ei tribuit ex ebeno, & sceptrum, ut qui Rex Inferorum esset. Galeam quoque gestasse, Homerus, Plato, & Hyginus scribunt; eam si quis induisset, oculis hominum cerni non potuisse; cum tamen ipse alios cerneret: quod de Solis vi occultâ (etiam dum non videtur) agente intelligi potest. Perseum hujus galeæ ope fretum Medusam vicisse fabulantur Poëtæ; tum Minervæ beneficio galeam illam impetrasse. Cerberus ei ad pedes jacet, ut Fulgentius habet, qui ideo, ex quorundam sententiâ, triceps fingebatur, ut tria semini necessaria esse ostenderetur; sc. ut humi spargatur, ut terrâ contegatur, ut latitans deinde germinet. Pindarus Plutonem effingit virgam manu tenentem, *Pausanias.* qua animas ad Inferos ducit, ut ita vel custodiret, vel ubi opus esset, dimitteret animas: veteres ei currum tribuêre, quem equi quatuor atri naribus ignem spirantes traherent. Orcus heic, sive Pluto, olim *Agesilaus*, quia πάντως ἄγει λαὺς, *omnes agit populos*, dictus fuit. Idem porro *Athenæus.* Orcus atque Ædoneus, qui Rex Molossorum fuit, ut Cyrillus habet. Orcus etiam locum Inferorum significat: Dictus quoque fuit *Summanus*, *Mar. Capella.* quasi *summus manium*. Aliis tamen *Summanus* tantum Deus noctis fuit.

De

De eo dubie loquitur Ovid. in Fast. Dictus etiam *Aллor*, quod è terrâ alantur omnia; & *Rursor* secundum quosdam, quod *rursus* omnia redeunt: & *Februus*, quod Februa & expiationes ad futurum in Inferis statum, quorum ille sit Deus, relata essent. Ædes Orci in decima Urbis regione fuit; *Summani* Sacellum regione 8; Ædes autem Reg. 6, quam vovit Titus Tatius Rex, Varrone teste.

## *Parcæ, & Furiæ.*

PLutoni sive Orco militasse videntur olim *Parcæ* & *Furiæ*. De Parcis loquuti sumus alibi. De *Furiis*, quæ *Alecto*, *Tisiphone* & *Megæra*, quibus *Lyssam*, tanquam quartam aliqui adducunt, non opus est, ut prolixior sim. quædam tamen adnotabo; licet veræ in nobis *Furiæ* sint *Cupiditas*, *Ira*, *Libido*, & Furiarum loco Cicero de leg. substituit *Angorem conscientiæ*. Furiæ antiquorum Plutonis administræ credebantur, ab inferis aliquando erumpentes ut supplicium de mortalibus sumerent: hæ, sicut etiam Dii *Averrunci* colebantur, ne obessent; vel ut mala averterent. Atque ideo, ut Pausanias in Atticis refert, Græci illis sacrificabant. Furiæ igitur Sacra & aras, sicut & cæteri Dii habuerunt; cum, ut Cicero refert l. 3 de N. D. speculatrices & vindices essent facinorum, & scelerum. His, sed *Eumenidum*, id est, *benevolarum*, & *mitium*, puto nomine, Sycionii oves prægnantes mactabant; ac mulso pro libamentis, pro corollis, floribus, uti solenne habebant. Fanum Eumenidum quoque non in Achaïa tantum visebatur, sed Athenis, ut Cicero habet. Furiæ manibus faces quatere credebantur, crinibus canis interea anguibus implicitis: qui plura de iis petit, videat inter alios Ovid. 4 Met. sed non Plutoni solum, at Iovi quoque & Iunoni & Hecate operam dabant Furiæ, reliquumque Inferorum Satellitium, quarum ministerio utebantur, ubi Bellum, Famem, Pestem, aliaque id genus mortalibus immitterent.

## *Harpyæ.*

FUriis non absimiles, nisi vultum virgineum excipias, *Harpyæ* fuerunt, ad pœnas à sceleratis exigendas ex Inferno allegatæ. Varias Harpyarum descriptiones adducunt Virg. Ovid. & Statius; quas recitare opus non est. Lamiæ & Stryges quoque his accenseri possunt; &, secundum aliquos, *Sphynges*. Furinæ Deæ mentionem facit Cicero l. 3 de N. D. & luci in Româ ei sacri. Sed omnia hæc prosequi non patitur institutum nostrum, tum præsertim quod religionos veterum ita fabulis admisceantur,

tur, ut quid Sacerdos, quid Poëta commentus sit, haut facile judicaverim: nos quidem nimis illis institimus. Horum Deorum agmen alterâ Iani facie claudemus; ut primus enim Deorum *Selectorum* aliquibus sit, à Saturno & Iove incipiendum esse, illa subsequens Deorum prosapia suadebat.

## *Ianus.*

IAnus, antiquissimus Rex Latii, Cæli & Hecates filius, ob merita divinis tandem honoribus cultus fuit. Hic ab aliquibus idem ac Ogyges, vel Noë, ab aliis Iaphet, Noë filius, ab aliis *Iavan* perhibetur. Saturnum exulantem ab illo benigne exceptum tradunt Authores, tum ob id maxime quod Agriculturam primus docuerit, hominesque inde ad meliorem vitam redegerit; æraque ad commercium mutuum signaverit. Ianus primus aras erexisse, & fana & Sacrorum ritus tradidisse fertur, adeo ut in omni Sacrificio perpetuo illi præfatio præmitteretur, tum far vinumque illi prælibarentur, & cognomento Pater invocaretur. Ad custodiam sanctimoniamque domorum valvas, seras, & clavem excogitavit: unde à Iano *Ianua* etiam dicta est, & initium anni non absimili ratione *Ianuarius*: Colonis pomœria & aras sacravit, & ad continendos tum recentes in officio colonos, virgas ex spinâ albâ, puto *Ianales* inde vocatas, fascesque singulis singulas dedit: unde simulachrum ejus cum virgâ, clave, & aris duodecim pro totidem mensibus, sub pedibus positis effingebatur. Cæterum Macrob. & Plinius memoriæ prodidere simulachrum ejus, quod in Capitolio fuit, ita efformatum fuisse, ut in manu dexterâ trecentorum, & in sinistrâ sexaginta quinque numerum digitis ita figuratis tenuerit, ad demonstrandam anni dimensionem: de digitis ita figuratis vide Annotat. Cœl. Rhodig. qui supputationis modum inde colligit, & Bedam. Navigiorum, pontium, & coronarum inventor quoque esse dicitur. In nummis quibusdam Ianus bifrons ex unâ parte, ex alterâ navis, vel prora vel puppis cernitur. Sed Plut. in Q. R. aliam ejus rei causam adducit: quod bifrontem quidam Ianum effingunt, id cum Noë commune habere volunt; qui utrumque mundum respexit: quod quadrifrontem alii, ut in æde ejus visebatur, id ad quatuor Anni tempora referunt. Ianum ab *Eano* dici vult Cicero de N. D. sed Ianum ab Hebræo *Iain*, quod est vinum, deducit Clarissimus Vossius; & *Oenotriam* tellurem (quæ sola Italiæ nomine vocata olim fuit) inde dictam fuisse contendit. Ianum igitur, sive Noë, in Italiam post diluvium, sed non Arcâ quidem appulisse videtur. Noë quoque *Xyluthius* apud Cyrillum est, qui addit Assyriam vocem à *ziz*, vel *zus*, quatenus

postis, vel liminis habet significationem, adeo ut ita quoque Ianus Noë fuerit. At cuncta hæc è tenebris vetustatis quis in lucem ita producat, ut ab omni parte constiterit veritas? Conemur tamen præcipua saltem attingere. Ianus non januis in terrâ tantum heic, sed & cæli januis præesse credebatur; quum enim preces (ut Homero placuit) claudæ fingerentur; ille eas quasi manu fulcire, quo inambulare possent, aditumque illis inde in cælos patefacere dicebatur. Nullus enim fere fuit apud veteres affectus, cui sua non indueretur persona. Ianus pacem bellumque in manibus habere credebatur: ita ut huc aperiendarum, vel claudendarum valvarum, in Iani Templo ritus, & *Patulcii* & *Clusii* vel *Clusini* nomen referri debeat. Morem reserandi ejus Templum, ubi bellum ostenderetur, eleganter describit Maro Æneid. l. 7. Ter tantum à Romanis clausum fuisse hoc Templum, indicat Servius: primo regnante Numâ; secundò post Punicum bellum primum; tertiò post Actiaca bella, quæ confecit Augustus, quo tempore tamen bella civilia flagrabant: per tot scil. annos bella assidue gesserunt Romani. Sed & Consules quoque in hoc templo inaugurabantur; unde dicti etiam annum aperire. Erant præterea in foro Romano duo vel tres Iani, ubi tanquam in celebri loco Mercatores conveniebant, tum artem suam exercebant. Suspicor etiam eorum officinas Ianas vocatas fuisse. Fœneratores huc quoque congregabantur: inde Ovid. de quodam:

*Qui puteal Ianumque timet celeresque Kalendas.*

Ianus mystice Solem, (uti antea diximus) aliquando & totam rerum naturam significabat. Pleraque quæ de Iano feruntur, hisce versibus complectitur Septimius:

*Iane parens, Iane tuens, Dive biceps biformis,*
*O cate rerum Sator, ô Principium Deorum;*
*Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,*
*Cui reserata mugiunt aurea claustra Mundi,*
*Tibi vetus Ara caluit Aborigineo Sacello.*

Cognomina Iani quædam supra adduximus. Alia fuere, *Iunonius*, quia à Iunone Kalendæ sunt; *Consevius* à conserendo, quod Author humani generis esse credebatur; & *Quirinus*, quasi bellorum potens, & secundum aliquos, *Portunus*, quum heic portis præesse crederetur, clavemque manu tenere, quemadmodum & Ianus. In carminibus Saliorum *Deus Deorum* appellabatur. Templa Iani hæc recensentur: primum à Romulo conditum fuit, vel, ut alii volunt, à Numa; alterum à Duillio post primum Punicum bellum, & à Tiberio restauratum; tertium jam quadriforme amplissimum ab Augusto dedicatum fuit. Ædes Iani Curiatii ab Horatio in memoriam pugnæ celebris, qua ille Curiatium

tium interfecerat, facta fuit. Iani *Septimiani* mentio quoque fit, sed adeo obscura, ut vix aliquid certi de eo afferre queam. Procopius *lib.* 1 *Bell. Goth.* Sacellum æreum Iani, in medio foro, è regione Capitolii fuisse tradit. Varro arces Iano sacratas in quavis urbis regione fuisse memorat. De Iano *Medio* vide Brod. lib. 2, cap. 19. & Magium lib. 2. c. 12. Atque hæc de *bifronte* ævi Deo, (ita enim Ianum vocat Plinius) dicta sunto.

## *Plebs Deorum.*

CONsiliariis Proceribusque in cælesti Gentilium Republica ita expositis, ad Plebem Superorum deveniendum est, ut Regnum Cæleste, vel Cælestis quædam Resp. nostræ non absimilis, ita constituatur. De hisce Ovid. in *Ibin*, ubi post majorum gentium Deos invocatos ait, uti antea diximus:

*Vos quoque Plebs superûm Fauni, Satyrique, Laresque,*
*Fluminaque, & Nymphæ, Semideûmque genus.*

De his etiam Poëta Hysphallicus, sive ille est Virgilius, sive Ovidius:

*Nos vappæ sumus & pusilla*
*Culti ruris numina.* ——

De quibus seorsim pauca quædam adnotabimus. Virgilius Faunum patrem Faunorum, Satyrorum, & reliquorum agrestium numinum statuit. Quem eundem atque Sylvanum, sive Pana testatur Sext. Aurel. Victor de Or. Ge. R. & Serv. in 4 Æneïd. Eodem fere modo effícti erant Fauni, Sylvani, Satyrique, ita ut omnes curtam caudam haberent, imaque sui parte hispidi essent. Lucianus quidem scribit Satyros aures habuisse acutas; calvos etiam esse, & in eorum capite duo cornua eminuisse :· Philostratus ait eos humanum aspectum præ se ferre, cæterum pedes habere caprinos: quare (ut Plin. refert) velocissimi finguntur; sed & salacissimi quoque, & ebrietati deditissimi; ut inde Bacchi comites dicerentur. Pausanias scribit Satyros, ubi senes essent, Silenos fieri: Silenus asello vectus Bacchi comes dicebatur, & juxta aliquos pædagogus. cui etiam apud Elæos Templum dicatum fuit. Sed & Pan ipse (quatenus saltem agreste numen fuit) ex homine & capra constabat; unde magis verisimile est quod supra diximus, & Faunorum & Satyrorum patrem fuisse. De fistula ejus & Echô, Nympha ab eo adamata, & pluribus aliis circa eum fabulis, videantur, si placet, alii. Pan mystice universam rerum naturam significat: sed mysticum hoc numen certe diversum à Pane illo, quem agrestem fuisse tantum Deum tradunt ipsi Poëtæ. Ideo Virgilius: *Pan ovium custos* ab improvisis

visis nempe terroribus, (quos *Panicos* dicunt) ut servarentur oves, Pan colebatur, Pastorum Deus idcirco vocatus: quos terrores etiam hominibus & præcipue in bello immissos, & *Panicos* dictos, non Veteres tantum testantur, sed & hodiernus sermo passim indicat. Mysticus ille *Pan* simulachro suo, ut Iupiter Lycæus effingebatur, quod caprina pelle aliqua ex parte contectum cætera nudum visebatur. Atque huic, ut Iust. lib. 43 refert, in Palatini montis radicibus templum extructum fuit. Pan quoque inter Ægyptios, tum etiam Arcades instar eorum qui majorum gentium Dii vocantur, cultus fuit, adeo ut ignis perpetuus in ejus templo custoditus, & oracula edita essent, Erato Nympha ea reddente. Athenienses numen hoc sese aspectui prodere, nonnunquam & in bellis auxiliari, terroresque hostibus injicere credebant; unde in Sylva Parthenia dicta templum illi posuerunt. Idem etiam visionum & vocum insolitarum author esse credebatur: quocirca Faunus, qui *Pan* à fando dictus. Cognomenta Panos non pauca olim fuere: *Ægipan*, qui & semicaper Pan est; & *Inuus*, quod iniret reliqua animalia; *Incubus* etiam ea ex causa dictus, & *Ephialtes*: Pan etiam *Fatuus* & *Fatuelus* esse videtur. Vide Andr. Schot. Annot. in Dion. Hal. De mystica Panos interpretatione vide Boccatium, & quosdam Mythologos. De pinu Pani sacrata vide Const. Geopon. lib. 11. Atque hæc de Pane, qui agrorum Deus, & Faunis Satyrisque, qui nemorum, & Sylvanis, qui Sylvarum Dii, dicta sunto. Fuerunt & alii Dii rustici, sive è plebe Deorum, nempe *Pales*, cui *Palilia*, vel *Parilia*, & *Flora*, cui *Floralia* dicata, (ubi fœminæ, sed præsertim meretrices, gladiatorum more decretoriis armis dimicabant, & luctabantur; nudæ etiam currebant & saltabant;) & *Pomona*, pomorum Dea, & *Vortumnus*, qui rebus contrahendis ac vertendis præfici credebatur, cui *Vortumnalia* dicata, juxta alios humanis etiam cogitationibus præponebatur, imo & anno ipsi, uti qui juxta tempora varias sumeret figuras: vide plura in Propertio. Vortumno signum & Templum in vico Thusco positum fuit. Erat & *Tutanus* & *Tutelina*, qui rebus tuendis præerant. Frumentis præpositæ: *Seia* Satorum Præses, & *Nodotus*, & *Volutina*, & *Patelena*, & *Segesta*, & *Hostilina*, & *Lacturtia*, & *Lactens*, & *Matuta*, & *Runtina*: Fuerunt cultæ etiam Dea *Fructesca*, quæ fructibus præesset, & *Spinensis*, ut spinas eradicaret, & *Robigus*, ut rubiginem à segetibus averteret; cui *Robigalia* festa dicata: & *Fulgora*, ne fulgura fierent, & *Populonia*, ne populationes. Cultus etiam à pistoribus præcipue fuit *Pilumnus*, ob pilendi sive pinsendi inventum, & *Fornax*, quæ far torreret: & *Picumnus*, & *Stercutius* ob stercorandorum agrorum inventum: & *Bubona*, *Hippona*, *Mellona*, quæ bubus, equis, & apibus præesse credebantur.

Cantarius.

tur. Inter Deos rusticos quoque recenseri possunt *Jugatinus*, qui jugis montium, & *Collina*, quæ collibus, & *Vallonia* quæ vallibus præfecta, & *Rusina*, cui rura commissa fuere. *Terminus* etiam cultus fuit, quod in ejus tutela essent agrorum fines; &, sive à Tatio, sive à Numa Pompilio consecratus. De Templo Iovi O. M. à Tarquinio Superbo in Capitolio destinato (quod ut amplissimum fieret, aliorum Deorum ædes exaugurare decrevit) vide Dionys. Halicarnass. Liv. Ovid. D. August. & alios: ubi lepide satis narratur *Terminum* & *Juventutem* illi cedere noluisse. Atque hæc de Diis Rusticis. Inter miscellaneos plurimos, qui nulla in classe apte describuntur, *Fortuna* recensetur, quæ quum impense olim inter Romanos culta fuit, haut ita supine prætereundam esse judicavi.

## *Fortuna.*

FOrtunæ, pluribus cognomentis insignitæ, splendida quondam Templa posita fuere, sed præcipue à Servio Tullio, qui Fortunæ Primigeniæ, Obsequenti, Privatæ, Viscosæ, Parvæ, Masculæ, Barbatæ (cujus ædem in regia habuit) & Fortunæ Bonæ Spei, Averruncæ, Blandæ, Plebejæ, Convertenti, Bene speranti,& Virgini locavit. Virili Fortunæ Templum Ancus Martius dicavit: Muliebris Fortunæ Templum quoque fuit, ubi Fortunam sic loquutam fuisse tradebant sive Sacerdotes, sive Vetulæ: *Recte me matronæ vidistis, riteque dedicastis*: hanc à solis recens nuptis coli fas erat. Equestri Fortunæ Qu. Fulvius Flaccus ædem magnificentissimam locavit. Dea Fors Fortuna ab illis colebatur qui sine arte aliqua vivebant, cui ædem consecravit supra memoratus Serv. Tullus. Fuit & Fortunæ *hujusce diei* templum à Q. Catulo votum. Fortunæ Sejæ ædem extruxit Nero Imperator, de qua Plin. *Plin. l. 36, c. 22.* Nerone Principe in Cappadocia repertus est lapis duritia marmoris, candidus atque translucens, etiam qua parte fulvæ inciderant venæ, ex argumento *Phengites* appellatus: ex hoc construxit ædem Fortunæ, quam *Seiam* appellatione dicebat, à Servio rege sacratam, aurea domo complexus, quare etiam foribus opertis interdiu claritas ibi diurna erat, haut alio quam specularium modo, inclusa luce non transmissa. Mammosæ Fortunæ ædes in capite Viæ Novæ fuit, à qua etiam vicus nomen accepit, velut alius etiam à Fortuna Dubia. Reducis Fortunæ templum à Domitiano factum est: illi ara etiam consecrata ob reditum Augusti: fuit *Regiæ Fortunæ*, & Heræ Templum; & Prænestinæ, sed quæ cum Hercule; & Prosperæ, sed quæ cum *Fide* jungebatur: quæ maxime legitima dedicationis ejus causa inter supra memoratas haberi potest:

 ubi

ubi enim non servatur fides, prosperam haut jure speraverit quispiam fortunam. Dea hæc in iis quorum caussæ sive latebant, sive abscondebantur, vim suam exercere credebatur. Inter Romanos præcipue culta fuit, nullam enim ejus mentionem in Homero factam esse, recte observavit Spondanus: sed neque apud Grajos & Orientales obtinuit ejus cultus, nisi forte Venus Vrania huc trahi posset quodammodo; utraque enim (ubi opus esset) fœlicitatem desuper hominibus præstare credebatur: atque hæc de Fortuna. Si qui interea Dii Rustici, vel Vrbani, vel Miscellanei, puta Cloacina, Fugia, Rediculus, vel Ridiculus, Minutius: vel infesti, putà Pavor, Pallor, Febris, Tempestas; vel vocales, cujusmodi non Ajus Locutius tantum, sed & alii Dii ex Sacerdotum opera confingebantur: vel Nuptiales, vel Parturientium vel Infantium: hos omnes inquam Deos Deasque ad Criticorum nostrorum Indigitamenta libenter retulerim: ut hi igitur per me consulantur: quum enim in majorum gentium Diis explicandis plus satis institerimus, de hisce, uti qui inferioris notæ fuerint, non ita laborandum.

## CAP. XIII.

### *De Deo Summo.*

VNiversis membris regni Cælestis ex Gentilium doctrina ita constitutis, quod illis præficeretur Caput explicandum manet, ut tandem ad ea, propter quæ datur ascensus in Cælum, ex eorum quoque principiis deveniamus. Atque hoc quidem haut alius certe quam Summus ille qui *est, fuit, eritque in æternum* DEVS. Quamvis enim de aliquibus aliis Dei sive attributis, sive muneribus disceptatio inter veteres esset, uti suo loco monstrabimus; Summum tamen aliquem extare, & semper extitisse Deum, neque apud Sapientes, neque apud ipsos insipientes dubium (puto) fuit. Cæterum an Deus ille principium per se æternum (sed ut Mundus itidem illi coæternus esset) statui deberet; an quidem non tempore, verum ordine quodam, dignitate, & potestate ipsam anteiret præverteretque materiem mundanam, eamque in hanc quam conspicimus molem plasmaque digereret; an vero ipsam materiem creaverit primo, mundumque inde efformaverit, inter antiquiores controvertitur. Certe qui Deum principium æternum, sed non mundi utique authorem voluêre, nimis jejune de Deo senserunt: neque enim sine causa aliqua (quæcunque illa fuerit) hunc mundum edi expromique potuisse, vel finxerit nugator, aut præstantiorem Deo sum-

summo causam excogitaverit. Qui secundam opinionem amplexi sunt, Deum summum ex chao quodam Mundum hunc non ab initio tantum, sed continenter efformantem statuebant, ita tamen ut ineptam simul mundi materiem æque æternam voluerint; causam ita simul cum effectu suo ponentes. Qui tertiam opinionem, aut certe ab eo parum abludentem, tueri videbantur inter priscos nonnulli fuere, mundum hunc utcunque tempore genitum fuisse perhibentes, quorum catalogum bene longum in Fr. Patr. discuss. Peripat. Tomo 4, lib. 4 videre est: adeo ut per plurima sæcula ante Ocellum Lucanum, & post hunc Aristotelem nulli mundanæ æternitatis assertores, ex Patricii testimonio, fuerint. Vtraque hæc opinio, sc. Mundum ab initio genitum fuisse, vel nunc etiam gigni, sectatores non paucos habuit. Mundum namque sex diebus factum fuisse soli perhibent (quod sciam) Iudæi & Christiani, apud quos tamen in genere non desunt qui historiam totam de Mundi Creatione in allegoricum sensum trahant. Inter antiquos, qui mundum genitum fuisse crediderunt, nemo quidem apertius Cicerone loquutus est, qui lib. de Vnivers. ait: *Deum mundi effectorem & molitorem esse.* Idem lib. 2 de N. D. sic habet; *Principio ipse mundus Deorum hominumque causa factus est:* Alibi lib. de Vniv. *Deus ille æternus hunc perfecte Beatum Deum (nempe Mundum) procreavit.* Sed an prius materiem, & deinde mundum fecerit, ex hisce verbis non satis liquet: qui plura hoc in argumento desiderat, ea consulat quæ à Proclo & Ioanne Grammatico adferuntur *lib. de æternitate Mundi:* ubi quicquid in utramque partem dici queat, magna ingenii solertia exagitatur: ut dubium tamen sit, an Proclus hoc ipso præceptorem Platonem sequutus sit. Nam, ut Marsil. Ficinus compendio in Timæum habet: *Si interpretes adeas Severum Atticum, & Plutarchum, aliosque quos Proclus adducit, multos mundum non fuisse semper, sed interpretantibus Crantore, Plotino, Porphyrio, Iamblicho, & Proclo, tum plerisque aliis, semper quidem fuisse mundum ex Platone colliges, sed à Deo fluentem, adeo ut qui initio temporis carentem consideraverit, ingenitum dici mundum; sin autem perpetuum ejus à Deo effluxum; assidue genitum, neque minus à Deo pendere si dependeret, pendeatque semper, quam si aliquando cœpisset dependere.* hæc Marsi. Ficinus. Sed non minus acute quam clare (mea sententia) Plato, vel juxta alios Pythagoras, quem in Timæo sequitur Plato, probare conatur, quod sensui subditum est, ortum aliquando habuisse: hujusmodi autem esse mundana omnia, adeo ut Mundum à Deo initium cœpisse (eo quo supra narratur modo) saltem ex eorum placitis, constet. Cæterum hisce omnibus postpositis, ex Epicuri schola quidam Mundum non ex atomis tantum, sed & fortuito eorum occursu omnia quæ heic visuntur originem

ginem duxisse; neque Beatum Deum hisce sese negotiis implicare voluisse tradunt. Ita Lucret. lib. 2:

*Nequaquam nobis divinitus esse creatam*
*Naturam mundi, quæ tantâ est prædita culpâ.*

Ita & alii Epicurei, qui omnia Fortunæ & Casui tribuunt; quod si verum esset, haut viderit quispiam quomodo vel species, vel genera, vel aliqua apta rerum series dari posset. Et quidem si horologium, per diem & noctem integram horas signanter indicans, viderit quispiam non mente captus, id consilio arteque summa factum judicaverit. Ecquis non plane demens, qui hanc mundi machinam non per 24 horas tantum, sed per tot sæcula circuitus suos obeuntem animadverterit, non id omne sapientissimo utique potentissimoque alicui authori tribuat? ut mirum mihi videatur, eos sic existimantes, ingenio artificioque non exiguo ad absurdissimam opinionem propugnandam uti, quasi in verbis, non ita in rebus ratio ordoque dari posset; vel apud illos solos mens daretur, apud omnia alia casus. Sed errorem hunc de fortuito mundi ortu à Cicerone inter alios profligatum non uno tantum loco reperies. Verum enimvero hæ de Mundi origine opiniones inter Philosophos solum jactatæ, vulgi captum superabant: satis quippe habebat populus res ab omni ævo ita comparatas fuisse, ut heic commode degere possent, modo industriam adhiberent, cætera plerumque securi, nisi quod dum vim quandam internam, vel Deum in hoc mundo agentem conspexerant, ejus in potestate esse existimabant, ut vel vitæ commoda illis adimeret, vel illos commodis. Hanc igitur vim latentem, sive numen, rerum omnium, quarum caussas ignorabant, authorem facile faciebant; quem tamen pro dimenso ingenii illorum, ubi aperte requirerent, irritus fere cessit labor; neque aliud inter illos plerumque constitit, quam quod ab abdito illo, sed summo certe principio, omnia quovis dimanassent ævo; quin penes ejus arbitrium esse, an res ita stent, steterintve: huic igitur Deo cumprimis supplicandum, tum ut mala averteret, tum ut bona quævis largiretur; ita ut ministri ejus præcipui neglectui non haberentur. Hæc cum animis eorum insedissent, ex iis circa Deum notitiis, cultum ejus religiosum, sive ex interno aliquo dictamine constituebant, sive à sacerdotibus accipiebant, suum interea Deum communi voto *Optimum Maximum* sanxerunt; & antea quidem *Optimum* quam *Maximum*; quasi vero *Maximus* non esset, uti antea diximus, qui non prius *Optimus* audiret; rationem quippe Boni in Deo ipsam etiam ejus potestatem antevertere. Deo Opt. Max. ita agnito, quæstio fuit, an alia etiam attributa Deo convenirent, sed & hoc etiam obtinuit, aliaque attributa Deo summo

data,

data, ſed quæ in prioribus continerentur. Attributa quippe illa rite intellecta, vel reliqua omnia ſaniora à Scholis adducta complecti, vel ea ſola eſſe, ad quæ intrepide ferri poſſit ingenium humanum, ſtatuebant; adeo ut ſive juſtum, miſericordem, ſapientem, providentem, omnipotentem, vel infinitum eſſe dixeris, vel in alterutro eorum attributorum, vel in utroque ſimul juncto, hæc omnia dari compertum haberent: quatenus enim *Optimus*, omnibus conſulere credebatur, tum juſtum æquumque, tum miſericordem benignumque ſeſe præſtare; quatenus *Maximus*, nihil non poſſe, nullo claudi termino: quatenus *Optimus* & *Maximus* ſimul, tum rerum author providentiſſimus ſapientiſſimuſque, tum earum Gubernator & Conſervator perhibebatur: bonis præmia ampla, malis ſupplicia merito tribuens. Stent igitur in æternum, velut ab omni ævo ſteterunt, Dei attributa *Optimus Maximus*; omnia namque in ſe habere videntur, quæ de Deo Summo ex recta rationis norma credi poſſint. Fateor quidem Deum ex beneplacito damnantem, vel gloriam inde captantem, ex attributis hiſce non conſtare; ſed neque pie de Deo ſummo ita ſentire poteſt quiſpiam, ut occulta propterea ſua conſilia ſibi ſancte habeat Deus Opt. Max. quæ rimari vel ſcrutari mortali ſit nefas: ſatis quippe eſt nobis, ab attributis *Optimi Maximi* Deum nec recedere poſſe, nec velle. Sed, ut hæc de Deo & Mundo clarior fiat ſententia; ſupponamus hominem in Theatrum hoc prodeuntem, qui ingenio quidem polleat, ſed quem neque Traditiones, neque Revelationes, neque aliud extra ſe quippiam inſtruant. Ille quidem (quantum conjicere poſſum) de mundo hoc (ubi illum probe recognoverit) idem quod de inſtrumento muſico concinne fabricato, ac tum primum viſo, exiſtimabit, haut ullo ſc. cœco quantumvis caſu prodiiſſe; ſed neque id quod ex tot diſcrepantibus partibus conſtat, temere vel à ſeipſo prorſus coaluiſſe. At ſi Muſicum eximium ejus chordas ſuaviter pectentem audierit, tum conſilium artificis, qui inſtrumentum illud fabricavit, tum peritiam Muſici qui inſtrumento illo adeo ſcienter uſus eſt, protinus agnoſcet; omniaque in eundem finem coordinata eſſe judicabit. Quid, quod neque duos ob eam cauſam opifices fuiſſe, facile ſtatuerit; ſed ex ejuſdem Artis principiis tum inſtrumentum, tum harmoniam profectam eſſe colliget: ſiquis tamen aliter ſentiens dixerit, tot diverſarum rerum in hoc mundo exiſtentium quum diverſæ ſint omnino cauſæ, diverſos utique ſupponi debere Deos, unumque Deum imparem tot negotiis eſſe, immo nec tot muneribus ſubeundis ſufficere; tandem neque ipſum Mundum ita affabre factum, ut non plurima deſiderentur. Huic ita reſponderi poteſt: Quo magis ineptum, incongruum, incompoſitumque inſtrumentum

tum sit, eo magis Musici peritiam ostendi, qui ex tot disparatis dissonisque nervis, vel chordis concentum illum harmonicum eliciat; sed neque tumultuaria opera fieri posse instrumentum, quod in eum finem comparatum esset. Brevi, quo magis non diversa tantum, sed contraria pugnantiaque essent omnia, eo potius longe citiusque ad unum aliquem Deum Summum, sive Numen, quod hæc omnia contemperaret; deveniendum esse: minoris quidem momenti quædam casu vel forte accidere posse, sed non hunc Mundum, quo nihil majus, nihil pulchrius, nihil sublimius, vel in seriem aptam mage digestum, vel videre, vel etiam imaginari licet. Quodcunque enim extra locum, quo positum est, si vel per diem integrum constitueretur Elementum, proh! quanti tumultus in ipsa rerum natura cierentur, quantæ sequerentur clades! cujus certius argumentum haut dari posse puto, quam quod ipsius vacui adeo impatiens sit Natura. At reponet iterum fortasse Gentilis, concinnum adeo ordinem in rebus haut dari posse, ut vel Astra proportione quavis Mathematica disponi, vel Elementa aliter quam temere misceri videantur. Sed heic quoque fallitur Gentilis. Nam quemadmodum, qui manuscriptos illos Musicorum libros, ubi litteræ nostræ vulgares ad Musicas notas signandas usurpantur, illas literas, tanquam extra seriem debitam positas, nihilque prorsus significantes existimabit. At ubi Musicum harmonicos numeros inde trahentem audierit, illas confestim non sine arte consilioque descriptas esse putabit. Ita quidem de Astris & Elementis est censendum: quamvis enim inordinate & confuse in seipsis collocari congerive videantur Mundi partes, ubi perennes tamen circuitus, statosque rerum reditus periodosque, & summam in ipsis etiam vicissitudinibus constantiam, &, ut paucis dicam, harmonicam illam rationem, quæ sola, ut Plinius habet, rerum naturam cogit sibi ipsi congruere, in animum induxerit; nam ille quod inordinatum prius confusumque apparuit, summa sapientia consilioque optimo factum esse judicaverit. Omnis proportio nostra est Arithmetica, Geometrica, vel Harmonica; sed illa, qua Deus utitur, hisce omnibus præstantior est, uti quæ ea in se habeat, quæ nostrum non dico sensum, sed etiam intellectum superant: quod igitur nobis proportione carere videatur, illud ipsum, cum aliis sensus nostros fugientibus, à Deo tamen conspectis, collatum, exquisita proportione symmetriaque constituitur. Cæterum si hisce haut factum satis est, dicet fortasse Gentilis, se non ita occulto alicui absconditoque Numini obstringi, ut clara illa æternaque numina, Cælum & Astra destituat, supineve negligat: quin si hujusmodi aliquis daretur Deus, illum pro bonitate sua haut vitio hominis versurum, quod accepta à superis

peris bona grato animo recoleret, illisque tanquam optimis præstantissimisque (quod cernerent) causis reverentiam exhiberet; neque per id stare, quo minus aliud mage præcellens eximiumque veneraretur Numen, modo sese ostenderet, obtutuique præberet, majoraque illis conferret in genus humanum beneficia. Sed hisce argumentis ita occurrendum est: Illum nempe ita ratiocinantem perinde facere, ut qui instrumentum Musicum solum tanquam symphoniæ causam agnosceret, idque egregiis laudibus celebraret; nullum autem Musico modulanti honorem tribueret: Mundum hunc quidem Instrumentum illud harmonicum referre, sed & Astrorum illic micantium influentias præcipue tanquam nervos fidesque instrumenti hujus haberi debere: verum enimvero nisi esset simul qui nervos illos, fidesque pulsans, acutaque cum gravibus æquabiliter temperans, concentus suaves efficeret; tota infuscaretur prorsus harmonia, adeo ut vel muta, vel absona esset Naturæ vox. Neque igitur ex usu esse instrumentum illud, nisi præstantior aliqua accederet caussa, quæ concordes suavesque modulatus inde ederet. Huic igitur summum honorem cultumque exhibendum esse; sed neque inferiorem aliquam quocunque tandem modo Astris, Cælo & Elementis reverentiam deferendam esse, quæ non in Deum Opt. Max. rediret, in ejusque gloriam præcipue cederet: aliter si fecerint, se Deo summo contumeliam illaturos. Denique Deum illum latere vel abscondi non posse, dicendum est, qui sese palam aperteque in omnibus operibus suis prodens, etiam in minimis animalculis & insectis sese maximum esse Opificem demonstrat. Sed & alia tum Gentilium, tum hæreticorum objectio diluenda est, dum inter eos non pauci ita ajunt: Si Deus Opt. Max. rerum omnium prima est causa, unde sæva illa mala, Fames, Pestis, bella, & hisce consimilia? Ædepol à Deo Opt. Max. proficisci nequeunt, quæ tot diras calamitates invehunt. Adeo ut nisi duplex principium statuatur, Bonum sc. & Malum, haud viderit quispiam, quomodo ab eodem fonte effectus non diversi tantum, sed contrarii fluere possint: sed & utrumque Principium colendum esse, illud quidem ut juvet, hoc ne noceat: Veteres quidem ita sensisse plurimos: malum quippe Principium apud Ægyptios *Typhonem*, de quo vide Plut. *de Is. & Os.* apud Persas, tum præcipue Magos, *Arimanium*; apud alios *Vejovem* fuisse, Authores tradunt. Quin & Indi quidam, & præcipue Tapujani, hodierno die Principium malum haut secus atque bonum statuunt. Quæ omnia mitius vel ex eorum sententia sunt explicanda. Neque enim malum aliquod Principium ita supponebant, ut pari, vel saltem suppari potestate cum Deo summo præditum esse censerent: sed in inferiori gradu esse constitutum,

 quem-

quemadmodum tenebras luci inferiores dixerit quispiam, ita ut Principium bonum propriè, alterum impropriè esset Deus, ut Plut. l. de Is. & Os. tradit. Sed & Fatum affore dicebant Persæ, quando *Oromasdes*, bonum sc. Principium, *Arimanium* malum vincat, immo prorsus aboleat. Quibus aliquatenus concinere videbantur Philosophi, dum in malis summum gradum non dari asseverabant. Malum interea Principium victimis cruentis, atque hujusmodi placari debere docebant Gentiles, uti ex Labione, lib. 8. Porphyrio, Augufst. de Civitate Dei, & aliis videre est. Bonum vero laudibus & honoribus, aliquibusque aliis ritibus ad lætitiam pertinentibus afficiebant. Hanc opinionem de *Principio malo* (Christianorum temporibus) Manes Persa tandem resuscitavit, illam ex Marco Cerdone & Apelle hauriens, uti B. Augusft. tradit; sed juxta aliquos, ut in Vossio videre est, B. Paulus huc respicit quodammodo, ubi ait 2 Cor. 4, 4, *Deum hujus sæculi excæcasse mentes fidelium:* quin & ipsi Christiani, Adamum, post lapsum ejus, malorum in terrâ omnium principium quoddam statuunt; neque aliunde quam ab illo primario peccata nostra diduci, ut qui humanum genus reatu suo infecerit. Aut si Dæmon hujus sæculi, vel Cacodæmones, mala hæc introducentes, nobisque assidue insidiantes, tanquam malorum omnium causas perhibuerint, haut minus malum tamen inde constiterit Principium. Non defuere olim qui multa etiam statuerent Principia, quorum quædam benefica, alia malefica essent; Astra ita alia bona, alia mala; Dæmones quosdam humano generi porro amicos, alios infestos noxiosque ex propriâ natura dari, perhibentes. Sed Gentilibus ita responderi potest: Duplex esse malum, culpæ & pœnæ; malum Pœnæ veluti Famem, Pestem, Bellum, ab occultis, sed justis certe, Dei judiciis pendêre. Hoc mali genus ubi viris bonis probisque immittitur, Deum Opt. Max. meliorem illis vitam elargiri: sin in malos improbosque homines cadit, Deum ita supplicium de illis sumere: adeo ut illis in præmium, hisce in pœnam cedat Mors. Quod ad malum culpæ spectat, hoc quidem non aliunde provenire quam ab arbitrio illo omnibus insito ingenitoque, quod tanquam Bonum eximium Deus Opt. Max. nobis largitus est; ex quo etiam à Belluis magis quam ipso intellectu distinguimur: quum tamen adeo ancipitis sit naturæ, ut in utramque partem flecti possit, fit ut in malum sæpe propendeat & dilabatur. Cæterum per se est beneficium plane divinum, ejusque amplitudinis & præstantiæ, ut citra illud neque boni esse possemus: ecquis enim bonum aliquod efficere dicitur, nisi quando in adversam partem datur optio? Heic igitur malum culpæ accidere, quod nobilissima animæ facultas in sequiorem suâ sponte nulloque cogente traducatur detorqueaturque partem. Quibus

bus concessis, uti verissimis, haut opus est malum in rebus Principium constituere, nedum colere. Quum enim malum haut aliunde quam à nobis ipsis arcessatur; sive illud culpæ ex vitio proprio & voluntario, sive illud pœnæ fuerit, quæ culpam consequitur, quorsum Malum Principium statueris, quorsum colueris, nisi forte discipulorum more alicujus nequitiæ reorum flagellum quod eos cæderet, exosculari animus esset? Satis novi quidem homines, ubi ex justis Dei judiciis plectuntur, illud animo grato excipere debere, quum in frugem ita corrigantur, spesque facta haut ulterius vel gravius illos manere supplicium. Cæterum hæc fusius persequi haut patitur institutum nostrum. Quod ad Principium malum è lapsu Adami accersitum spectat, id facile Theologis nostris discutiendum relinquo: neque enim vulgo satis liquet, quomodo vel anima Adami ad similitudinem Dei condita dicatur, si boni malique ante lapsum ejus inscius omnino fuerit; vel adeo sævè in seipsum & totum humanum genus postmodum peccârit Adamus, ubi fructum arboris notitiam illam indentis, nec dum primoribus labris degustasset; si enim ante fructus illius esum, quod bonum malumve esset, penitus ignoraverat, quomodo Dei id prohibentis mandatum in bonam partem acceperit, vel justum æquumque in seipso esse crediderit, vel hoc pacto tandem atrox horrendumque illud scelus commiserit, unde ejus posteri criminis illius insontes, nihilque tale probantes, suppliciis æternis ita addicerentur, ut non nisi plusquam humanâ victimâ post tot secula placaretur Deus? Duriuscula hæc dogmata inquam à Theologis nostris ita ferruminentur, statuminentur, ut ad Laïcorum captum, communisque rationis normam clare exigantur. Ipse quidem nihil heic statuo, quam quod Principium malum neque ex Adamo simpliciter evinci queat, quum non nisi voluntarium videatur omne peccatum nostrum, neque ullus mortalium ita in mala quævis necessario impellatur, ut non peccata sua prævidere vitareque ex bonitate Divinâ possit. Quod ad Dæmones, ipsumque tandem Diabolum attinet, neque ipse adeo malus habendus est: si enim Carnificis & Tortoris publici vicem solummodo præstat Diabolus, haut ita culpandus, qui justa Dei judicia tantum exequitur; adeo ut neque hi ipsi principia in seipsis mala perhiberi possint. Equidem antiquiores Philosophi omnes pro numero virtutibusque stellarum, Dæmones plus minus beneficos maleficosque statuebant, in illis affectus erga corporea collocantes; quapropter ut in Marsf. Ficini Comm. in Conv. videre est, dum bonos homines amant, malos quodammodo oderunt, seipsos propius & ardentius rebus inferioribus, sed præcipue humanis, immiscent: sed & Dæmones affectus induere, proprioque arbitrio haut secus *Plut. in Apolog.*

atque homines, uti firmare videntur Gentilium religiones, quum sacrificiis aliisque ritibus placandis Dæmonibus sedulo studuerint. Si enim simpliciter mali essent Dæmones, nullo cultu obsequiove deliniri vel demulceri posse, existimassent. Non negabant tamen utriusque notæ Dæmones dari, quin & hos in meliorem partem, illos in pejorem plerumque accedere putabant: cæterum nullum simpliciter bonum vel malum esse, sed utrumque pro arbitrio suo evadere posse. Sed & pro more hominum & aliquorum animalium, Dæmonem unum ex alio originem ducere, contendebat Avicenna. Sed ut ea mittamus (in Aristotelis imitationem) quæ sensuum evidentiam fugiunt; de quibus etiam nisi pauca sanè enuntiari possint, hoc solummodo dicimus, neque ex dæmonibus principium ex propriâ naturâ malum colligi posse. Sed de bono & malo Principio videsis Epiph. Hær. 66, & B. August. contra Faustum & Manichæos. At verò qui plura de Principio malo inter Gentiles adhuc scire avet, legat Vossium lib. de Orig. & Progr. Idol. Reliquum est ut Deum summum Gentilium eundem ac nostrum esse probemus: sed hoc ostenditur Apostoli verbis Rom. 1, 19. & Act. Apost. c. 10, passim, & c. 17, 28, 29. quemadmodum argumentis firmis contendit Vossius c. 2. Cæterum, Ἀγνώστῳ θεῷ, *Ignoto Deo* etiam inter Athenienses quadrare, ex Vossii sententiâ, videntur, quæ de Deo Iudæorum ejusque circa Christum consilio adfert Paulus Actor. 17, 23, dum ait, *Quod ignorantes colitis, hoc vobis annuntio*; neque abludere heic Lucani verba:

*Incerti Iudæa Dei* ——

Aræ *ignoto Deo* positæ meminit Epimenides: suo tempore etiam extitisse aras Athenis, quæ Βωμοὶ ἀνώνυμοι, *aræ sine nomine* appellarentur, testans: quarum una forsan fuit illa à B. Paulo tum visa, ubi ad Athenienses concionem habuit. De aris *ignoto Deo* positis, vide Pauf. l. 1. Philost. lib. 6. Agel. lib. 2. c. 28. *Quæ enim ab Epimenide ob pestilentiam obortam τῷ προσήκοντι θεῷ, Deo convenienti:* sive *proprio, erecta fuit, diversam à prioribus puto: neque aliud innuisse quam quod ubi nescierit Epimenides cui Deo sacrificatum esset, ille ita omnes quodammodo propitiaret.* Cæterum duriuscule *Deus ignotus* Atheniensium ad Deum Iudæorum refertur: ut ita priora S. S. loca Deum Gentilium eundem ac communem omnium Deum evincant. Nam Deus ille ignotus Atheniensium alius certe fuit, atque ideo puto arâ donatus, ne aliquis forsan incultus apud illos esset Deus: ut belle tamen heic instruendi Gentiles occasionem captarit Apostolus. Neque dubium mihi est, quin è libro naturæ edocti, Deum summum tum agnoverint, tum coluerint Gentiles: quemadmodum enim in operibus suis sese omnibus patefacit, ita etiam

in

in illis colitur Deus; quapropter ex ſeipſis etiam edoctos ad Dei ſummi cognitionem perveniſſe olim Gentiles, & etiam nunc pervenire Indos, reliquoſque orbis terrarum incolas, tanquam indubiam veritatem ſtatuo. Potius quippe ambigerem, num Solis lumen remotiſſimas regiones colluſtraverit, quam quod Dei ſummi notitia illos latuerit; quum in ſphærâ tantum ſuâ Sol, Deus ſummus in rebus omnibus ſit conſpicuus. Sed neque doctiſſimi viri paſſim, & inter illos Bullin. de orig. cult. Dei c. 8, aliud ſenſiſſe videntur, ut pluribus hoc in argumento non ſit opus: mancam interea & imperfectam fuiſſe Dei ſummi inter Gentiles cognitionem, facile concedimus, ſive ob Sacerdotum vecordiam, ſive ob eorum vafritiem, animos populi à veris cognoſcendi Dei principiis abducentium, quo ita illis paſſim illuderent, myſteria religionum apud ſe ſolos extare jactantium, neque ſine illis Deum vel adiri, vel placari poſſe. Vnde etiam factum, ut radiis divini luminis interclusis, mira caligo vulgi animis obducta eſſet: neque pedem alicubi figere auderet grex, niſi quando Sacerdotum voce vel manu duceretur. Affatim heic de Deo Gentilium ſummo loqui poſſemus; ſed tot hoc in argumento præivere Clariſſimi Authores, præſertim Platonici, ut ſi pluribus uterer, actum agere videar. Quapropter de Deo ſummo Gentilium ſub attributis *Optimi*, & *Maximi* agnito, concludentes, ad cultum ejus accedimus: non difficilis quippe ex hiſce principiis erat tranſitus: cui enim potius quam omnium Maximo, reverentiam; cui potius quam omnium Optimo, amorem impenderit quiſpiam? quis tandem alium quam ex *reverentiâ* & *amore* cultum Dei præſtantiorem, vel mage legitimum rationalemque oſtenderit? utramque ſc. paginam faciunt; nihil reliquum fore ubi probe explicantur hoc in genere, ſibi eſſe ſinentes: ubi enim debita reverentia, ac Dei timor, qui initium Sapientiæ rite dicitur, adhibitus fuerit, neque ſummam illam majeſtatem Dei, qui omnia heic geſta contuetur, criminibus læſerit quiſpiam, neque aliam quam ex virtute ad Cælos viam paraverit, utpote qui gloriæ vel fœlicitati æternæ ſemet imparem agnoverit; ubi animam vitiis fœdaſſet, eamque *Dei Optimi Maximi* conſortio indignam reddidiſſet. Sed neque ubi Amor conſummatus in Deo ſtatuitur, vel ſeſe implicare affectus iniqui & turbidi, vel ſpes fideſque melioris vitæ deeſſe poſſunt. Atque circa hoſce quidem cardines, tota perfectæ Religionis machina vertitur. Sed, quód dolendum eſt, ſuperſtitiones inſanæ profanique ritus, ex Sacerdotali officinâ procuſi, hiſce veræ Religionis partibus immiſcebantur; ſi enim heic ſtetiſſent, haut ita operam luſiſſent Gentiles.

CAP.

## CAP. XIV.

### *De Causis primordiisque Religionis apud Gentiles, Conjectura.*

HIsce ita enarratis, operæ pretium erit cultus Religiosi Ethnicorum caussas primordiaque investigare; haut enim ineptè prorsus institui posse videtur, quæ ubique gentium fere obtinuerit Religio. Hujus causas igitur ex Philosophicis scholis, Legum præscriptis, & ipsâ Sacerdotum praxi ab Historicis passim tradita, indagavi. Quorum placita etiam ubi congesseram, & in compendium aliquod redegeram, hanc Conjecturam nostram, circa ejus originem proponere malui, quam ut nullus de hoc argumento extaret author. Si cui hæc displiceant, sua adducat: modò hoc ratum, & fixum maneat, haut ita insulsam bardamque haberi posse Religionem Veterum, ac vulgo existimatur, quæ per tot sæcula inter doctissimos Philosophos, optimos Magistratus, & fortissimos Heroas invaluit. Haut efficiet tamen illud, quin in errores fœdos quibus passim eorum Religio scatet, animadvertam. Sed ad rem me accingo. Quum Dei summi attributa supra allata inter Gentiles recepta essent, callidum (puto) irrepsit Sacerdotum genus, qui haut satis habentes unum tantum in hac rerum universitate constitui Deum, è re suâ esse putaverant, ut alios huic summo Numini adjungerent Deos; quum non obstaret illud quo minus *unus* ille *Optimus Maximus*, præ aliis omnibus superemineret Deus. Sed non unicus hic ad Deos alios introducendos obtentus fuit. Ex pluribus quippe Diis potius, quam ex uno aliquo quantumvis maximo obstringi populares animos censebant, præsertim ubi varius unicuique ex eorum inventis exhiberetur cultus. Plus porro utilitatis stipendiique ex variis ritibus, ceremoniis, religionumque sacris, quæ ipsi confingerent, populoque deinde traderent, accessurum sibi persuadebant, quam si omnes omnium hominum ætates eadem pietatis & virtutis officia exercerent. Licet enim Deus summus inde coleretur, Patria contra hostes servaretur, Civesque concordes degerent, nihil tamen heic subfuit, quod in eorum commodum particulare verti posset: quapropter vera cum verisimilibus, possibilibus, & falsis artificio miro contexentes, hisce fere argumentis ad deliniendum populum utebantur: Sicuti nihil verius, ita neque magis incontroversum esse, quam quod unus tantum summus idemque æternus sit Deus: sed quod unus & summus sit, immo & prima rerum perhibeatur causa: anne ideo etiam

etiam solus statuendus est? nullosne in Cælis vel Terrâ consortes ab æterno invenit, vel fecit; vel annon aliter Beatus statui potest, quam si nudà sui contemplatione non mortalium cuncta tantum æva, sed propriam etiam æternitatem absumeret? Certe Deo summo convenire nequeunt, quæ vel mulierem speculo assidentem dedecerent. Ab initio igitur Deum summum alios habuisse beatitudinis suæ vel comites, vel consortes, existimandum est: quin & nonnullos quovis sæculo in cæleste contubernium ab illo adscisci, credere par est: neque enim præclara quævis ante omne tempus facta fuère, sed etiamnum fiunt, in æternumque fient. Ex seipsis igitur, sive proprià naturâ, vel ex æterno Dei summi decreto, coæternæ, vel paulo minus quam mundo coævæ statuendæ sunt existentiæ quædam, quibus nomina pro placito tribuere licet, modo eas revera esse fatearis. Ipse quidem naturas eas quæ in Cælis degunt sempiternè, Deos non immerito appellaverim, non dico Solem & Lunam, & Astra quæ in Cælis moventur: Sed & quæcumque alia infinitis rerum spatiis extantia beato æviternoque statu inter superos fruuntur. Hisce igitur, tanquam proximis Deo summo numinibus, proximum deferendum esse cultum, quidni arbitremur? Alio quidem cultu Consulem, alio Senatorem, alio Tribunum plebis, alio Quæstorem, alio sive dictatorem, sive Suffetem, sive ἄρχοντα prosequimur; quum inter illos nullus semet negligi impune pateretur; vel minima igitur Superûm ira avertenda est: quod tamen haut aliter quam ex debito eorum cultu fieri posse, existimamus. Sed neque verisimile est, inferiorem hunc illis invideri cultum, qui in Deum summum omnium authorem & Δημιουργὸν ultimo redundat. Huc usque ideo minores Deos, sive numina inferiora etiamsi aliquando esse cœperint, coli debere censemus. At quid si à seipsis existentiæ Deo summo coæternæ fuerint? quod ita esse, non infimi subsellii Philosophos multis rationibus contendentes, videre passim licet. Hoc enim si daretur, multo magis eximium aliquem (sed minorem illo certe quam qui summo Numini convenit) exhibendum illis esse cultum, haut diffiteremur. Aliqua enim circa res sive in Cælo, sive in Terris gerendas apud illos authoritas saltem extiterit, præsertim in iis quæ à Dei Opt. Max. naturâ aliena sentiantur; quæ omnia prorsus Diis minoribus tribuerim; cujusmodi plura in hoc mundo reperias; quid si & mundus ipse ab illis initium cœperit, quod quidam perhibent; quum Deo Opt. Max. indignum videatur opus Machina hæc, ubi homines ipsi flagitiosi rerumque omnium indigi; animantia reliqua bruta, & misera, cœlumque tandem immite & inclemens, quodammodo perhiberi posset; ubi etiam nihil supra se nisi spe præmii, nihil infra se nisi utilitatis cau-

sa metitur & æstimat fere optimus quisque: quam supinè enim haberentur Dii superi, nisi beneficia sua quotidie impertirentur; quam jejunè animalia cuncta, nisi ejus commodis inservirent? quapropter sive à seipsis Dii minores existant, & ab illis mundus, suamque ita unusquisque procuret provinciam: sive à Deo summo conditi ejus jussa exequantur, sive arbitrio proprio utcumque haut minus quam homines ipsi in hoc mundo utantur, illos venerandos aliquo saltem ritu esse, censemus. Quam parum est illos honore leviori prosequi, vel ritu placare, à quibus propitiis immediatè beneficia acceperis, aut à quibus iratis tibi justè metueris: neque Deo Opt. Max. ita detractum iri cogitetis, quem neque in seipso, neque in operibus suis, neque in tota tandem rerum universitate satis unquam colueris.

Vagas hasce opiniones quum imbibissent plerumque homines, quid verum, verisimile, possibile, & falsum heic inesset, parum solliciti, præceptoribus Sacerdotibusque suis fidem adhibere cœperunt, & semet totos paulatim illis dedere. Neque verissimum illud inter eos invaluit dogma: *In Deo summo* (nempe) *omne numen coli.* A Sacerdotibus suis igitur petere cœperunt, quinam Dii illi, quomodo insuper colendi essent? se quidem haut superis ita ingratos esse, ut non accepta ab illis beneficia pio animo recolerent, modò Sacerdotum ope subindicarentur. In genere quidem illis satis constare, à cælis quævis demandari bona, sed à quo numine, vel astro, qua vi, vel influentià, ex quibus etiam cooperantibus causis id factum esset, penitus ignorabant, nisi id edocti essent. Heic igitur sese rursus ingerebant Sacerdotes, ita fere reponentes:

*Arnob. l. 1c.*

*De Diis Supercælestibus, Cælestibus, & Subcælestibus.*

Quinam Dii illi sint quos scire avetis, arduum est explicare, non solum enim sensus nostros, sed ipsum intellectum superant, tum quod extra conditiones illas positi sint, ex quibus objecta percipiuntur, diversæque à nostrà prorsus sint substantiæ. Nec minus difficile est eorum cultum statuere, quum nihil circa eum universo saltem humano generi satis revelatum esse constet. Deum summum tamen existere, immo & Deos, minores, sive Δαίμονας dari, in confesso ubique est. Quam ineptum enim esset, Terram tantam (sed nec totam) habitabilem esse, nullos autem intra ingentes Aëris, Ætheris, Cœli orbiumque cælestium ambitus, spatiorumque supra orbes illos immensorum incolas esse? Hos trifariam partiuntur doctiores Philosophi: 1 in *Supercælestes*, 2 in *Cælestes*, 3 in *Subcælestes.* Supercælestes autem, uti qui à nobis sint remotissimi, ea tantum procurare tradunt, quæ propriæ illorum naturæ sint convenientia, adeoque beatà cum Deo summo vità frui, neque res humanas illis ita charas esse, ut eapropter tranquillum

*Ex veterum sententià Plato, Critias, & Platonici.*

quillum fælicemque statum vel per tantillum temporis deponant: quin neque opus esse ut hominum negotiis implicentur, quum circa ea omnia ordinem legesque in Cælo, Astris, & Elementis, & totâ denique rerum naturâ statuerit ab initio Deus summus. Inter has quidem leges esse; ut quædam perpetuæ heic darentur rerum vicissitudines; ut quæ orirentur heic, omnia post statum aliquod tempus interirent; ut propriæ conservationi operam nihilominus darent: ut hujus vitæ commoda labori industriæque proposita essent; ut quædam actiones bonæ, quædam malæ etiam ipsa dictante conscientiâ essent; ut inter actiones bonas cultus Dei severus, virtutesque morales primas tenerent: ut inter malas ἀσέβεια, sive irreligio, & vitium pessimæ notæ haberentur; ut homines arbitrio proprio uterentur, adeo ut ex hac vitâ etiam egredi possint, (quod optumum in tantis vitæ pœnis dedisse Deum, sentiunt nonnulli,) si media ad finem debita adhiberentur, ut ipsa consectaretur finis; ut omne simile suo simili gauderet; si boni probique essent homines, ut præmiis heic, vel post hanc vitam, afficerentur; sin mali improbique, ut suppliciis plecterentur. Legum harum & aliarum, quas operosum esset recensere, in universâ rerum naturâ constitutarum, jus præcipuum penes Deos cælestes esse, Deo summo ita volente, ut *Fatum* quoddam, sive ordo ita in rebus constitueretur: quapropter eos etiam patefecit, ne nescirent fortasse mortales, quæ proximæ saltem essent rerum causæ, vel unde tot beneficia acciperent. Deum summum vero seipsum supercælestesque Deos à conspectu mortalium removisse, quod sublimis adeo essent naturæ, ut nulla eos satis acies pertingeret; ejus loco non in conspectum solum, sed in fruitionem quandam produxisse Deos illos Cælestes, qui à nobis, Cælum, Sol, Luna, syderaque, sive erratica, sive fixa, vocantur. In quibus patriam etiam sedesque quas olim incoleremus, ostendit Deus summus; quum enim non aliunde quam ab Cælo & Astris pars hominis præstantissima, supraque omnem Elementarem sortem constituta *Mens* nostra originem trahat, in Astra, & Cælum utique reverti (nisi ubi à criminibus haut satis purgata sit) æquum est statuere; in illis etiam hospitia hominibus probe hac vitâ functis præberi, commodaque omnia non secus ac in hoc mundo tantum, sed suaviori longe jucundiorique modo parari. Neque minus tandem Deos videri, quod crassa solidaque corpora induerint: Mens enim in illis divina viget, corpora eorum ingentia stupendâ velocitate ciens: neque porro illis detrahere, quod eorum corpora teretia, & rotunda visantur; quasi augustam Deorum majestatem haut deceret simplicissimâ formâ conspici; falli quippe heic vulgus: quo magis

 enim

enim articulata sunt corpora quævis, ex pluribusque membris composita, eo magis obnoxia & debilia, opisque alienæ indiga sunt. Hoc ex ipsa hominis fabrica liquere, qui ex pluribus; iisque languidis infirmisque membris compactas, neque in civiliorem vitam coire, vel victum vestitumque sibi conquirere posset, nisi manuum sermonisque organa illi concessa in hunc finem à Deo summo essent. Neque multum referre heic, an Dii illi cælestes Cœlumquè ipsum spontaneo, an necessario motu ferantur: si priori modo, quod de Planetis conijcere licet, Deos saltem minores à nobis agnosci debere: sin posteriori modo, tanquam Dei summi administros præcipuos, reverenter habendos esse: nihil interea in re dubiâ adeò tutò statui posse, quam quod sive arbitrio proprio utantur, sive Dei summi nutibus assidue obtemperent; nullos insuper rerum nostrarum præsides præstitesque aperte satis indicari; eos igitur saltem in venerationem aliquam externam propositos esse. Quod ad *subcælestes Deos* spectat, eos quidem cælestibus inferiores esse, sed nobis utique vicinia propiores, naturaque sua propinquiores similioresque esse, quum corporibus aëriis vel ætheriis convestiantur, interque fines quosdam nobis fere communes coërceantur, & nunc boni, nunc etiam mali existant; (simpliciter enim malos esse; naturæ divinæ repugnat, cum in malis non dari summum aliquem gradum, axioma sit) quod adeo ancipitis igitur sint naturæ, propitiandos esse; quis enim quod sibi noxium, non eodem studio avertat, quo bonum sibi commodumque paraverit? Extra dubium denique esse, Deos sive Dæmonas illos humano generi plus officere posse, quam homines animalibus cicuribus, vel feræ hominibus queant. Haut enim intellectu tantum, sed viribus, agilitate, aliisque eximiis dotibus pollent. Quid si & proprio arbitrio in malam partem haut secus ac homines plerumque utantur? nonne enim hoc pacto, ubi occasio daretur in humanum genus, immo & in omnia ex Elementis composita sævire, haut aliter quam nosmet ipsi in belluas, possent, præsertim ubi in flagitiosos homines jus esset? Pari enim ratione ita homines castigaverint, ac homines infesta animantia, sed eo magis quod homines omni bruto sint nocentiores; quum pecus omne etiam optime de illis meritum male perdant tandem, vel interimant. Insulsum verò est putare, criminosum reumquè hominem mediis sceleribus suis ita tutum esse, ut non eos scelerum ultores passim metuat. Clam Sacerdotalem ordinem interea non esse, Deorum sive Dæmonum supradictorum aliquos suâ naturâ simpliciter bonos, alios etiam malos prorsus, à quibusdam statui; cæterum haut ita firmam esse sententiam illam, ac eorum qui Deos subcælestes arbitrio proprio uti; ac in utramque partem accedere posse docent. Omnino enim

enim si mali essent Dii aliqui, frustrà eos placaret quispiam; quod tamen fieri posse ipsa docere videtur experientia. Ex hac interea Deorum serie liquere Deum summum Diis aliis supercælestibus stipatum, omnia fœliciter transigere, & superare æva. Deos alios Cælestes rebus humanis præfici, iisque leges mundi æternaque fœdera tradere, hos solos etiam in adspectum produci, & ostendi utique, qui cuncta in hoc sublunari mundo gubernent, nisi ubi arbitrio humano suppetit locus, tum in iis, præsertim quæ ad rectæ rationis normam suscepta sunt. Deos denique Subcælestes alios hisce substitui, nunc beneficos benignosque, nunc maleficos & noxios, ut justitiæ gratiæque divinæ authoritas hac ratione constet. Quæ omnia clarius patebunt, si aliam regni cælestis formam, quam quæ heic præponitur, tecum repútes, & vel Aristocratiam, vel Oligarchiam, vel Democratiam in regno Cælesti dari supponas. Quis enim ullam ita Reip. formam, unde omnia in Cælis & Terra administrentur, finxerit, vel quæ provincia unicuique obtingat, demonstraverit; vel cur hi illis meliores præstantioresque censeantur, ostenderit? Vnum aliquem summum quidem, sed nunquam plures summos imaginari possumus Deos. Quid, quod haut aliter incohærentes disparatæque Naturæ partes in fœdus cogi possint, quum fieri nequeat, si plures potestate æquales statuantur Dii, quin summa in rebus dissidia orirentur, dum unusquisque Deus suis studeret partibus? Neque unde contrariæ pugnantesque mundi partes inter se conciliarentur, ratio vel norma extaret. Summum igitur aliquem Deum denuo statuimus, eumque, ab æterno beatum, sed qui alias naturas beatas in sui consortium adoptaverit, participesque fœlicitatis illius fecerit: qui & idem Deus alios etiam dum in societatem illam supercælestem adsciscere, communionemque bonorum omnium donare potest.: quibus concessis etiam incongruum esset, & ab omni ratione alienum, Deum, vel sedentarium, vel Solivagum, vel orbi Cælesti affixum, eumque ita assidue circumvolventem, ut eo solo sibi complaceret, comminisci, vel Mundi hujus Authorem fuisse, nisi leges aliquas, quibus utique regeretur, ab initio dedisset. Quis enim sine legibus civitatem condiderit, vel citra eas populum gubernari posse crediderit; quis etiam pro temporum ratione leges indies mutandas esse à Deo illo existimaverit, qui rerum omnium eventus exitusque ab initio prævidit? Ineptum est putare Deum ad nova & repentina consilia confugere, vel ab æterno rerum omnium ejusmodi arbitrum fuisse, ut in subitaneas quavis ex causa sententias discedere non posset: quapropter ubi ex chao quodam Mundum hunc efformaverat, leges utique quasdam quibus gubernaretur, constituit Deus, tum ob id præsertim, ne beatitudine propriâ exutâ, etiam ob res non magni momenti

ſeſe interpellari quotidie ſineret, totumque ævum in minutiis illis inſumeret; unde evenire non poſſet, quin majores moleſtiæ ipſi crearentur, ſi diverſas oppoſitaſque mortalium ſupplicationes conciliare ſtuderet, tum eorum potiſſimum, qui ut boni probique eſſent, aliquid à divinâ ejus Majeſtate peterent, quod alteri alicui æque pio proboque noceret. Satius igitur fuerit exiſtimare, omnia quæ impetrare fas eſt, ab æterno ita decreta fuiſſe, modo media debita, putà preces bonæ, ſupplicationeſque, fides, virtuſque omnis juxtim adhibeantur; adeoque ſi res ex voto non ceſſerint, ita decretum fuiſſe ab æterno cenſendum: pari etiam ratione ſiquis voti compos factus fuerit. Quid enim aliud (ſi optio daretur) à Deo ſummo flagitaverit quiſpiam, quam ut hac vitâ probe transactâ, meliorem alicubi indipiſcatur? vel quid intereſt demum an ex Dei decreto æterno id habeat, an de die in diem exoret? haut minus ſc. Deum ſummum colet & advenerabitur, ſi ab æterno media finibus connexuerit, quam ſi aliquando connectere inceperit. Brevi, niſi is aut non abſimilis certè ordo in rebus humanis ſtatuatur, haut videre quiſpiam poteſt, quomodo Deus ſummus ab ingentibus curis moleſtiiſque liberetur. Recte dictum eſt olim, quod æternum beatumque eſt, nec negotii quicquam habere, nec alteri exhibere. Ad cultum illum ſive venerationem, quæ Diis illis ſingillatim exhiberi debet, accedimus. Et quidem Deum ſummum haut aliter quam mente purâ, non à vitio tantùm prorſus alienâ, ſed virtute omni condecoratâ, tum fide, ſpe, amore, ſupplicationibus, gratiarumque actionibus colendum eſſe, jam antea demonſtravimus. Quod ad Cæleſtes Deos attinet, eos in ſummi Dei honorem, neque aliter, advenerandos eſſe cènſemus. Ne ſterilis tamen eorum videatur cultus, nullàque ceremoniâ conſpicuus, ritus quoſdam adhibendos eſſe exiſtimamus, cujuſmodi fuerint incurvatio corporis, oſculum digiti, vel manus, flexio in gyrum, ſive ab Oriente in Occidentem, ſive è contra, ut univerſitatis ita ratio habeatur, aliaque hujuſmodi; unde proximum poſt Deum ſummum illis ita cultum adjudicari aperte fateamur. Atque ita ſuffimenta quædam gratum odorem ſpirantia; vel animalia quædam illis propria, vel ſymbolica, putà equum Soli, bovem Lunæ offerri poſſe. Quomodo Dii ſubcæleſtes propitiandi ſint, haut ita compertum eſſe, quum ambiguæ incertæque naturæ ſint, ut etiam ob ignotas nobis cauſas, modo in hanc, modo in illam partem propendeant, Rectiorem interea in hunc finem haut exiſtere normam, quam ut quid illis gratum volupeque offeratur. Quid hoc fuerit, haut melius quam ex naturâ eorum corporeâ conjici; quæ quum ex aëre vel æthere conflata videatur, ex Elementis craſſioribus in ſubtiliorem aliquam ſubſtantiam redactis, obſonium aliquod illis parandum eſſe (pabulo quippe

illos

illos indigere, ut Elementaris eorum natura hâc ratione ex Elementis cognatis reficiatur) cumque pinguium carnium nidore delectentur, animalia, quæ eorum gustui vel odoratui jucunda sapidaque, sacrificanda esse: Spiritus enim quosdam tenues in hepatis, cordis, & cerebri officinis elaboratos, in altum tendere, illisque ea ratione exhiberi adorandos. Neque dubium esse quin omne simile suo simili gaudeat. Quænam illa sacrificia, quæ unicuique Deo vel Dæmoni convenirent, plurimaque alia quæ à Diis ipsis edocti essent, se paratos esse ostendere, modo suis partibus non deessent homines, stipendiaque satis ampla in hunc finem erogarent. *Porphyrius, & Platonici quidam.*

Atque heic etiam veritates quasdam egregias, sed verisimilibus compluribus, nonnullis etiam improbabilibus & falsis commixtas (de quibus alibi judicium meum interponam) in vulgus spargebant Sacerdotes, ut populo ita (cui quidvis potius credere quam contravertere proclivius esset) non multo negotio in plurimis imponerent, Inter doctiores tamen, uti quidam ex Magia quadam occulta, quæ de Diis subcælestibus ferebantur, sancire conati sunt; ita neque defuere qui nonnulla ab iis adducta, in dubium verterent. Negare enim ea quæ proferebantur à Sacerdotibus (uti qui Diis proximi, assiduique ad eorum oracula, assessores haberentur) vix ausi sunt: immo probè etiam noverant, haut aliud heic postulari, quam ut veluti negationem falsis, ita dubitationem verisimilibus, & iis quæ conjectura tantum nituntur, apponerent. Cæterum hisce haut factum satis esse populus existimans, à Sacerdotibus suis denuo requirebat, quid tandem de Elementis & omnibus etiam ex Elementari natura compositis, tum apprimè de hominibus præclaris censendum esset, num illis quoque exhibendus aliquis cultus? cui postulato inter Sacerdotes antiquiores ita respondit forsan nonnullus:

Elementis etiam quendam particularem deberi cultum affirmamus; licet enim depressiores obscurioresque mundi hujus sint partes, citra illas tamen haut consummata integraque esset hæc universitas; vel imago illa Dei Summi, quæ in totis operibus suis relucet perfecta numerisque suis absoluta. Qui igitur mundum superiorem (inferiori posthabito) se colere dixerit; perinde fecerit, ac qui caput collumque alicujus se venerari, cæterum reliqua membra, speciosa licet, symmetriaque optima constituta, contemnere perhiberet. Audiendus igitur heic est Orpheus noster; qui Deum summum (cognomento suo *Iovem* appellatum) ita delineavit, ut ejus *Caput* atque *coma* ipsum esset Cælum fulgentibus stellis conspersum; ex quo aurata duo cornua extent, quorum unum sit Oriens, alterum Occidens; *Oculi* Sol, & Luna; *Pectus* ejus Aër; *Alæ* Venti; *Uterus* Tellus Oceano circundata, reliqua

qua membra circa Terræ meditullium centrumque posita essent. Quæ quidem haut ita intelligenda voluit Orpheus, quasi hæc ipsa vera Dei Summi membra essent; sed quod imago ejus hanc præ se ferret formam externam, optimeque ita nobis consignaretur. Sed propius rem perstringentes, Elementa etiam in se ipsis cultu aliquo inferiori saltem afficienda esse, dicimus. Ex Elementari enim Natura constant animantia cuncta, neque ultra illam profertur, quicquid in eorum fabrica cernitur, vel in aliud quodvis redit & resolvitur; quapropter tanquam rerum principium materiale saltem, finisque heic ultimus non oscitanter prætereunda est Natura Elementaris. Neque obstat quod anima (uti quæ cœlestis sit originis) primas sibi vendicet partes; si enim, quod illi charissimum conjunctissimumque, corpus humanum, tanquam insigni specie præditum, reverentiam aliquam in nobis excitet; nonne multo pluris facienda sunt Elementa illa, quæ materiem rerum omnium, molemque, vel (ut aliquibus placet) ipsam vegetativam, sensitivamque animam heic subministrant. Quod si verum est, ac vegetatio illa & Motus, qui aliqua vegetationis species esse videtur, & ipse sensus sensatioque omnis ab Elementorum temperie pendeat, cur diversam eorum quæ nobis cum animantibus reliquis communia sunt, indagabimus causam, vel non Elementis illis, unde tot egregia beneficia accepimus, reverentiam exhibebimus; & quidem inter alia, ne nobis noceant? Ac propterea Aër ille quem motu reciproco assiduè ducimus & reflamus, quique vitam nobis perpetuo sufficit renovatque, colendus est; si enim pestilens sit, vel etiam nimis tenuis, vel crassus; vel ita deficiat, ut à pulmonibus attrahi nequeat, subito expirat homo. Aqua etiam non minus colenda est quam Aër, quæ nobis humidum illud subministrat, sine quo etiam in aridum incohærentemque pulverem cito recideret corpus humanum; nam si nimis, ad Stygiæ aquæ instar, frigida, vel calida ut in thermis quibusdam, vel per venas aliquas metallicas transiens, venenata prorsus sit, mors ipsa plerumque consequitur. Tellus etiam colenda est, quum eam firmitatem soliditatemque humanæ fabricæ det, ut citra eam compages solveretur tota, quæque etiam hominem quasi humeris suis gestans, illum ab præcipitio ingenti, quod inter pedes ejus & Terræ centrum hiat, ex interpositione sua servat, quæ porro victum vestitumque omnibus commodans, tanquam Mater communis nutrixque habenda est: nam si exlege aliquo motu diffindatur, & halitus aliquos pestiferos emittat, vel aquas ex ejus imo extrudat, quæ urbes totas provinciasque absorbeant, vel satas sinu suo fruges & olera non satis redhibeat, Pestes, Cataclysmi, fames, omniaque mala consequentur. Ignis etiam qui ex Terræ venis sulphu-

reis

reis accensus, vel nubium aut etiam lapidum conflictu elisus, vel affrictu lignorum excitatus, vel oleosa quadam substantia propagatus, tanquam inopinatum improvisumque aliquod numen prosilit emicatque: qui etiam omni generatione naturali præ reliquis Elementis ex calore suo ita efficax potensque est, ut forma & anima quædam reliquorum esse videatur. Si modo nimius sit, omnia exurit, ac in cineres vertit, exitium ipsi etiam mundo minitans; quapropter ignem etiam præ sublunaribus cunctis colendum esse judicamus. Cæterum objiciet forsan aliquis, Elementa non spontè, sed necessariò agere? at quid, si utroque modo? ut detur enim Ignem ex fato quodam, sive naturâ sibi ingenitâ, sursum ferri, dum tamen ad pabulum suum sese obliquat & vertit, nonne eodem arbitrio ut animalia heic depascentia utitur? Nonne Aër ubi vult spirat? Nonne Aqua fontium quorundam, præsertim Oceani, reciproco æstu tumet & detumet; &, ne detur vacuum, etiam assurgit? Nonne Tellus, si propria vi interna circumvolvitur, (quod quidam perhibent) pluribus motibus cietur; aut si secus fecerit, quomodo Phænomena serventur, videant Astronomi, vel Mathematicorum filii. Necessarius licet igitur ut unicus sit motus, cur non reliqui motus voluntarii perhibeantur. Ita cordis motus in nobis ut sit necessarius, quum compesci dum vivimus heic nequeat; non ita oculorum motus, qui liberis animæ affectibus obtemperantes, huc illuc flectuntur; ut de intimis animæ actionibus taceam. Quemadmodum igitur uterque motus in animantibus, quidni etiam in Elementis dari possit; quum qui ex aliqua parte necessarius videatur motus, haut in reliquis tollit voluntarium. Sed concedatur, Elementa tantum necessario motu ferri, nonne tanquam Dei summi ministri, partesque mundi integrantes, corporeæque totius naturæ authores, proximi saltem, venerandi sunt? Tota mundana mole ita ad cultum proposita, ut neque fores egrederetur aliquis, qui irreverenter & temere aliquam eximiam mundi partem conspiceret: de iis quæ ex elementis composita sunt, & potissimum de *Homine* disquiramus; num aliqua Animalia scil. tum præsertim *Homines Egregii*, cultu aliquo particulari affici debeant. Nam sicuti rerum, ita quoque cultuum varii dantur gradus, prout unicuique convenit; adeo ut nihil fere intra mundi ambitum extet, quod non vel colendum sit, vel inter ea adnumerari oporteat, quæ ad cultum Diis exhibendum sunt idonea; cujusmodi sunt far, vinum, lac, herbæ quædam, &animantia, quæ Diis grata sunt. Ab *Homine*, tanquam inter æterna & caduca medio, incipiemus; atque hunc quidem post Elementa eapropter tantum collocamus, quod Mundus sine Elementis haut consistere queat, sine homine forsan possit. Imo mihi non satis liquet, cur fœcundior, amœniorque Terra non

esset, si immania hominum scelera vindictam divinam in sublunaria cuncta non accerserent. Verum enim vero sicut homo sceleratus inter omnia animantia pessimus; ita certè bonus piusque vir longe optimus videtur. Quod Dii enim Supercælestes boni sint, ex eorum propria natura; quod homines, ex arbitrio proprio evenit: & quum in malum propendeant, semet ipsos ad immortalium naturam ex pietate & virtute erigunt, æternaque præmia consequuntur: quapropter si bonus probusque prorsus esset Homo, (quod neutiquam tamen fit) inter naturas beatas post Deum summum plane fœlicissimus esset, quum quod aliis fato vel sorte obtigit, illius virtuti meritisque accesserit. Quemadmodum igitur *pessimos* homines *inferis* addicimus, ita *Optimos beatitate æterna* remunerandos, indeque colendos esse, judicamus. Cælo quippe potiti, tandem à Deo summo arbitri judicesque actionum humanarum constituuntur, dum partim ex legibus ab initio mundi editis, vel in ipso corde descriptis; partim ex arbitrio humano, bene vel male impenso, quin & ex cogitationibus hominum ipsis, sententiam ferunt: haut enim verisimile est homines cælo donatos, vel aliquam animæ facultatem, quam heic habuerint, post hanc vitam exuere, vel illa orbari, vel adeo otiosos in seipsis, aut inscios rerum nostrarum, aut inutiles hujus mundi partes esse, ut non humana cuncta procurent. Hominem sc. hominis judicem constituere, æquum fuit, utpote qui ex alto actiones nostras speculans, eas ad communis rationis conscientiæque normam exigeret. Si enim Diis cælestibus provinciam hanc demandasset Deus summus, haut aliter sane quam ex æternis Cæli legibus, ipsoque Fati rigore omnia æstimasset: quid arbitrium humanum in actione quavis suggessisset, vel parum attenti, aut non admodum certè solliciti. Sin Deus ipse de actionibus humanis cognosceret, haut video quomodo à perturbationibus immunis beatam semper tansigeret vitam. Hominibus igitur in Cælum relatis munus hoc ab initio traditum fuisse censemus; dum ex illis legibus, quæ in sempiternis Cæli Astrorumque tabulis exarantur, tum ex consensu uniuscujusque proprio, quid æqui bonique, quid mali pravique etiam in actionibus humanis esset, perpendunt judicantque; præmium, vel pœnam, juxta hominum promeritum post hanc vitam remetientes: neque fieri potest, quin ut in justam eorum sententiam Deus summus ipse descendat. Siqua interea judicio proprio servat Deus summus (neque enim legibus suis ita obstringitur, ut non illis pro arbitrio suo semet exsolvat) Homines in Cælum relatos mediatores erga Deum summum existere, & pro mortalibus intercedere, arbitramur; adeoque non tanquam judices, sed tanquam Patronos propitiandos esse. Quinam illi fuerint, haut rectius quam ex proba piaque eorum vita, vel Heroicis gestis, vel invento aliquo

aliquo insigni, unde humanum genus beneficio affectum est, colligetis: hosce enim in judicum vel mediatorum nostrorum album referri non est quod dubitetis; præsertim si mortales tanquam in communi mundi civitate constituti, ejusque pars aliqua, suffragia in Cælum ferre possint; quod mihi non ita à ratione absonum videtur; quum in omni Rep. bene constituta non penes Patres tantum, sed etiam plebem ipsam aliquid sit authoritatis; quorum leges propterea Plebiscita vocantur; ut ita plebis vicem in hac mundi civitate suppleat humanum genus, dum Heroas suos in sydera tollat. Cæterum veluti populus solus, non autem Patricii plebiscitis tenentur; ita forsan accidere potest, ut si quæ plebes sc. humanum genus, circa ea quæ ad regnum cæleste pertinent, iniquè rogaverint, ut Dii superi illa renuant, uti qui æquiores rerum æstimatores sint: quapropter haut ita certæ sunt plebis, id est, mortalium rogationes, ut homines ideo in Deos referri existimemus, nisi eximia eos in Cælum evexerit virtus: ut finem tandem faciam, haut minus utilia & proficua, quam vera & indubia dogmata hæc statuimus. Quid præclari enim non attentarit vel fecerit homo, ut inter Cælites (ubi bona omnia affluunt) vitam comparet, adeo ut ad virtutem omnem amplectendam, vitiaque declinanda, acerrimi hac ratione addantur stimuli. Hisce Diis in cælum assertis supplicationes fieri, adeoque & sacrificia immolari debent; sed ut Heroïcum tantum cultum eorum aliquibus exhibeatis: quum enim penes Deos illos (summo ita volente Deo) jus in res humanas sit, in cælesti illo regno qui dentur ordines; (neque enim æquali authoritate sunt præditi) quis supremus porro inter illos habeatur Deus, qui judices in inferis demum constituantur, demonstrabimus. Cum Diis illis quidem post Deum summum res nostra omnis est, neque alibi negotia nostra vel suscipiuntur, vel administrantur; quo tamen in munere perficiendo, quum legibus æternis sint obstricti, ab iis nullâ vi recedere deos illos (uti antea diximus) existimandum est. Ad eorum genua igitur provoluti, vota hisce nuncupemus; non enim bonas pravasque actiones nostras, sed ipsas etiam cogitationes intimas rimantur & expendunt; nisi enim de ipsis cogitationibus cognoscerent, neque ullum arcanorum conscientiæ instituueretur scrutinium, vel circa actiones humanas judicandas recta satis extaret norma. De externis actionibus saltem judicant mortales; de internis Dii illi: quapropter cultus varios diversosque illis exhibendos esse censemus: quorum omnium gradus distinctos, ritusque particulares ex ipsis Naturæ penetralibus, neque inconsulto Numine ostendemus, mo-

dò dicto audientes sitis, nosque uti par est, hoc in opere juvetis.

Quum ex dictu speciosis curatisque hisce sermonibus, quorum magna, incomperta, inexplorataque fuit pars, Theologiam quandam non invenustam condidissent Sacerdotes; atque ex principiis suis ita sanxissent, ut nulla alia verisimilior, neque forsan sanior prostaret inter illos publice tum temporis Religio; populus neque hiscere, nedum contravenire iis audebat, quæ ex Deorum adytis deprompta ferebantur: adeò ut omnia paulatim in rem suam verterint, dum oracula divina, colloquiaque cum Iove; (ita enim summum in cælesti eorum regno Deum vocabant Gentiles) fingere, responsaque inde dare, ut populus ita officio suo contineretur, unice studerent (horrendas inde canentes ambages) Sacerdotes. Porro in id etiam contendebant, ut licet haut certa satis essent sacra eorum dogmata, vel oracula eorum ex eventu comprobata, adeo tamen in omnes partes versabant, ut de eorum fide dubitare, vel ad alias discedere oraculorum interpretationes, quam quas ipsi adduxissent, nefas omnino esset. Sed neque heic stetere Sacerdotes. Sincerioribus enim propriæ doctrinæ partibus abdicatis, ad tremenda quædam sacra populi animos pelliciebant; adeo ut victimas humanas Diis offerrent, donec mos ille inter Romanos aliasque gentes sublatus tandem, & abolitus esset: haud obstitit tamen illud, quin ut ad alia sacrificia, sed quæ ipsi abligurirent: supplicationes, sed quas ipsi soli facerent; sacra, sed quæ ipsi soli peragerent; oracula, sed quæ ipsi soli excogitarent: auguria, sed quæ ipsi soli explicarent; ritus & ceremonias, sed quas ipsi soli procurarent; Festa, ludosque, sed quæ ipsi soli instituerent; somniaque in templis, sed quæ ipsi soli interpretarentur: tota fere Dei summi casta Religio traducta esset. Adeo ut certissimi Religionis divinæ articuli, cujusmodi sunt Fides in summum Deum, Spes in eo firma, Amor qui hominem cum Deo nectit, virtusque illa quæ optima cultus divini norma, à Sacerdotali ordine, vel penitus intermitterentur, vel postremo saltem loco haberentur. Quapropter quæ de præstantissimis hisce animæ facultatibus illique intimè conjunctis statuta fuerint olim inter Gentiles, tum quid de virtute, vel, ubi illà excidisset homo, de Animæ purgatione senserint, enarrare conabor. Quamvis enim quidvis aliud egerint Sacerdotes, quam ut sinceram hanc castamque Religionem (licet illis satis cognitam) populo publice exhiberent: pro scopo tamen nostro erit commonstrasse dogmata hæc non abscondita à Gentilibus olim fuisse, adeo ut sive religiones, sive ipsas leges Veterum spectes, tum ad instruendum virtutibus, tum à vitiis continendum populum, uber-

rimè inter eos prostarent media. Aliter quidem rem depingunt Patres Ecclesiæ, hostes Gentilium acerrimi; probatioribus enim Religionis Ethnicæ partibus silentio suppressis, ansam ex superstitionibus ritibusque eorum captarunt nonnunquam sævè in Gentiles invehendi, nonnunquam etiam illos deridendos propinandi, dum insana eorum sacra ingeniose pro more suo perstringunt: quæ enim gallantes furentesque, tanquam œstro perciti, vel spiritu aliquo divino correpti, fecere Sacerdotes, ea omnia complurimaque alia velut à lymphatis, & exsternatis gesta meritò subsannant Patres. Quæ circa Mentem, Virtutem, Pietatem, Fidem, Spem, Concordiam inter Gentiles recepta fuere, sicco (ut ajunt) pede prætererierunt: non quidem quod clam illos esset hasce Deas vel Divas (ita enim vocabantur) summo honore & æstimatione apud Gentiles affectas fuisse; sed quia Oratores (pro illorum sæculis) vehementissimi ea tantum adducerent, quæ notam adversariis inurerent, viamque simul ad Christianorum religionem introducendam sternerent. Quapropter æquum esse judicavi, ut non quæ mala tantum, sed quæ bona etiam eorum religionibus inessent, candidè proponere, ut ita, usque quo cum nostris convenerint, exploratum habeatur. Atque heic saniores aliquot vetustissimæ, & maxime universales Religionis partes ex ingenti errorum superstitionumque farragine decerpens, perinde facere videbor ac qui segete jam maturâ, pro unâ vel alterâ tritici spicâ, lolii, tribulorum, carduorum, & lapparum (quas herbas frugum morbos vocat Plinius) manipulos plurimos colligeret: adeo pauca sc. sincera sunt, quæ in Religionibus Gentilium deprehendat quispiam. Neque igitur cuncta quæ ad hoc argumentum attinent, heic adfero; si tota quippe religiosi cultus veterum in tot Deos Deasque divisa proponeretur strues, vix grande illam caperet volumen. Per me igitur doctioribus, quibus otium suppetit, opus hoc absolvere licebit; præcipuè quidem cum nullus (quod sciam) adhuc author de integrâ Veterum Religione planè & perfectè scripserit. Quamvis enim hunc titulum præ se ferat lib. Guil. Choul, Nobilis Galli, rem ipsam tamen vix attingit. Plurimi quidem Heroum Gentilium Genealogiam & Historiam, sive datâ operâ, sive obiter illustrarunt; sed nemo, opinor, rudem informemque Ethnicæ Religionis molem in ordinem redegit, aut in unum aliquod corpus digessit. Ipse quidem plurima huc facientia congessi olim, sed sexagenario jam ac multis curis negotiisque implicito ignoscendum, si provinciam hanc aliis administrandam reliquero; Affatim quidem ad institutum nostrum facit, si nugivendorum Sacerdotum præcipuum scopum in cudendis eorum doctrinis ostendam, nempe ut ex cæremoniis ritibusque suis

 non

non populo illuderent tantum, ſed à caſto Numinis cultu deflecterent, ne fortaſſe illorum miniſterio haut ita opus eſſet, ubi ad Dei ſummi ex omni virtute cultum maxime neceſſariæ Religionis partes revocarentur. Adeo ut non tam ſeriam virtutis praxim vel dolorem ac pœnitentiam pro peccatis admiſſis populo perſuadere conati ſint, quam ut oraculis, ſomniis, revelationibuſque eorum ſive de die in diem, ſive de nocte in noctem factis fidem adhiberet. Quin & interpretationes oraculorum, ſomniorum, revelationumque illarum inconditas adhuc magis inconſutaſque adducebant, ut ſcitis eorum commentariis ſcilicet populus ſtaret: immo, quo magis hominum animos à rectâ ratione abducebant, eo profundiores Theologos, myſteriorumque divinorum conſcios habitos fuiſſe, communis teſtabatur experientia: quod an magis à Sacerdotalis ordinis nequitiis, an à ſtupidâ populi credulitate provenerit, haut derepente dixerim: ut haut mirum interea mihi videatur, tot ſuperſtitiones, Sacerdotaleſque ineptias publice olim proſtitiſſe, & in Religionem veniſſe, ubi ad Deum aliquem authorem referrentur. Veluti enim qui ruſtico vile aliquod metallum, aut ipſum fortaſſe corium Imperatoris imagine ſignatum oſtenderit, illudque, ut monetam in permutationem factam, pro iis quæ præſtinaverat numerari accipique poſtularet, haut ille quidem reijcere auderet ex Imperatoris edicto cuſos ex ære, plumbo, vel corio nummos. Ita quidem qui ex Iovis vel Dei cujuſvis imperio juſſiſque ſacra vel oracula proficiſci fingebant Sacerdotes, neque tanquam adulteratas ſuſpicari, nedum recuſare plebi miſeræ vel animus forte, aut voluntas fuit: à ſobriis catiſque hominibus tamen non niſi inventa humana habebantur hujuſce farinæ omnia; quin & illis ſubolebat Sacerdotalis fraus, ita ut nonnunquam peterent num & ipſis liceret templorum adyta receſſuſque ingredi, ut Deum ita loquentem audirent; Sacerdotem quippe non niſi ſingularem teſtem heic eſſe: opus habere igitur aliquo alio ſaltem qui in teſtimonium accederet, id ſi concederetur, ſe Sacerdoti palam ſuffragaturos ſpondebant. Cæterum hæc in ſpeciem tantum dicta fuere, atque potius ut riderent Sacerdotem, quam ut crederent Deum articulatâ voce, vel leni quovis ſuſurro illis aliquid præcepiſſe, vel inſpiraſſe. Haut obſtitit tamen illud, quin ut in religioſum tum temporis cultum deſcenderent perſpicaciores viri, ne fortaſſe permoti eorum exemplo profani homines, ſemetipſos totos ab omni prorſus Dei cultu retraherent; ac dum complexas cum veriſimilibus falſis veritates diſtinguere neſcirent, omnem prorſus exuerent, abdicarentque Religionem. Satis demum habebant ſapientes olim piique homines, aliquid ſucci boni etiam aridioribus Religionis

nis partibus inesse: succum enim hunc avide excipientes, Deum summum indè colebant, reliqua Sacerdotalia dogmata vel tacite respuentes, vel tanquam dubia in medio relinquentes: aut si amplius aliquid ab illis postularetur, ita ut fidem integram dari præceptis suis exigerent Sacerdotes, id omne ex authoritate sacri illorum cœtus sanciebant: quo nomine Pontifici Max. Sacerdotalique Collegio se obsequium præstitisse affatim existimabant. Sed ut clariora fiant quæ de cultu Religioso statuebant veteres, Clarissimi Vossii sententiam secuti, cultum omnem in proprium, symbolicum, vel mixtum distinguimus. Cultus proprius est ut Dei summi, Solis, vel Lunæ, vel Cœli, vel Mundi totius in seipsis: symbolicus cultus ut Dei summi in Sole, Cœlo, vel Mundo, aut principio generationis activo, ut in Sole, vel Cœlo: aut in passivo, ut in Luna & Elementis. Mixtus, iisque subordinatus, est, quando Deus summus colitur in Sole; Sol in Igne, vel Hercule; Ignis in flammâ, vel candenti prunâ; Hercules in effigie suâ, vel statuâ. Atque cultum proprium nullum fuisse olim præterquam summi Dei videtur. Quis enim Solem ipsum, quæ hujus mundi particula tantum est, & quidem ea quæ ex suâ naturâ mundum ipsum exureret, & in cineres verteret, Deum summum esse existimaverit? vel cultum illi adeo proprium dicaret, ut non amplius quiddam ad vota sua explenda postulaverit? Immo quis universo huic mundo, qui ex tot contrariis, diffidentibusque partibus componitur; ut neque condi, neque regi, nisi ab *Uno* aliquo posset, eum cultum proprium tribuerit, ut non in altius beatiusque quiddam ultro, animique vi quâdam internâ permotus, tenderet? Equidem haut ullum proprium vel præcipuum cultum existentiis illis datum fuisse, autumo, cum ut ipsi essent, nedum Dii essent, aliquo alio indigerent. Ad superiorem igitur fælicioremque statum, quam quovis fato vel industriâ consequi possent, anhelabant semper miseri: quin etiam ubi in solo æterno beatoque Deo, ejusque consortio fœlicitatem consummatam dari, in animum induxissent, Deo illi ex omni virtute & pietate assimilari cupiebant, ut sempiternis ita fruerentur bonis. Humanum igitur genus ex nobis, immo ex communi sententiâ æstimantes, arbitramur symbolicos vel mixtos plurimos olim fuisse cultus; nullum tamen proprium, eumque apprimum, præterquam summi Dei cultum inter Gentiles extitisse. Vt detur porro, ritus incongruos ad cultum Dei stabiliendum à Sacerdotibus excogitatos fuisse, in eum tamen scopum dirigebantur, ut hominum animos expergefacerent, & quodammodo ad divina erigerent, populusque juxtim cultui Religioso assuefactus esset: ut detur demum horrenda immaniaque fuisse quædam Gentilium sacrificia, adeo ut ea ple-

plerumque detestarentur spectatores; ad terrorem tamen criminosis ex justitiâ divinâ incutiendum, utilia erant, quum Deum iratum haut aliter quam cruentâ, immo & humanâ nonnunquam victimâ placari posse, ex Sacerdotum suorum doctrinâ existimaverint. De qua vetere quidem opinione, quum longe diutius hominum animis insederit, quam ritus illi quos magnâ ex parte antiquatos, aut sublatos esse constat, suo loco uberius, cum bono Deo, (si modo vita viresque suppeditentur) tractabimus. Ad magis Orthodoxas Gentilium doctrinas, sed quæ ritibus cæremoniisque contaminabantur, conspurcabanturque, jam accedimus.

## CAP. XV.

### *De sanioribus Ethnicæ Religionis partibus.*

EVndem Deum summum ac nostrum à Gentilibus haut secus atque à nostris cultum fuisse, testantur gravissimi doctissimique hodierno etiam die Theologi. Hoc tantum interesse perhibent, quod Gentiles ex cultu erroneo & Idololatrico Deum illum adoraverint; non minus demum ex falso veri Dei, ac ex vero falsi Dei cultu peccari statuunt iidem Theologi. Quæ omnia haut ita intelligenda voluêre, ut eapropter Mentem, Virtutem, Fidem, Pietatem, reliquasque syncerae Religionis partes à Gentilibus rejectas fuisse putarint: sed quod hisce superstitiones ritusque profanos & barbaricos admiscuerint. Neque dubium illis erat, quin Virtus, Fides, Spes Amorque in seipsis, optimæ Dei colendi normæ fuerint. Quæ igitur castioris Religionis partes inter Gentiles olim haberentur, heic seorsim proponemus, ut ita luci propriæ restituantur. Cicero 2 de Leg. Religionis veterum compendium adducit, explicatione sane dignum, quum illic apertè videre sit Gentilium circa Religionem sententiam. Asseverat enim Cicero, *Olla sive illa propter quæ homini datur adscensus in Cælum, esse Mentem, Virtutem, Pietatem, Fidem.* Quanquam autem cultu dignos censeret homines, quos merita in Cælum evexissent, inter quos nominat Herculem, Liberum, Æsculapium, &c. haut ex eo tamen cultu Cælos adiri existimabat; sed ex Mente purâ, Virtute omni, & Pietate illâ (quam aliquando *fundamentum omnium Virtutum*; aliquando etiam *honestam de Numine opinionem*) & fide tandem sanctâ, sed quam Virtutes ante dictæ parerent. Atque hæc quidem distinctio præsertim animadvertenda est illis, qui rectam opinionem de Gentilium Religione habere cupiunt: neque enim ob extremum Deorum suorum

*Cicero Orat. pro Planco.*

cultum

cultum, at neque ob supplicationes illis factas, vel vota nuncupata: sed ob Virtutem solam Cælos adire existimaverant. Cur hæ Divæ vel Deæ appellarentur, narrat etiam his verbis Cicero lib. 2 de N. D. *Res ea in qua vis inest major aliqua sic appellatur, ut ea ipsa vis nominetur Deus; ut Fides, ut Mens, quas in Capitolio dedicatas videmus proxime M. Æmilio Scauro: ante autem ab Attilio (vel Otacilio) Calatino erat Fides consecrata: vides Virtutis templum, vides Honoris à M. Marcello renovatum, quod multis ante annis erat Bello Ligustico à Q. Maximo dedicatum. Quid Opis? quid Salutis? quid Concordiæ, Libertatis, Victoriæ? quarum omnium rerum quia vis erat tanta, ut sine Deo regi non posset, ipsa res Deorum nomen obtinuit.* Ex lib. 2 de Leg. *Bene vero quod Mens, Pietas, Virtus, Fides consecratur manu, quarum omnium Romæ dedicata publice sunt Templa, ut illi qui haberent (habent autem omnes Boni) Deos ipsos, in animo collocatos putent.* Hasce recensens Plinius lib. 2, c. 7 illis superaddit *Pudicitiam*, *Concordiam*, *Clementiam*. Dion. Hal. lib. 2, hisce adjungit *Justitiam*, *Themin*, & *Nemesin*; quas inter Majores cultas fuisse, tradit paulo post etiam, subnectens: *Numam primum omnium Fidei Publicæ templum sacrasse, assignatis ex ærario sacrificiis, quemadmodum Diis cæteris.* Hisce addi possunt *Pax*, *Quies*, *Spes*, *Fœlicitas*, uti quæ Templa etiam publice haberent. Ex quibus satis liquet, ad Virtutis Pietatisque normam ea omnia (ex veterum doctrinis) exigi debere, quæ ad bene, beateque vivendum tum heic, tum sempiterne sunt necessaria. Atque ad Pietatem consummatam plurima insuper postulari ajebant, sed ea præsertim quæ grati in superos animi indicia essent, putà sacrificia, ritus & cæremonias, & hujusmodi alia; (quorum farrago ingens fuit) cæterum sine prædictis Divis sive Deabus animam regentibus; aditum in Cœlos non dari. Hucusque igitur cum nostris concinebant veteres, quum & ipsi nullum salutare remedium statuamus, quod sine Mente, Virtute, Pietate & Fide proficiat, vel juvet. Vnde etiam constat, non solum in Dei summi cultu, sed in eodem præcipuo saltem cultus genere, Gentiles cum Christianis concordasse: & sane qui Christianorum tempore degentes Polemicos Gentilium, sive Theologos, sive Philosophos adierit, (quorum pauca tamen opera supersunt) deprehendet manifeste, illos haut minus atque nostros Pietatem omnem Virtutemque amplexos fuisse; adeo ut Celsus non vereatur objicere doctissimo Origeni, nihil ad Virtutem sanciendam à Christianis adductum fuisse, quod non idem Ethnici semper statuerent; quin & severiora in hunc finem inter eos tradi præcepta, quam ex eorum Nomothetis aperte colligi possint, contendebant nonnulli. De his singillatim quædam videamus.

## *Mens.*

MEns, quæ haud aliud veteribus quam *recta ratio* fuit, primò recensetur. Mentem quippe sanam ante omnia comparandam esse, arbitrabantur veteres; quum haut aliter vel justum Religionis delectum habere, vel sancte ex præscriptis ejus vivere, vel spurias adulteratasque doctrinas reijcere possint. Vt prima igitur Religionis principia (cujusmodi fuere, 1 esse Deum summum; 2 coli debere; 3 Virtutem esse præcipuam partem cultus divini; 4 resipiscendum esse à peccatis; 5 dari præmium & pœnam tum in hac vitâ, tum post hanc vitam;) ex mente sive ratione rectâ, reliqua ex authoritate Sacerdotum suorum acceperant olim perspicaciores saltem Gentiles; quæ priori modo statuerentur tanquam indubiè vera, quæ posteriori tanquam verisimilia saltem reputantes: quapropter miracula, revelationes, traditiones & somnia Sacerdotum suorum adeo non contemnebant, ut quin ita fieri posse non inficias irent, immo & fidem illis adhiberent. Cæterum nullas necessarias ex Fide solâ quantumvis laxâ condendas esse doctrinas, censebant; cum fucum isto pacto facile fieri posse præsentiscerent. Hisce ex causis igitur Mentem consecrarunt Veteres, tum præsertim (quemadmodum Varro, Lactantius, Augustinus & alii tradunt) ut *bonam mentem* concederet. Livius T. Ottacilium Prætorem Menti ædem vovisse scribit, quam postea idem Duûmvir ad hoc creatus dedicaverat. Idem addit hanc Mentis ædem in Capitolio extructam fuisse.

*Liv. l. 22. Lib. 23.*

## *Virtus.*

VIrtutem proxime subjicimus, utpote quæ bonæ Mentis genuina sit propago: hanc Naturæ perfectionem vocat Cicero: & quidem nulli dubium esse censeo, quin Virtus, Animæ perfectio, non minus recte, quam Anima corporis appelletur. Quot encomiis Virtutem celebraverint authores, qui inter Veteres supersunt, nemo diligens eorum inspector non exploratum habet. Tanta etiam Virtutis olim æstimatio fuit, ut propter eam solam Cœlos adiri posse, putaverint Veteres; neque minus hominem Virtute omni præditum, ad sedes Beatorum, etiamsi nesciret ubi sitæ essent, perventurum, quam viatorem recto incedentem tramite, qui ad Vrbem sive Emporium aliquod nobile ducit; utrumque quippe (viâ ita ferente) ad locum destinatum accessurum. Sed non opus est ut heic prolixior sim, quum haut Apalæstri hoc in argumento sint veteres. Inter innumeros qui huc spectant

ctant locos, paucos tantum adducam: Plato docet conandum esse ut Deo similes efficiamur ex Prudentiâ, Iustitiâ, Sanctitate. M. Ficinus, Platonicus summus, ostendit ex Prudentiâ, Iustitiâ, Fortitudine, & Temperantiâ Beatitudinem comparari; sed ex Amore animas Deo conjungi. Cicero Offic. lib. 2 docet Virtutem fere omnem in tribus rebus verti, 1 in percipiendo quid in quaque re verum sincerumque sit, quid consentaneum cuique, & quæ rei cujusque sit causa; &c. 2 in cohibendo motus animi turbatos; 3 in exercendo Temperantiam & Fortitudinem, quantum æquitas humanitasque patitur: huc enim redit involuta heic Ciceronis oratio. Virtutem hanc porro hominem Deo jungere, tradit Acad. Qu. l. 2. & Seneca Proœm. ad Quæst. Nat. ait Virtutem laxare animam, & præparare ad cognitionem cælestium, dignumque efficere ut in consortium Dei veniat. Sed quis singula hunc in finem scripta non à Philosophis tantum, & Oratoribus, sed ab ipsis etiam Poëtis enumeret? Virtutem Romani religiose coluerunt, eique divinos honores tribuerunt, ut B. August. ex Varr. lib. 4 de C. D. c. 20 docet. Primus *Virtuti* Fanum posuit Scipio Numantius, deinde Marcellus *Virtuti* & *Honori*: Plut. in lib. de Fort. Romanorum, & in vita M. Marcelli, Templum *Honoris* & *Virtutis* à se ex manubiis Siciliensibus extructum, dedicare cupiens, à Pontificibus impeditur, quod ii unâ æde duas Deas non recte includi dicerent. Priori alterum adjicere cœpit, ægre ferens id impedimenti, & quasi in omen trahens. Idem Val. Max. habet, lib. 1, c. 1. Liv. lib. 29. Ædem Virtutis eo anno (qui fuit IↃXLIIX P. Corn. Scip. Afric. P. Lucinio, Crasso Divite Coss.) ad Portam Capenam M. Marcellus dedicavit XVII A. postquam à patre ejus vota in Galliâ ad Clastidium fuerat. *Honoris* & *Virtutis* ædes à Cicerone in Verrem memoratur, quæ ita extructa fuit, ut per *Virtutis* templum ingressus esset ad ædem *Honoris*. Aliam *Honoris* & *Virtutis* ædem consecravit C. Marius devictis Cimbris, quam summissiorem fecit, ne si forte officeret Auspiciis publicis, Augures eam demoliri cogerent. Novit quippe vir acer ordini Augurali & Sacerdotali non ita charum fuisse Virtutis cultum, ut eapropter vel præpetem avium suarum volatum, vel oscinum garritum, vel solistimum tripudium, auguriaque inde facta posthabita esse sinerent.

*Plat. Theætetus. M. Fic. Comment. in Convivium.*

## *Pietas.*

Pietas quæ proximè sequitur, à prioribus optimè deducitur, quum sine Mente & Virtute nulla detur vera Pietas; quippe ubi Mens sive Ratio recta non adhibetur, falsum Numen sive statuere, sive colere pro-

proclive est: ubi Virtus simul non conjungitur, irritus cedit cultus. Pietas in Deum præcipuè, deinde in Patriam & Parentes, ultimò in propinquos & bene meritos homines, ex veterum sententià dividitur. Ideo Cic. lib. 2 de Offic. *Deos placatos facit Pietas & Sanctitas.* Idem etiam in Orat. pro Domo suâ, ait, *Nec est ulla erga Deos Pietas, nisi honesta de Numine eorum ac Mente opinio; quum expeti nihil ab iis quod sit injustum, ac inhonestum arbitrere*, &c. & alibi 1 de N. D. ait: Pietas, Sanctitas, Religio pure & caste Deo tribuendæ sunt. Pietatis in parentes & alios plurima exempla adducit Val. Max. lib. 5, c. 4. & Plin. lib. 7, c. 36. & Dion. Hal. & alii passim. Seneca Ep. 76. de Scip. Africano loquens, ita ait: *Animam quidem ejus in Cœlum, ex quo erat, rediisse persuadeo, non quod magnos exercitus duxit (hos enim Cambyses furiosus, & furore fœliciter usus habuit) sed ob egregiam moderationem Pietatemque.* Sed quorsum plura subnectam, quum infinita ejus exempla extitisse olim, dicat Plinius lib. 7, c. 36. Ædem Pietati consecravit M. Attilius Glabrio in foro Olitorio. A. C. Quintio & M Acilio, ob insigne Pietatis exemplum à puerperâ in matrem carcere inclusam editum, Templum in illius Carceris sede *Pietati* positum fuit.

### *Concordia.*

Concordia, tanquam Mentis, Virtutis, & Pietatis certissimus effectus, jam tractanda venit. Hanc à *Pace* ita distinguunt nonnulli, ut Concordia respectu plurium inter se dissidentium, Pax respectu duorum tantum dicatur. Vtræque ab Antiquis divino honore cultæ fuere, ut ita vita tranquilla, & ab omni perturbatione aliena, impetraretur. Concordia effingebatur dextrâ craterem tenens, sinistrâ Cornucopiæ. Interdum & sceptrum habebat, ex quo fructus exire videbantur. Nonnunquam etiam duabus manibus dexteris inter se junctis visebatur. Hanc Aristides Orat. pro Concordià ad Rhodienses finxit decoram, compactam, sibique per omnia congruentem, Deorumque benignitate in Terram delapsam. Hanc porro Deam ait ab Iove *Horas* confirmare, solam obsignare cuncta, agros cultibus exornare, suarum cujusque rerum fructus, aliarumque possessionem præstare; res urbanas pro voto gerere, nuptias dare, & liberos educare ac enutrire. Hujus diversæ ædes Romæ fuere, quarum primam M. Furius Camillus Dictator V in Capitolio vovit, & extruxit: Plutarcho & Ovidio id testantibus: in hoc templo Cœnaculum erat, ubi Senatores conveniebant, multis simulachris ornatum, quorum passim meminit Plinius: qui tradit etiam P. Sempronio Longo, & L. Sulpitio Coss. *Fla-*

*Plin. lib. 33, cap. 1.*

*Flavius vovit ædem Concordiæ, si Populo reconciliasset Ordines; & quum ad id pecunia Publica non decerneretur, ex mulctatitia fœneratoribus condemnatis ædiculam æneam fecit, in Græcostasi, quæ supra Comitium erat, inciditque in tabulâ æreâ eam ædem* CIV *annis post Capitolinam dedicatam.* Meminit hujus & Livius lib. 9. Delubri Concordiæ etiam mentionem facit Plin. lib. 35, c. 11. De Concordiæ templo quædam in Cicerone habentur. Quintius Martius Censor signum Concordiæ fecit, idemque in publico collocavit, quod C. Cassius Censor in Curiam posuit, aramque ei Deæ dedicavit. Tres aliæ ædes Concordiæ fuere Romæ, quarum ultima à Liviâ Augustâ sive posita, sive reparata fuit. De ædibus Concordiæ quædam etiam habet B. August. lib. 3 de Civ. Dei, cap. 25. Penes quos potestas esset olim dedicandi Templa, ex hisce verbis Livii liquet: *Macer Licinius ædem Concordiæ in Areâ Vulcani summâ cum invidiâ Nobilium dedicavit, coactusque sententiâ Populi Cornelius Barbatus Pontifex verba præire, quum more Majorum negaret, nisi Consulem, aut Imperatorem posse templum dedicare.* *Cic. pro Domo suâ.*

## *Pax & Quies.*

PAcis quoque fanum fuit, & Templum magnificentissimum Foro proximum, à Claudio inchoatum, quod Vespasianus perfecit. In hoc Templo quidam, D. Hieronymum secuti, tradunt vasa & donaria Templi Hierosolymitani à Tito Vespasiano reposita fuisse. In hoc Templo omnium rationalium artium Professores convenire solitos esse ad disputandum, docet Galenus de l. propriis: ut ita concordibus votis de dubiis suis decernerent: quem morem in animorum suorum templis utinam continenter servarent Polemici nostri Theologi. Fuit & ara Pacis Romæ. Pax fingebatur formâ mulieris spicam tenentis, & nonnunquam caduceum, lauro, oleâ, vel roseis sertis coronata. Aristophanes Venerem & Gratias comites ei tribuit. At verò non solum Concordia, & Pax, sed *Quies* etiam ædem habuit Romæ, quæ posita fuit extra Portam Collinam. Quia autem *Orcus* appellatur *Quietalis*, ideo ad *mortuos* spectare cultum *Quietis*, putat Lud. Vives. *Iosephus. Sueton. Clement. Dio.*

## *Pudicitia.*

A Concordiâ & Pace ad *Pudicitiam* transitur, cujus ea ratio adduci potest, nempe quod ex facili nimis Concordiâ periculum est ne Pudicitia lædatur. Hæc ut Dea à Romanis culta fuit, sed ut *Conjugalis* tantum inde *Pudicitia* intelligeretur. Ideo etiam *Conjuga-*

*les Dii* appellabantur, Iuno, Venus, Hymen: sed ut Iuno Genialis thori custos esset; ita Sen. Medeâ: *Dii Conjugales, tuque Genialis thori Lucina Custos.* Dea hæc duobus nominibus, sive *Patricia*, sive *Plebeia* vocabatur. Pudicitiæ Patriciæ ædes fuit in foro Boario, quam non licebat ingredi nisi iis qui semel tantum nupsissent. Plebejæ Pudicitiæ ædicula fuit in vico Longo, à Virginiâ, quæ familiâ Patriciâ orta, post plebejo nupta, à sorore sacris Pudicitiæ Patriciæ arcebatur: quod quum illa indigne ferret, Plebeijs Matronis convocatis, conquesta est injuriam Patriciarum, aram quoque in Sacello modico posuit, ubi concione habitâ hortabatur Plebejas, ut quod certamen Virtutis viros in eâ Civitate teneret, hoc Pudicitiæ inter mulieres esset: tum ut hæc ara, quum illa Patriciarum à sanctioribus & castioribus coli dicatur, & ut nulla nisi spectatæ Pudicitiæ Matrona, & quæ uni viro nupta esset, jus sacrificandi illic haberet. Quam historiam fusius narrat Livius. Val. Max. l. 2 ait: *Quæ uno matrimonio contentæ essent, coronâ Pudicitiæ honorabantur.* Atque hæc de Pudicitia *Conjugali,* quæ ad matronas præcipue spectabat, dicta sunto.

## *Fides.*

Fides etiam divinis honoribus culta fuit, non quidem (puto) sub eâ significatione, quâ ab quibusdam Theologis hodie accipitur. Nihil enim Gentilibus minus persuasum fuit, quam ut ex fide aliqua quantumvis laxâ cælos comparare posset quispiam, nisi Virtutes omnes cum summâ conjunctæ Pietate præirent, viamque sternerent: quum tamen *ex solâ Fide* fælicitatem æternam se adipisci posse, tradant quidam Theologastri: vox *Fides* igitur explicanda est. Henricus Stephanus censet *fidem* interdum id significasse Gentilibus, quod vulgo inter nostros *conscientia* appellatur; sed dubito an rectè; quum ex variis veterum Authorum locis inter se collatis videatur *Fides* ab illis eodem sensu potissimum quo à nobis *Fidelitas*, accepta fuisse: & Fiducia illis idem sonasse quod *Fides* hodierno die significat. Hoc Livii locus firmat, ubi quæ fiducia in Theodori cujusdam Virtute & Fide fuerit narratur. Non me latet Fidem etiam nonnunquam, sed raro quidem, tanquam persuasionem sive opinionem firmam de re aliqua inter illos habitam fuisse: quo sensu (puto) à Cic. *l. 2 de Leg.* usurpatur. Ex Fide enim, uti antea diximus, sed cum Mente, Virtute & Pietate conjunctâ, adscensum dari in Cælum perhibet. Sed quum *Fides* hæc, sive fiducia, circa futurum statum versetur, diversa omnino est ab illâ quæ à narrantis authoritate præcipue pendet. Quid, quod nullum scriptum Dei verbum, vel promissa circa Vitam æternam inter illos extiterint, unde circa præterita daretur ampla fides. Haut igitur ab illis

*Liv. l. 4. de B. Punico.*

(ple-

( plerumque saltem ) Fides tanquam Conscientia vel Virtus Theologica, sed Civilis & humana intelligebatur, unde pacta servarentur, Societates & fœdera inirentur, ac commercia stabilirentur. Quamvis ideo veterum Virtutes eædem ac nostræ fuerint, non ita Fides: sic tamen est ut non ambigam, quin si Virtus omnis Pietasque eorum animis insedisset, Fides sive spes interna circa meliorem vitam ex ingenti Dei misericordia illis affulserit. Fides quanti olim habita esset, docet Cicero pro M. Marcello; ubi ait, *Pietate adversus Deos sublata, fidem tolli.* Atque hæc quidem de Fide illâ, quam tanquam Numen colebant Gentiles, præmittenda duximus. Ædes Fidei in Capitolio fuit. Cicero l. 3 de Off. addit eam Iovi vicinam, & lib. 2 de N. D. à Calatino consecratam fuisse. Festus ex Agathocle author est, ante ipsum Romulum ab Æneâ in Palatio consecratam fuisse. Dion. Hal. & Plut. tradunt Numam Pompilium primum publice Templum sacrasse *Fidei*, eique ex ærario assignasse victimas, quemadmodum Diis cæteris; quibus potius quam Agathocli, aut Festo assentiar, tum ob id præsertim, quod in priorum sententiam accedat Livius. Quod prope Iovis templum fuit *Fidei* ædes, non controvertitur; sed & magis verisimile videtur, quod per *Fidem* jurare, Sacramentum summum inter Romanos esset, authore Dion. Hal. 11. & Iupiter ipse *Fidius* Sanctusque appellaretur. Sil. Italicus *Fidem* ante Iovem generatam fuisse scribit;

*Tacitumque in pectore Numen*

vocat. Albo panno velati Flamines ex Numæ instituto sacra ei faciebant. Cartarius, nescio ex quo authore, tradit, *Dextram* manum *Fidei* consecratam fuisse, quod *Fides dextra* tutanda esset. Atque huc forsan spectat vetus *Fidei* effigies, quæ duabus imagunculis dexteram dexteræ jungentibus cernitur.

*Sil. Ital. l. 2 de Bello Punico.*

## *Spes.*

SPes, quæ à Cicerone *Boni expectatio* vocatur, apud Romanos ut Dea colebatur. Spe immortalitatis ductos Heroäs semet ipsos morti obtulisse, & Cælum consequutos fuisse, tradit idem author: quin & de Spe in Cælum migrandi alibi mentionem facit; adeo ut Spes firma illis fere idem ac inter nostros fides sive fiducia significaret: nec minus etiam ab illis ac nostris Virtus Theologica haberetur. Quomodo metus, vel Spes, homines hac vitâ exeuntes afficiat, insignem locum ex Platone exscribere placuit, quò constet quid de futuro, sive beatiori, sive fælicciori Statu senserint egregii ( sed non ii tantum) Philosophi: *Certò scias, ô Socrates, quod postquam eo devenit aliquis, ut brevi jam moriturum se opinetur,*

*Tusculan. Quæst. l. 1. & l. 4.*

*Plato de Rep. l. 1.*

incidit

*incidit in eum timor & cura quædam eorum quæ in superiori vitâ neglexit. Etenim fabulæ quæ de inferis dicuntur, quemadmodum eos qui injuste egerunt, pœnas dare oporteat, irrisæ hactenus, movent tunc animum, ne forte veræ sint, suspicantem. Atque ipse sive propter Senectutis debilitatem, sive quod alteri vitæ propinquior, illa acutius inspicit, sollicitudinis & timoris plenus redditur, atque reputat examinatque, si quem injuriâ aliquâ affecerit. Qui ergo invenerit multas suas in vita iniquitates, ex ipso somno tanquam pueri frequenter excitus extimescit, & pessimâ in Spe vivit. Qui autem nullius injuriæ sibi conscius est, huic jucunda Spes semper adest, quæ optimè γηροτρόφος, sive Senectutis nutrix à Pindaro vocatur.* Hæc Plato. Spei objectum igitur inter Gentiles fuit vita hac nostrâ beatior, quæ etiam ita homini infixa est, ut neque ex morte ipsâ tolli radicitus videatur, donec animam ad ultimam fœlicitatem perduxerit, modo facultates reliquæ nobis insitæ suo muneri non desint. Sed audiamus Poëtam etiam non ineptè de *Spe* scribentem:

*Ovid. de Ponto.*

*Quamvis est igitur meritis indebita nostris,*
*Magna tamen Spes est in Bonitate Dei.*

Quemadmodum igitur haut alius Deus, haut alia Virtus, ab Gentilibus quam ab nostris olim colebatur, ita certe communis utrisque Spes immortalitatis fuit. Disertim Cicero 2 de Leg. ait: *Animi hominum sunt immortales: sed fortium Bonorum divini*; & alibi in l. de Senect ait: *Non est lugenda mors, quum immortalitas consequitur.* Vt ideo inter complurima Gentilium religiosa dogmata hoc solidum axioma obtinuisse videatur: *Ex Virtute nempe homines in Spem Immortalitatis venire.* Hujus Deæ ædis meminit Cicero 2 de Leg. Livius l. 21 Spei ædem in foro Olitorio positam fuisse scribit. Idem l. 25 ait: *P. Victor Spei novum templum in Septima Vrbis regione statuit.* Fuit & ad Tiberim ædes *Spei* extructa à M. Fulvio Censore. Spei Templi cujusdam meminit & Dio. Non una tantum *Spei* effigies in Veteribus nummis cernitur, de quibus Rosinus.

*Liv. l. 40.*

## *Libertas.*

POst Spem ad *Libertatem* accedimus, & deinde ad Salutem & Fælicitatem, beatificarum harum Dearum ultimas; optimâ enim consequentiâ ita nectuntur. Scite Poëta:

*Quantum Spes ultima rerum*
*Libertatis habet!* -----

Extremam scil. Spem excipit Libertas æterna. Libertatis proprium est (inquit Cicero) vivere ut velis: at quis se vivere fœliciter ut vellet, in omnibus heic dixerit? Libertatem igitur hanc piis animabus hac vitâ excedentibus indulgeri credere par censebant, ne frustra tandem esset facultas

cultas

cultas Animæ nobilissima. Libertas ut Dea inter Romanos olim culta fuit, ut libertatem daret; haut aliud quippe præclarius in Rep. bene constitutâ exoptaverit quispiam; sed quia libertatem hanc neque in æternum exuere vellent Gentiles; ideo Heroas suos cælo donatos liberrimos statuebant, adeo ut non cælestibus tantum bonis, sed corporeis etiam terrestribusque, licentiâ quadam vagâ, pro libitu suo, uti illis fas esset; quod & Poeticæ eorum historiæ (ut de Philosophicis rationibus heic taceam) adumbrare videntur, quum quidlibet patrandi, quod naturæ beatæ non adversaretur plane, vel obsisteret, penes Heroas suos esse decreverint. Libertatis templi meminit Cicero l. 2 de N. D. Libertati posuit templum P. Victor in Aventino, & ibidem *Atrium Libertatis*; cujus, ut apud Authores crebra satis fit mentio, quis tamen ejus usus fuerit, non satis mihi liquet; anne ut auctio ibi fieret, sicut in atriis aliis consuetum? Templum Libertatis cum æreis columnis & statuis pulcherrimis à Tib. Graccho conditum fuisse, narrat Livius; cujus Atrium ab Ælio Pæto & Corn. Cethego instauratum & auctum, à Pollione dein restitutum fuisse, narrat Suetonius. Cicerone in exilium profecto, domum ejus P. Clodius Tribunus Plebis Libertati consecravit. Dio quoque author est, Romanos in gratiam Iulii Cæsaris publico decreto Libertatis templum construxisse. Atque hæc de Libertate, summo hominis probi, sive in hac vitâ, sive post hanc vitam, bono, in præsens sufficient.

*Cicero pro Domo sua.*
*Dio. l.* 44.

## *Salus.*

SAlus Dea colebatur olim, ut salutem daret; adeoque non ad corpoream tantum & particularem, sed ad sublimiorem illam, communemque Reip. statum relata fuit; quam adeo sancte etiam & religiose venerabantur Veteres, ut feriæ essent quoties quis Salutem Deam nominasset, teste Macrobio l. 1 Saturnal. 16. Salutis Templi meminit Cicero l. 2 de N. D. & Plin. ædis ejus l. 35, c. 4. & Livius l. 9, 10, qui ædem Salutis à Iunio Bubulco Censore extructam fuisse A. V. CDLVI. l. 5 tradit: unde porta huic vicina *Salutaris* nomen habuit. Salutis Augurium apud Romanos celebrabatur; cujus veteres sæpe mentionem fecerunt. Cicero 2 de Leg. ait: *Salutem populi Sacerdotes auguranto.* Quomodo id fieret, Dio l. 37 docet: *Annuo (inquit) tum spatio Romani bellis vacarunt, ita ut longo tempore intermissum Salutis Augurium repeterent. Est autem quoddam divinationis genus, quo probatur concedantne ipsis Dii ut populo Salutem postulent, quasi nefas esset eam prius, quam concedatur, petere: ad id dies destinatur singulis annis, ad quem diem nullus exercitus ad bellum sit profectus, nullus hostis in aciem, aut*

*pugnatum sit : Hanc ob causam in continentibus malis maximeque intestinis non celebratur. Alioquin difficillimum fuisset Romanis eum Diem exacte ab his omnibus purum servare : praeterea absurdissimum est, quum ipsi se mutuo in seditionibus ultro malis infandis affligant, ut sive vincantur, sive vincant, in miseriis sint, ita Salutem à Deo velle flagitare.* Hactenus Dio. Ex quibus liquet quantum sibi arrogaverint olim Sacerdotes, quum neque *Salus* ipsa, nisi cum eorum bonâ veniâ publice peti posset. In id scil. incumbebant, ut populus passim jugo collum praeberet, sed inique. Quis enim vel invitis Sacerdotibus Salutem, sive in Pace, sive in Bello non audenter à Deo precaretur ?

## *Faelicitas.*

FOelicitas etiam, ut foelicitatem daret, tanquam Dea olim culta fuit : hanc à Beatitudine sive Beatitate quam minimùm differre putant nonnulli, quia beatus & foelix saepius tanquam Synonyma in Authoribus conjunguntur. Caeterum ita disparantur nonnunquam, ut *Faelicitatem* ab externa aliqua causa plerumque : *Beatitudinem* verò à propriis internisque animae actionibus provenire existimaverint Veteres. Ideo ex Virtute sola beatum fieri posse hominem docebant, praesertim Philosophi, dum ex fortitudine metum terroremque omnem abigi ; ex temperantia
*Cicero Tusc. Quaest. l. 5.* à libidine avocari animum statuunt. Pulchram distinctionem inter *faelicem* sive *fortunatum* & *Beatum* affert ex Solone Herodotus l. 1, ubi Croeso respondens, ait neminem dignum esse qui vocetur *Beatus* antequam τελευτήσει τ̃ βίον εὖ ; hoc est, *vitam suam bene clauserit*; adeoque εὐτυχῆ, sive *fortunatum* hac in vita, nequaquam ὄλβιον sive *Beatum* ante obitum ejus hominem appellari posse. Huic concinit Ovidius :

----- *Dicique Beatus*
*Ante obitum nemo supremaque funera debet.*

Proprie quippe loquendo, nemo Beatus ante mortem : ita ut *Beati* inter Gentiles vocarentur, qui in Elysiis Campis sempiterno aevo fruerentur. B. Aug. l. 4 de Civ. Dei scribit : *Faelicitatem deam inter Romanos aedem accepisse, aram meruisse, Sacra ei congrua persoluta fuisse.* Atque haec de deabus, propter quas datur sive foelix beatusque status in hac vita, sive adscensus in Caelos post hanc vitam ; ex veterum placitis breviter heic dicta sunto: plura enim de hoc argumento statim opportuniore loco subjungam.

De *Opis* Deae Templo, ut opem ferret, & Deae *Victoriae* ut vinceretur hostis, aliisque Dearum aedibus, etiam in gratiam Imperatorum structis, ( cujusmodi fuere, quae *Clementiae* Caesaris, *Justitiae* Augusti, *Faecunditati* Poppeae dedicabantur) quae dici possent, ab aliis petenda relinquo. Nimius enim hactenus in explicandis Diis Gentilium esse videbor, quum

ex

ex iis nonnulli non tantum non Dii, ſed ne viri quidem probi fuerint; unde tota paulatim depravata fuit etiam Religio, præſertim ubi penes unum ſtetit Imperii poteſtas. Gliſcente enim adulatione, non à ſummo tantum Deo, ſed Heroïbus ipſis Cælo donatis in vivos Imperatores tranſibat omnis fere cultus; adeo ut quæ caſtam evertebat Religionem olim, ſuperſtitio ab adulatione ipſa everſa fuerit; quod minus tamen ferendum, quod in ignorantem meticuloſumque cadere poſſit *Superſtitio*, non niſi in perditiſſimum profligatiſſimumque hominem *Adulatio*. Sed de his obiter.

## *Expiationes & Luſtrationes, ubi etiam de Dolore ob peccata, vel pænitentia agitur.*

QVoſdam Gentilium ritus qui in ſenſum ſaniorem trahi poſſunt, jam tractaturus, præmittendum duxi ritus ipſos à me improbari, utique non ita finem cur inſtituerentur; quum in frugem plerumque hoc modo corrigeretur populus; ſed & qui ritus illos damnat hodierno die ſacerdos, apud ſe reputet velim, quos aptiores tum temporis excogitaſſet? Ab Expiationum luſtrationumque ſolennibus aliiſque ritibus, qui in purgationem animæ facere credebantur, initium ſumam. Quum enim virtutes propter quas dari adſcenſum in Cælum credebat Antiquitas, proxime præceſſerint, æquum eſt ea ſubſequi; quæ homines à viâ aberrantes in rectum tramitem reducant, erroribuſque ſimul medeantur, cujuſmodi fuere expiationes, luſtrationeſque veterum, ſine quibus neque crimine neque pœnâ ſolutos ſemetipſos arbitrabantur. Senſum enim vitiorum, ſive peccatorum ſuorum, habuiſſe Gentiles, haud aliter ac noſtros, hodierno die nulli dubium eſſe exiſtimamus. Atque vitia ſive peccata hæc ab irâ, quæ tandem aceſcens, ſive exacerbata, in malitiam ſive ſævitiam tranſiret; vel à concupiſcentiis pravis ſeſe varie exerentibus; vel ex conſortio ſceleratorum hominum; vel ex imprudentia, ſive ignorantia mali; vel ex communi fragilitate humana, deduci credebant. Quibus mali generibus remedia hæc etiam adhibebant Gentiles, tum præſertim Philoſophi; 1. ut impetus affectuſque malos quoſcunque coërcerent: 2. ut crimina quævis ex gravi eorum ſenſu, ſive pœnitentia in animo inducta, tum in foro Conſcientiæ emacularent, tum Sacerdotum operâ expiarent, eluerentque, ac animam ita purificarent: 3. ut nefariorum hominum conciliationem conſociationemque diſſolverent: 4. ut quæ bona amplectenda, quæ mala fugienda eſſent, ſedulo diſquirerent: 5. ut propenſiones iniquas ex fragilitate humana ortas caſtigarent, vel depellerent:

lerent: 6. ut supplicationibus precibusque bonis, tum religiosis formulis, unde Dii propitii essent, ex Sacerdotum præscripto uterentur. Atque huc facit insignis Platonis locus l. 9 de Leg. ubi in hunc sensum loquitur illi, cujus in Animo impiæ cogitationes oborirentur, ἴθι (inquit) ἐπὶ τὰς ἀποδιοπομπήσεις, ubi Græcum verbum Expiationes reddit interpres, sed nescio quâ authoritate: Ἀποπομπαῖοι Δαίμονες quidem malorum aversores depulsoresque perhibentur: sed quid inter Græcos Ἀποδιοπόμπησις sit, ulteriorem forsan disquisitionem meretur. Consulit porro ut Θεοὺς ἀποτροπαίους, Deos sc. *Averruncos* adeat, quo nomine Iupiter inter Græcos insigniebatur, ut ait Lucianus, & Apollo, ut ait Aristophanes. Tandem etiam suadet, ut ξυνουσίᾳ, sive consuetudine bonorum hominum utatur: alibi verò unicè hortatur homines ut Philosophiæ sese solos dedant, utpote quæ optime animos purgat. Hæc enim neque alia consilia ut homines bene beateque viverent, & mala quævis averterent, sive è Theologica, sive è Philosophica Gentilium scholâ datâ fuisse, ex Scriptoribus antiquis, tum Græcis, tum Latinis, comperies. Quod quidem si non fecissent, homines pessimos, post hanc vitam transactam, pœnam æternam subituros, tum eos præsertim, quorum vitia malo in habitu fixa resedissent. Criminosos quippe hujusmodi, quum in delictis suis vel in æternum perstitissent, pœnam æternam passuros, omnino credebant. Vt ingenue igitur Cicero ad Atticum scribens fateatur: *Dolorem peccati & maximum & aeternum esse; cæteroquin satis habere Deos, si Animæ purgarentur, sive heic, sive alibi, atque ita purificarentur.* In hac enim opinione fuere, ut quum hominem simpliciter, neque bonum neque malum ex propria natura esse, sed utrumque fieri ex educatione existimaverint; culpas & errores haut ita insitos hominibus esse, ut non sarciri, radicitusque tolli possent. Quapropter nisi obfirmato in malum quodvis animo essent, ad frugem ex purificatione animi internâ, vel castigatione externâ saltem correctos iri. Ideo Seneca: *Quem pœnitet peccasse, pene est innocens*: & Ovidius:

*Sæpe levant pœnas ereptaque lumina reddunt,*
*Quem bene peccati pœnituisse vides.*

Vnde etiam non adeo multos ad supplicia æterna damnatos fuisse olim, tradit Antiquitas: terminos quippe & cancellos iræ Divinæ poni credebatur à veteribus, utpote qui ratum haberent Deum summum haut funditus deleturum opificium proprium, sed illud potiùs instauraturum; quum neque mortalium aliquis domum heic condiderit, ut illam postea flammis urendam tradat. Atque instaurationem hanc fieri debere ex pœnitentia, docuere tum Philosophi, tum Sacerdotes, ita ut hanc agendam, animamque purificandam, sed non sine eorum ministerio, sæpius incul-

inculcarent. Bene quidem, si pœnitentiam satis populo persuasissent, quod neutiquam tamen ab illis factum fuit, licet adeo prona in eam sit Anima humana, ut etiam nullo suadente, in foro interno, ex gratiâ divinâ, conscientiæque dictamine decernatur. Quid enim hoc est aliud quam in viam redire, è qua quis aberraverit? recte Periander: Ἁμαρτῶν μετάβολευ, id est, ubi *peccaveris, te mali pœniteat:* ut ideo remedium malorum, & quasi tabula post naufragium fuerit Gentilibus pœnitentia, sive ob peccatum dolor; ad quam etiam confugiendam esse in delictis minimis, credebat Antiquitas. Ideo præclarissime Cicero de Offic. *Quæ parva videntur esse delicta, neque à multis intelligi possunt, ab iis etiam diligentius est declinandum.* Hæc Cicero: ne in consuetudinem scil. abirent delicta parva, nosque illorum haut plenè pœniteret. Non secus quippe morbi occulti latentesque, quam aperti, hominem interficiunt; immo quò minus præsentiuntur, eò magis vitæ insidiari, & immedicabiliores fieri compertum est; ita ut sola morborum animi crisis salutaris sit *Pœnitentia.* Atque ad hos morbos forsan respicit Menander, ubi ait: Ἡ μετάνοια γίνετ' ἀνθρώπων κρίσις. *Pœnitentia fit hominibus crisis.* Iudicato enim, tum temporis, animi morbo, in pristinum restituitur homo. Quantum verò peccata in ipsam Mentem possent, adeo veteres non clam fuit, ut neque ipse Lucretius id dissimularet:

*----- At Mens sibi conscia facti,*  
*Præmetuens adhibet stimulos, terretque flagellis,*  
*Nec videt interea, qui terminus esse malorum*  
*Possit, nec qui sit Pœnarum denique finis,*  
*Atque eadem metuit magis hæc ne in morte gravescant.*

Verebatur nempe ne initium malorum potius quam finis esset Mors, hominesque post eam majoribus suppliciis afficerentur. Ex quibus aliisque etiam, quæ adducere possemus locis, patet pœnitentiam tanquam universale Naturæ piamentum vel Sacramentum inter Gentiles habitam fuisse. Quod tamen multiplicibus ritibus & cæremoniis fulcire ac tegere cupiebant Sacerdotes, ut penes illos solos mysterii verè divini authoritas esset. Dummodo enim sese totos Sacerdotibus suis crederent, cæterà securi esse jubebantur peccatores: Sacerdotes quippe tanquam mediatores inter Deum & hominem id in se recepere, ut peccatorum gravissimorum condonationem, pro potestate illis à Deo concessa, populo pollicerentur: verumenimvero non pauci inter sapientiores Ethnicos audaci temerariæque huic assertioni reclamabant. Ideo Cicero lib. 1 de Leg. *Expiatio scelerum in homines atque impietatum nulla est.* & Ovid. 2 de Fast.

*Ah nimium faciles, qui tristia crimina cædis*
*Fluminea tolli posse putatis aquâ!*

Quod & affirmat Livius Dec. 1, lib. 2. Cicero ideo 2 de Leg. quædam tantum expiari posse, eaque certe minoris notæ peccata innuit. *Sacrum commissum, quod neque expiari poterit, impiè commissum est: quod expiari poterit, publici Sacerdotes expianto.* Nihilominus quod in detrimentum summum Virtutis, civiliorisque vitæ cesserat, semetipsos crimina maxima eousque expiare posse jactaverant olim Sacerdotes, ut peccatorum securi, in nova cito delaberentur crimina mortales: utpote qui Sacerdotum ope freti, vindictam divinam non extimescerent. Quo Religioso commento, nescio an aliquid Virtuti plus offecerit unquam, castumve Dei summi cultum vitiaverit. Quid enim non attentaverit quispiam, qui veniam peccatorum suorum sese facile impetraturum existimaverit? haut diffiteor tamen quin, si veræ pœnitentiæ agendæ præcepta ritibus sacris adjuncta fuissent, haut ita occulta judicia Dei arcanaque ejus consilia antevertisse Sacerdotes. Cæterum an id ubique factum, ex veterum scriptis haut satis liquet. Si cui interea novum insolensque inter veteres *Pœnitentiæ* vel *Pœnitudinis* verbum videatur, non reluctor, modò sensum iræ divinæ, & dolorem ob peccata sua habuisse Gentiles, agnoscat: neque enim de verbo laboro, ubi de re ipsa conventum est. Quod igitur nobis pœnitentia sonat, id illis *dolor*, pro peccatis illis, quæ iram divinam accerserent, procul dubio fuit. Quorsum enim nisi interno dolore perciti tot ritus sacraque ad Deos placandos excogitassent? vel tot Templa adiissent, precesve fudissent, aut vota nuncupassent? Nimius essem si singula recenserem, quæ luctum publicum olim ob offensum illis Numen testarentur; ut satis habeam ex communi scriptorum consensu, iræ divinæ causam in seipsos, culpasque proprias rejecisse non segniter Gentiles, adeoque pœnitenti animo vindictam divinam deprecatos fuisse. Neque igitur mihi dubium est quin eorum pœnituerit Gentiles, quæ tot mala accerserunt, licet rarius quidem *pœnitentiæ* verbum inter authores, eo, quo jam usurpatur, sensu reperiatur. Sed neque ambigo quin dolor ille peccati, Gratiæ divinæ inter illos signum fuerit, quum haut aliunde quam à Deo summo proficisci possit: quod optima peccatores in viam reducendi est ratio: præclare quidem Seneca: *Peccati notitia, initium salutis est.* Namque ubi satis peccati horror incutitur, ab eo resipiscit, ac non magno negotio ad virtutem illam, quâ exciderat, sese impendio recipit peccator. Cæterum licet in remedium peccati, ubi Dei summi Majestas læderetur, pœnitentiam sive dolorem efficacem esse crederent: non ita tamen, ubi homines injuriâ vel contume-

tumeliâ afficerentur, de pœnitentiâ illâ ſtatuebant Gentiles. Illatum quippe damnum heic compenſari, & diſſolvi poſtulabant: verum enimvero ſi juſtitiæ Divinæ haut factum ſatis ex pœnitentiâ dixiſſent fortè Sacerdotes, acerbioremque quam ex dolore interno exigi debere pœnam contendiſſent, hiſce ita occurri tum temporis potuit: 1 Deum ſummum eſſe Patrem communem, adeoque in filium pœnitentem haut graviter animadverſurum: 2 Homines naturâ ſuâ fragiles, peccatoque obnoxios eſſe: 3 Peccata hominum non tam in Dei contumeliam, quam in propriam utilitatem ſub boni alicujus apparentis obtentu fieri plerumque; ac licet in eo homines fallerentur, nihil tamen infenſo in Deum animo patratum fuiſſe: 4 Pœnam in hac vitâ ſatis gravem ob peccata hujuſmodi infligi poſſe: 5 Si ulterior aliqua irrogari debeat pœna, Deum ſummum poſt hanc vitam ad tempus aliquod breve, vel etiam diuturnum ſupplicium, de peccatoribus ſumere poſſe. Quæ quidem ſi tanquam vera concedantur rationum momenta; Deumque ita ſupplicia peccatis paria remetiri poſſe; quorſum ad cruenta illa, unde Numen placaretur, ſacrificia deſcenderent Sacerdotes, quaſi vel boum aut (quod magis horrendum eſt) hominum ſanguine delectaretur Deus, aut alium pro alio bovem, nempe, vel hominem, pro homine, plecti juſtum æquumque eſſe ſtatueret. Apageſis igitur hæc Sacerdotum inventa, quum ſatis conſtet, ſacrificia illa in eum finem inſtituta fuiſſe, ut ritu peracto terror populo incuteretur, aut pingue nonnunquam ſacrum vorarent Sacerdotes & populus. Ritus veterum, qui in purgationem Animæ facere credebantur, jam diſpiciendi ſunt. Expiationes non unâ tantum ex causâ, neque uno tantum modo, ſed multiplici olim fiebant. Inde diverſa etiam prodiere nomina Καθαρμῶν, ἁγισμῶν, Ὁσιῶν, *Expiationum*, *Expiamentorum*, *Piamentorum*, *Piaminum*, *Februorum*, *Luſtrationum*, *Purgationum Animæ*, & *Purificationum*, de quibus omnibus quædam tantum attingemus. Parum diverſa ſignificato ſuo ſunt nomina hæc, omnia quippe ad purgationem quandam, ſive Purificationem ex Gentilium doctrinâ faciebant. Cæterum non omnia utique purgari, ſive purificari externis ſaltem ritibus potuere. Scelerum enim in homines, ac impietatum nullam eſſe expiationem, ex Cicerone & aliis ſupra oſtendimus: haut ſc. ullo piaculari, aut luſtrali ſacrificio ita emaculari (ex eorum ſententiâ) potuere ſcelera, ut non in ea animadverteret Deus. Quapropter jus condonandi quædam tantum peccata, vel conſcientiam ab illis abſolvendi, penes *Luſtrationes* vel *Expiationes Sacerdotales* fuiſſe olim, videtur. Quantum enim ex veterum ſcriptis colligere poſſum, ubi criminis alicujus luſtratio, vel expiatio publica facta eſſet,

esset, nulla penes magistratus crimen illud puniendi authoritas fuit: cæterum hoc aliis discutiendum relinquo. At non in hunc finem solum fiebant Lustrationes, sive Expiationes, sed ut urbi & exercitui bene esset. Quo crebriori enim numero congregaretur populus, eò majori expiatione sive lustratione opus esse, censebant Gentiles. Quomodo publica illa Vrbis expiatio fieret, ita narrat Dion. Hal. lib. 5. *Conjuratis hoc pacto deletis, Senatusconsultum factum est, ut tota lustraretur Civitas, quod necessitate coacta esset Civilis cædis author fieri, quum nefas esset ad sacra accedere, & victimas immolare antequam facinus expiatum esset, luesque solutis lustrationibus abolita. Quumque universas Religionis ceremonias (sive τὰ θεῖα) patrio ritu peregissent divini cultus Antistites, Senatus tum demum sacra ad agendas Diis gratias, & Ludos celebrari jussit.* Et quanti publica expiatio olim habita esset, observatu dignum est; quum antequam ea fieret, nemo ad sacra accederet, vel victimas immolaret. Quod & firmat Mart. lib. 8, ubi tradit, *non nisi religionis purificatione lustratos accedere ad Templa debere.* Aliam publicam Vrbis lustrationem memorat idem Dion. Hal. lib. 10. Sed & exercitus Romanus in aciem dispositus, tum ipsa militaria signa lustrabantur ante expeditionem susceptam, tauro, ariete & hirco (aut sue, ove, & tauro, ut Livius habet lib. 2) quæ postquam ter circa castra ductæ essent hostiæ, mactabantur. De miro lustrandi exercitus ritu inter Macedones ex dissecto cane, vide Liv. Dec. 4, lib. 10. Lustrationis exercitus post Bellum etiam meminit Dion Hal. lib. 4, & 10. Expiationes tum publicæ, tum privatæ, in dirâ Pestilentiâ porro fiebant. Expiabatur quoque cædes involuntaria lustrationibus & sacrificiis piacularibus, quibus peractis sub jugum quoddam mittebatur Homicida, ut videre est in Dion. Hal. lib. 3. Vbi Historiam M. Horatii Tergemini, qui sororem suam interfecit, fuse narrat: velut etiam Livius, qui addit Horatium pecuniâ publicâ expiatum fuisse. Involuntariæ cædis quoque expiatæ meminit Herodotus: quod Expiationis genus etiam apud Græcos & Lydos obtinuisse, ibidem narrat. De Expiatione inter Æthiopes usitatâ, ubi alienigenæ in beatam quandam Insulam mittebantur, vel deportabantur, vide Diod. Sic. lib. 1. De Februis, quæ eodem fere cum Expiationibus recidunt, hæc habet Plin. *Vulgata priscis temporibus opinio obtinuit, Februa esse omnia quibus malefactorum conscientiæ purgarentur, delerenturque peccata, aut manes animabus defunctorum placidi redderentur.* Festus author est Februarium mensem dictum, quod tum, id est, extremo anni mense populus februaretur, sive lustraretur, ac purgaretur: per 12 enim dies continuos *Februarii* celebrabantur *Februa:* hisque diebus pro impetranda mortuorum animabus quiete, omnis populus,

*Herodot. lib. 1.*

pia-

piaculis sacrificiisque circa sepulchra accensis facibus, cereisque, intentus erat. Quid Februa olim significarent docet Ovid. lib. 2 Fastorum:

*Februa quæ nobis dixere Piamina Patres*, &c.

Agri quoque & fruges lustrabantur, ut habet Columella l.2: & Tibullus:

*Quisquis ades faveas, fruges lustramus & agros:*
*Ritus ut à prisco traditus extat Avo.*

Vide sis hac de re Virg. *Bucol.* & *Georg.* Sextus Pompejus ait: *Ambarvalis hostia ea est, quæ rei divinæ causâ circum arva ducitur, ab iis qui pro frugibus faciunt.* Amburbia fuere sacra, quæ fiebant, quum Vrbs & Pomœrium lustrabatur. Vide Luc. lib. 1, hac de re canentem. Expiabant religionem ædium sacrarum, tum etiam manes mortuorum Romani. *Cic. de Ar. Re. & pro Pisone.* Somnia quoque expiabantur olim loto corpore, oblatisque victimis; ut ex Persio colligere licet Sat. 1 & Iuven. Sat. 6. & Tibull. lib. 1, eleg. 5, & lib. 3, eleg. 4. *Lustrici Dies* infantium appellantur, puellarum octavus, puerorum nonus, quia iis infantes lustrantur, & nomina eis imponuntur: Macrobius quoque lib. 1 Sat. ait: *Lustricus dies olim appellabatur, quo pueri lustrabantur, & nomen accipiebant.* Qui eos lustrabant, *Lustratores* vocabantur; & si fœminæ, *Lustratrices.* Diei Lustrici Suet. Tranq. in Claud. Imperatore meminit, & Persius Sat. 2.

*Ecce Avia, aut metuens Divûm matertera cunis*
*Exemit puerum, frontemque atque uda labella*
*Infami digito lustralibus atque salivis*
*Expiat*, &c.

De quibus facile plura dixerim, nisi compendii ratio me vetaret. Atque hi quidem fuere præcipui ritus à Gentilibus ad purgationem, vel purificationem Animæ adhibiti. Purgationum usus cumprimis in Bacchi, vel Iacchi sacris fuit: huc enim respicit illud Virg. Georg. lib. 1.

------- *Et mystica vannus Iacchi.*

*Vannus* est vas vimineum, latum, hoc est, cribrum Cereale, in quo propter capacitatem rustici cogere primitias frugum solent, & frumenta purgare: de hoc Columella lib. 2, c. 20: *Ipsæ autem spicæ melius fustibus tunduntur, vannis expurgantur.* In locum Virgilii supra enarratum sic habet Servius: *Mystica Iacchi ideo ait, quod Liberi Patris sacra ad purgationem Animæ pertinebant; & sic homines in ejus mysteriis purgabantur, sicut vannis frumenta purgabantur. Hinc est quod dicitur Osiridis membra à Typhone dilaniata, Isis cribro superposuisse. Nam idem est Liber Pater, in cujus mysteriis vannus est, quia, ut diximus, Animas purgat. Vnde Liber, ab eo quod liberet, dictus.* Et paulo post: *Nonnulli Liberum Patrem* *Henr. Steph.*

 Λικνίτην

Λικνητλὼ *appellant, vannus autem apud eos* Λικνὸς *nuncupatur, ubi de more positus esse dicitur (infans) postquam de utero matris est editus.* Inter Bacchi cognomenta quoque Λικνήτης recensetur à Plut. de If. & Ofir. Harpocration ait, vannum ad omnia initia πρὸς πᾶσαν τελετλὼ, & sacrificia commodum esse. De vanno, cujus mentio facta Matth. 3, 12. & Luc. 3, 17. vide undequaque doctissimos Expositores Hug. Grotium, & Daniel. Heinsium. Triplicis purgationis Animæ in Gentilium sacris meminit Virg.

*------- Aliæ panduntur inanes*
*Suspensæ ad ventos, aliis sub gurgite vasto*
*Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.*

Cl. Vossius lib. 2 de Idol. heic colligit triplex purgationis genus inter Gentiles extitisse, 1 Aëre: 2 Aqua: 3 Igni: & Servius in 6 Æn. ait: *In omnibus sacris tres sunt istæ purgationes: Nam aut tædâ purgantur & sulphure; aut Aquâ abluuntur; aut aëre ventilantur, quod erat in Liberi sacris;* hoc enim est quod dicit in 1 Georg.

*------ Tibique*
*Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.*

Notum est *oscilla* fuisse imagunculas, quibus homines pro se atque suis Saturno piacula faciebant. Macrobius Oscilla igitur hæc pinu suspensa Aëreque purgata, vicem quandam externam purgationis Animæ inter Gentiles præbebant; haut aliter ac imagines in fluvium dejectæ, (de quibus supra,) vicem hominum qui illuc dejici deberent; hoc pacto supplebant. De purgatione per Aquam, sive lustratione, antea quædam tetigimus: quid de purgatione sive expiatione per terram sive Igneam vim in Terris latentem, dici posset, supra etiam monuimus; adeo ut hoc solum animadvertendum restet, nempe purgationes ex iis præcipue institutas fuisse, ex quibus hominum Corpus conficeretur; ita ut purgatis Elementaribus in homine partibus tota pura redderetur humana fabrica: exinde vitia quippe pullulare, & in animam migrare, sensêre Gentiles. Novi quidem quam inepti fuere hi ritus, sed quis ita sanos ritus ostenderit, ut rei significatæ undequaque quadrent? Absque ritibus autem quibusdam, neque populus satis constringi, neque Sacerdos imperium suum exercere unquam potuit: sufficit igitur quocunque modo in Animæ purificationem hæc omnia olim excogitata fuisse. Et quidem, si Sacerdotes illi pœnitentiam veram, horroremque scelerum in animos populi plenum induxissent, haut ita male cum humano genere actum fuisset: sed, quod dolendum est, Sacerdotalis ordo quidvis aliud semper meditabatur, quam ut grex immundus sine eorum ope maculas sordesque suas extergeret vel elueret.

Adeo

Adeo charum illis ſemper fuit, ut ipſimet ſoli everriculum (ut ita dicam) publicum cuſtodirent. Ex his ſatis oſtenſum eſſe putamus, quod quemadmodum idem Deus Opt. Max. ab Gentilibus haut ſecus ac à noſtris, *Pater Communis* olim invocaretur, tum iiſdem virtutibus præcipue, queis noſmet utimur, coleretur; ita & eandem Pœnitentiam (quam certiſſimum Gratiæ divinæ ſignum eſſe agnoſcimus) in illis ſive ingeneratam interne ex ſenſu peccati, ſive infuſam cordibus eorum à Deo fuiſſe. Non alium enim in finem vel ſacrificia cruenta, vel aliæ quæcunque ſeveriores Religionis partes olim introductæ fuere, quam ut Dei ira ob peccata populo denunciata, homines delictorum ſuorum pœnitentes, puri *expiatique* Deo ſiſterentur. Atque hæc de pœnitentia, quam *Gratiæ* omnibus hominibus oblatæ Sacramentum inter Gentiles lubens appellaverim, dicta ſunto.

## *Præmium vel Pœna.*

ORdinis ratione ita poſcente, poſt Virtutem illam, unde datur ad Deum aditus, & pœnitentiam illam; unde ad Virtutem daretur reditus, quid de Præmio & Pœna ſenſerint Gentiles, explicandum manet. Vltima hæc quippe ſincerioris veterum Religioſi cultus videtur pars. Et quidem Præmium bonis, & Supplicium malis, vel hac in vita, vel poſt hanc vitam dari, ſtatuebant Gentiles: utrumque ex Iuſtitia & Bonitate Divina colligentes; quæ ſumma Dei Opt. Max. attributa ab illis agnita fuiſſe, cuncta aperte clamant veterum teſtimonia. Deum quidem Summum in ſe ipſo colendum eſſe, judicabant Gentiles, quum præſtantiſſimam Naturam omni veneratione dignam eſſe arbitrarentur; ſed ſimul etiam quod pro Bonitate ejus beatiorem ſtatum, quam hac in vita conſequi poſſent, ſperaverant; uti quorum Animis inſitum eſſet, Deum hac noſtra meliorem vitam largiri poſſe, & velle, modò homines ſuis non deeſſent partibus: Neque enim vel ſeipſos fruſtra, nullique bono in hunc Mundum, ſive à Deo, vel à Fato editos fuiſſe, adeoque in nihilum tandem recaſuros, exiſtimaverant: vel eum perfectionis gradum illis heic obtigiſſe, ut non altius præclariuſque quiddam, quam in hac vita dari poſſet, ex ſecreto quodam Naturæ dictamine pertenderent, vel adeo inviſam, vel exoſam Diis humanam eſſe Virtutem, ut non beatior probis piiſque, quam ſceleratis impiiſque viris addiceretur vel in æternum ſtatus. Nihil tandem mage congruum Naturæ Divinæ eſſe docuerant, tum Philoſophorum, tum Theologorum Gentilium præcipuorum Scholæ, quam ut Bona bonis, Mala malis remetiretur Deus. Cæterum quum id quoque cernerent, quemadmodum viri Boni calamitati-

mitatibus miseriisque oppressi heic jacerent; Mali improbique è contra lautitiis omnibus affluerent; certissimis ex Iustitia Bonitateque Divina argumentis deductis, Bonis post hanc vitam præmium condignum, Malis pœnam dari credebant: secus enim si esset, nullam neque Iustitiæ, neque Bonitatis divinæ rationem constare posse. Et quidem male tum temporis cum viris Bonis actum fuisse, sæpenumero observavit Antiquitas, & cumprimis Seneca, dum ait: *Crede mihi, Deus Bonos viros in deliciis non habet, sed probat & indurat.* Argumenta scilicet virtutis exercendæ ampla illis hoc modo subministrat, quum in rebus secundis haut tot, vel talia virtutis specimina edere soleant homines etiam Boni, ac in adversis, ubi nulla non in experientiam, nulla non in periculum adducitur virtus. E contra, quum Tyrannos scelestissimosque homines cunctis hujus vitæ commodis fruentes perspicerent Veteres, credebant è Iustitiæ divinæ partibus esse, ut post hanc vitam saltem suppliciis plecterentur. Atque hucusque recte Philosophi saniores, ipsique Sacerdotes. Ast quum hi & loca simul, ubi vel præmia acciperent bene meriti, vel pœnam sontes, edicere sunt ausi, ita ut Elysios Campos, Beatorum Insulas, Astra, Cælum Bonis; Tartarum, Erebum, Orcum & quatuor Inferorum flumina Malis, post hanc vitam adjudicari docerent, in errorem non levem incidebant: longe facilius quippe populo persuasissent pro justitia Divina dari alicubi supplicium, vel pœnam pro meritis uniuscujusque condignam, tametsi vel locum, vel modum, vel durationem nescirent; quam si temerarie aliquid de Cryptis subterraneis circa Terræ centrum, aut de mediæ Aëris regionis concamerationibus, aut de modo, vel duratione illis plane incomperta effutiissent. haut inepte tamen Cœlum, & Astra Beatorum sedes statuebant. In Deo enim solo & Cælis, æternum fœlicemque statum dari, communis semper fuit notitia.

*Plat. in Phædone.* *Plat. Gorg.*

Sed quia heic forsan objicient nonnulli, neque conscientiam eam Boni Malique, quæ in nostris habetur, Gentilibus inditam, neque virtutes eas in more, vel in praxi apud illos fuisse, quæ inter Christianos vigent, atque inde neque spem melioris vitæ, neque timorem pœnæ futuræ in eorum animos plene induci potuisse, asseverabunt. Hisce ita paucis occurrendum censeo: Et primo quidem de Conscientia: *Cujus vim magnam in utramque partem esse*, dictitat Cicero, adeo ut ex Conscientia, Bonæ mentis solatium summum capiendum esse doceat: è contra, ubi peccarit quispiam, pœnam ante oculos semper versari perhibeat: quod & plurimi alii inter veteres fatentur: immo & ipse Epicureus Lucretius testatur, *Animam consciam remordere.* Conscientiæ signa quædam etiam protulere; atque Bonæ, *Fortitudinem, Fidem, Constantiam,* & *Lætitiam*:

*Cic. de Cl. Orat. & pro Milone.*

Malæ

Malæ vero, *Timorem*, *Terrorem*, *Tristitiam*, & *Desperationem* : eousque, ut sceleris Conscientiam ferre nequirent homines ; quod Sueton. in Nerone testatur ; & Cicero de Leg. lib. II dicit, *Furias ipsas sceleratos insectari*. Hisce etiam signa externa addebant, nempe ubi Bona esset Conscientia, vultu & sermone constare, erecto corpore consistere, oculis & ore hilari semet impavidum imperterritumque præbere, & hujusmodi alia : ita ubi Mala esset Conscientia, erubescere, vel expallere, titubare, inconstanter loqui, tremere, concidere, & nonnulla alia, quæ Animi *conscii* signa inter illos fuerant. Quemadmodum igitur eundem intellectum, idem arbitrium reliquasque animales facultates illis æque ac nostris impertitas ex bonitate divina fuisse perhibent, tum veterum scripta actionesque passim : ita quidem & eandem conscientiam iisdem notitiis porro communibus, quibus in præsens utimur, instructam, ex eadem Bonitate divina largitam illis fuisse, nemo in eorum libris versatus (puto) diffitebitur. Hoc porro inde firmatur : quod si ex iisdem virtutibus, quibus nosmet in præsens utimur, viam ad Æternitatem inierint, quid ni & eandem Conscientiam, immò & eandem eousque Gratiam divinam illis indultam habuerint Gentiles ? Nonne ipse perhibet Apostolus Act. 10. Cornelii hominis plane Gentilis orationem & eleemosynas ad Cælum pervenisse. Ita ut ex Conscientia sola divinæ Iustitiæ Bonitatisque argumenta certissima collegerint Gentiles, futurumque statum inde prætentarent. Ideo præclarissime Cicero lib. 3 de N. D. *Pondus Conscientiæ grave esset, sine ulla virtutis & vitiorum divina ratione.* Existimabat scilicet vir eximius, Iustitiam divinam haut satis constare potuisse, si præter crassam populi laudem, nullum maneret virtutis præmium ; vel præter probrum dedecusque externum, nullum post hanc vitam supplicium. Quis enim non semet suaviter totum voluptatibus omnibus dederet, si nihil heic nisi delira populi vox impediret ? quapropter sapientissime divinam tum virtutis tum vitiorum rationem esse, perhibebat Cicero. Quum nihil Deo Opt. Max. ex ejus sententia, prius, vel antiquius esse potuerit, quam ut qui ex virtute semet similes Diis effecerant, in Deorum consortium adsciscerentur. Neque hæc solius Ciceronis opinio fuit, sed omnium Gentilium, qui Heroas suos Cælo donabant ; Astra ex Heroum, Heroas ex Astrorum nomine vocantes ; uti supra affatim ostensum est. Duplici nomine vocari Conscientiam apud Græcos reperio, quarum συντήρησις, ad *Iudicium*, συνείδησις ad *Voluntatem*, præcipue refertur. In Conscientia quippe describuntur non solum κοιναὶ ἔννοιαι, vel *Communis Notitiæ* quædam ex sapientia universali, qua hic *Mundus* administratur, depromptæ, cujusmodi sunt; *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris : In dubiis tutior eligenda est pars* ; Et

ut paucis dicam præcipua Theologicæ & moralis Virtutis axiomata, & norma quædam & disciplina, unde voluntas castigetur, & corrigatur, & ad id quod æquum bonumque est, adducatur: ideo eam ab omni labe & immunditię purgatam esse voluere, quum viris Bonis solamen summum præsidiumque afferat: Malos è contra angoribus cruciatibusque ingentibus torqueat. Quapropter Cicero pro Roscio ait: *Suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit, suæ malæ cogitationes Conscientiæque Animi terrent.* Seneca etiam de Morib. hortatur, *ut Conscientia potius, quam fama respiciatur*: Falli enim potest fama, Conscientia nunquam: Polybius etiam ait: Οὐδεὶς οὕτως οὔτε ἐστὶ μάρτυς φοβερὸς, οὔτε κατηγορὸς δεινὸς, ὡς ἡ σύνεσις ἡ κατοικοῦσα ταῖς ἑκάστων ψυχαῖς. *Nullus neque testis tam formidabilis, neque judex tam gravis, quam Conscientia, quæ mentibus cujusque insidet & inhabitat.* Plutarchus etiam scribit: *Conscientia sceleris in homine tanquam ulcus depascens, totum paulatim labefactat vertitque in tabem corpus.* Huc etiam applicari potest versus Ovid de Ponto:

*Estque pati pœnam quam meruisse minus.*

Ex altera parte (ut ait Cicero lib. de Sen.) *Conscientia vitæ bene actæ & recordatio benefactorum jucundissima est.* Quod adeo verum comperiet unusquisque, ut vergente ætate, viribus prostratis, ipsoque mortis articulo nullum præterea immanium dolorum levamen in se ipso tum temporis sentire queat. Optimum igitur Pythagoræ consilium fuit, πάντων δὲ μάλιστα αἰσχύνεο σεαυτόν. Vulgatum etiam dictum est, *in via itinerantem, & in solitudine te ipsum reverere*: ne cogitationes malæ scilicet tum temporis irrepant, animamque occupent, adeo ut qui solus & ab omni hoste remotus, à se ipso etiam cavere debeat. Deus summus quippe Conscientiam hominis speculatur, ex illa potius quam ex actionibus externis, quid boni homo gesserit, quidve secus, judicans. Prudentissime igitur Seneca de Morib. monet: *Nihil Conscientiæ commiseris, quod non amico committere possis*: ea nempe, quæ tutò cogitari, tutò credi possunt. Deus enim cordium sive conscientiæ inspector est, ipsaque ibi arcana lustrans. Itaque Cicero Tusc. Quæst. lib. 12: *Nullum Theatrum Virtuti Conscientia majus est.* Licet enim virtuti affirmandæ externa omnis desit occasio, perpetua tamen in Conscientiæ Theatro virtutis argumenta superesse liquet: Deum enim peccatis ex pœnitentia purgatis sive elutis, nihil ibi non tersum nitidumque spectatur, dum suis sedibus undequaque disponuntur virtutes, indeque ad actiones externas apparantur; dum suo unaquæque ordine prodit: (neque enim omnis promiscue, sed quæ in rem præsentem idonea est, personam sustinuerit virtus;) dum ob res bene gestas acclamatur, vel ob male gestas, ibi reclamatur: dum judices illic Notitiæ Communes, summusque arbiter Deus;

tota

tota theatralis fit Conſcientia : ſed quod Theatro majus, ipſum Deum, Conſcientiam eſſe perhibet Menander : Βροτοῖς ἅπασιν ἡ συνείδησις θεὸς, *Mortalibus cunctis Conſcientia Deus.* Sed hoc Poëticè dictum puto ; neque enim Deus, vel Numen aliquod eſt Conſcientia, ſed à ſummo Numine in ipſa anima conſtituta facultas, ut æqui bonique haberetur ratio ; ſpeſque vitæ melioris inde fieret. Aliis non Deus, ſed Dæmon, ſive Genius, ſive Angelus quidam Animæ aſſiſtens, eamque informans, Conſcientia videtur. Qua in ſententia fuêre Plato, Proclus, aliique Platonici & Orphici : quapropter hanc ubi delectaret, Gratiam ; ubi vexaret, Furiam olim vocatam fuiſſe, teſtatur Marſ. Ficinus in Plat. de Rep. unde evenit, ut initium ſalutis æternæ inde detur, vel fiat, ubi bona eſt Conſcientia ; velut econtra futurorum ſuppliciorum, ubi eſt mala : adeo ut non poſt hanc vitam tantum, ſed ipſa etiam in vita præſenti præmium & pœna in Conſcientiæ theatro ( proluſione quadam utriuſque ibi facta ) præſumantur. Sed & ſimul advertendum eſt, præmia hæc tum illuſtriora poſt hanc vitam ; ( maxime ubi Animæ ſatis purgarentur ) tum ſupplicia graviora à Gentilibus ſtatuta fuiſſe.

De locis Præmii, vel Pœnæ, juxta veterum ſententias, accuratius jam videndum eſt. Plato autem in Phædone, poſtquam docuiſſet animam puram ad pura & æterna tranſire ; impuram vero terreniſque infectam, ad terrena retrahi ; jamque affectus & habitus tam intelligentiæ quam voluntatis comparatos ſive bonos, ſive malos, ſecum ferre, ſubito læſuros, vel profuturos ; addit eos à Dæmone, Genio, vel Angelo ad judicium in loco aliquo communi perduci ; quo peracto, omnes per trivium in ſedes diverſas dimitti ; ita ut quædam, ſcilicet puriores, in Cælum aſcenderent ; aliæ in Tartarum dejicerentur ; aliæ vero in mediis regionibus ſine duce errarent ; Dæmone vel angelo interea in bonis intelligentiam promovente ; in malis, imaginationem affectumque perturbante : ſtatuens ita præmia virtutum ac ſupplicia vitiorum ad alteram vitam potiſſimum pertinere. Loca deinde pœnæ vel ſupplicia deſtinata attingens, quatuor Inferorum flumina allegorico quodam modo memorat, tradens *Acheronta* ſub Terra flumen eſſe purgatorium, atque ad curam pertinere & mœrorem, idque Aëri reſpondere, plagæque mundi meridianæ : *Phlegetonta* igni reſpondere, & Orienti, vimque puniendi per calorem habere ; atque inde iram & cupiditates pravas caſtigare : flumina quæ *Styx* & *Cocytus* appellantur, Terræ & Occidentali plagæ reſpondere, ibique odia per luctum fletumque puniri : differunt vero ſolum ( inquit Marſ. Ficinus ) quod Styx exoriens, Cocytus progrediens dicatur : quod myſterium plane non cepit ipſe Ficinus. *Tartarum* poſt hæc infimum ſtatuit Inferni locum, in quo ſceleſtiſſimi

mi non medicinæ, ſed exempli cauſa puniuntur : quod non in Phædone tantum, ſed Gorgia; & lib. 1 de Rep. legitur. Duplicia namque peccata eſſe tradunt Platonici, ſanabilia & inſanabilia. Sanabilia autem ſunt quædam, quæ nondum in habitum converſa, cum quadam reluctatione animæque repugnantia ab hominibus committuntur; atque ita ut ſeria tandem facti conſectetur pœnitentia : Inſanabilia vero ſunt prorſus quæ in habitum tranſeuntia, tum repugnantiam omnem, tum pœnitentiam procul fugant; cujuſmodi peccata (quia nullo remedio juvari poſſunt) immedicabilia vocant Platonici; quapropter ſceleſtiſſimos homines in Tartarum detrudit Plato in Phædone; *unde (inquit) nemo egreditur*. Ex quibus liquet repugnantiam peccata minuere; pœnitentiam ea ſanare, ex Gentilium ſententia, vel tollere; aut ſi quid propterea tandem ſupereſſet, id tandem ex pœna quadam poſt hanc vitam, in Animæ purgationem inſtituta, elui. Cæterum animas hac in vita haut rectius purgari quam per *Philoſophiam*, docet Plato, adeo ut Cælum cæleſtiaque prætervecti, omnes conſummati perfectique Philoſophi ad loca ſupercæleſtia evolent, ubi in æternum vivunt. Atque heic Porphyrius & Iamblichus concinunt, qui Animas perfectiſſime Deo reſtitutas nunquam cadere poſſe, aſſeverant. Tartarum eſſe carcerem quendam (omnium puto ſuppliciorum graviſſimum) in Gorgia Platonis narratur; ubi non invenuſtam fabulam de judicio hominum extremo videre eſt. De quatuor fluminibus, quæ apud Inferos eſſe dicuntur, non Plato tantum, aliique probati Authores, ſed & ipſi Poëtæ mentionem faciunt; quorum commenta adducere heic non placuit, nec neceſſe eſt. Hoc tantum non prætermittendum putavi, nempe juxta veterum Poëtarum figmenta, Deos per *Stygiam Paludem*, quæ Inferorum regionem ambire fertur, *jurare* ſolitos: perjurii autem eam fuiſſe pœnam, ut per annum integrum Divinitate ſe abdicarent, ambroſia nectareque privarentur : cujus cauſam etiam ex alia fabula (neſcio qua ratione myſtica) petunt; ſed de hoc argumento alio quoque capite de Aquæ cultu diximus. Apud Inferos quoque aliud flumen, *Lethe* vocatum, oblivionemque rerum præteritarum inducens, fuiſſe dicebatur : cujus nominis etymon, uti etiam reliquorum fluviorum, è Græcis fontibus petat qui velit, ut ſufficiat in præſens veteres ita indicaſſe, in quibuſdam ingentes animi angores perturbationeſque excitari, ubi è vivis heic exceſſerint; in aliis tantum ſopiri, ſed ea lege, ut in ſomnum morti æternæ ſimillimum inciderent. In Inferno etiam operam dare Plutoni fingebantur *Furiæ*, *Harpyiæque*, uti antea diximus; & *Cerberus*, qui ab aliquibus *triceps*, ab Heſiodo *Centiceps* ferebatur; cujus munus eſſet ad Inferni portas excubare, eiſque adblandiri, qui ingrederentur; eos vero corripere & devorare,

*Tartarus.*

qui

qui egredi ſtuderent, unde nomen ejus *Cerberus*, quaſi κρεοβόρος. Sed quis tot inſulſa Poëtarum deliria, licet verum aliquod myſticè in ſe contineant, proſequatur? Ad Philoſophos igitur, non uno tantum modo de Animarum ſtatu loquentes, præcipue revertor. De Præmii diverſa ratione & gradu, ſive in Cælo, ſive in Aſtris, ſive in ætheriis quibuſdam regionibus, vel etiam aëriis, ubi fructus quidam aërii commanducarentur; ſive in Beatorum Inſulis, ſive in Elyſiis Campis, ſatis conventum eſt. Cæterum de Pœna futura inter ſe diſſentire videntur Gentiles. Plato l. 9 de Leg. Pythagoricos Ægyptioſque Sacerdotes ſequutus, ait, animas humanas in corpora rurſus humana regredi, in quibus ſæpe dant pœnas pares omnino culpis in ſuperiori vita commiſſis; quæ & Magorum Ægyptiorumque Sacerdotum opinio olim fuit. Hi enim nullum convenientius humanorum delictorum eſſe purgatorium ſtatuebant, quam ut in Corporibus humanis eadem Animæ quandoque paterentur, quæ fecerunt. Quod adeo rationi conſentaneum judicavit Plotinus Ægyptius, ut l. de Provid. ad ſolvenda dubia circa juſtitiam bonitatemque divinam, aperte dicat; ea quæ à Providentia divina in præſenti vita non rependuntur, in altera rependi, non juxta humanæ tantum rationis Iuſtitiæque normam, ſed belluino quodam more, ita ut Animæ quondam hominis fieret anima Bruti; ſed ſolus inter Platonicos in hac opinione fuiſſe videtur. Licet enim de migratione Animarum in beſtias Plato ipſus nonnunquam loquatur, rem tamen adeo ridicule narrat, ut ſatis demonſtret nihil ibi ſerio agi; adeoque allegoriam quærendam eſſe, de quo M. Ficinus. Haut negari tamen poteſt, quin tum antiqua admodum apud Ægyptios & Pythagoricos fuerit hæc opinio, tum recens etiam hodierno die apud Indos Orientales, quorum Sacerdotes quidem qui vocantur *Bramanes* (à veteribus fortaſſe *Brachmanis* derivati) μετεμψύχωσιν, ſive tranſmigrationem Animarum in beſtias dari docent. Quam paradoxam opinionem adeo pertinaciter tenet populus, ut nullum animal occidere, nedum deguſtare fas ſit, ne forſan patris vel avi animam ita vorarent. Quapropter longe veriſimiliorem ſententiam à Platone adduci credimus, qui, de ſtatu Animarum poſt hanc vitam loquens, ait: Primam quandam ſentiendi naturam, quæ ſubſtantialis origo ſenſuum reliquorum eſt, totamque poteſtatem ſenſitivæ facultatis in ſe continet, poſt hanc vitam in ſeipſam replicari, & deinde in aëreo corpore exeri; (quo etiam involuta tum hoc ingreditur corpus, tum ex illo egreditur) ſubjungens porro Animam humanam in Corpore hoc craſſiori ad breve tempus habitare; in aërio verò Corpore per multa ſæcula; in cæleſti vel æthereo per omnia. Denique addit, Animas haſce aëreo Corpore veſtitas, ultrices eſſe ſcelerum impune contra ſeipſas, vel corpus, quo uſi

Dd ſunt

sunt in hac vita, commissorum. Quæ omnia quum neque asseri satis, neque negari possint, in verisimilium loco ponimus. Et quidem præter solennem illam notitiam communem, nempe, *Deum Bonum Iustumque esse, adeoque præmium vel pœnam tum in hac vita, tum post hanc vitam, pro actionibus, immo & cogitationibus suis unicuique remetiri.* Nihil quod verisimile magis esset, ab illis statui posse decernimus. Cæterum Gentilium Antistites extra fines hosce evagati, plurima quæ nullo facultatum humanarum indicio constarent, passim jactare solebant. Quod veritatis damno fuit, si enim semet satis coërcuissent Gentilium coryphæi, neminem, puto, dissentientem reperissent. Sed dum hæc Philosophi, illa Sacerdotes, alia demum Poëtæ adjicerent, tota inclinata in casumque prona nutavit Veritatis fabrica. Quis enim circa futura post hanc vitam aliquid tuto, præter notitiam illam communem supra adductam, statuerit, nisi cum conscientiarum humanarum inspector, tum consiliorum divinorum particeps sit? Non imperite quidem affirmabant veteres, Bonos bona, Malos mala, vel in æternum, manere. At quis locum præmii, vel pœnæ ostenderit? quis supplicii genus conjectaverit? Quis tandem durationis terminum posuerit? quum levis pœna longior, vehemens brevior, ex communi rationis dictamine, esse debeat? Heic igitur (ut in pluribus aliis religionis articulis) veritatem eximiam verisimilibus, possibilibus, & falsis suis temerabant, & fere deprimebant Gentiles; perinde facientes ac qui ædificium in seipso solidum, ex tecti pondere propemodum obruerent: nihilominus non solum quatuor articuli supra memorati semper stetere, nempe, 1 *esse Deum summum*: 2 *coli debere*: 3 *Virtutem esse præcipuam cultus divini partem*: 4 *resipiscendum esse à peccatis*: sed & hic ultimus, *dari præmium & pœnam tum in hac vitâ, tum post hanc vitam*, stetit, in æternumque stabit. Quantumvis enim supra eorum basim sexcenti errores accumulentur, ex quinque tamen hisce columnis inter se nexis, ita fulcitur cultus Divini ratio, ut moles quæcunque (uti in fornicato opere videre est) hisce superposita, haut labefactare, vel locum movere possit ædificium. Hæc igitur providentiæ divinæ universalis castæque Religionis sunt firmamenta illa, quæ nullo defuere vel deesse possunt sæculo, vel regioni. Vnde etiam ea omnia quæ sub verborum involucris, Fabularum mysteriis, Revelationum figmentis, somniorum interpretationibus; Rituumque ambagibus promulgabant olim Sacerdotes, & in faciles declivi populi animos inducebant, prorsus staminabantur. Vt viderint interea Antistites Præsulesque per totum orbem diffusi, quid hisce quinque articulis addere potuerint: unde vera illa Virtus, quæ homines Deo similes, consortioque ejus dignos efficit; vel Pietas, Puritas, Sanctitasque vitæ magis promoveri possent. Operæpretium (inquam) fuerit videre, annon quæ hisce adjungi

adjungi solebant totam mollirent potius Religionem, minusque severam redderent, dum subsidiariâ operâ, vel aliis quibuscumque adminiculis gratiam divinam citius impetrari posse asseverarent. Novi satis quidem ex traditionibus, & fide quadam laxa, plurima in favorem humani generis pro sæculi vel regionis diversitate (tanquam cœlitus demandata) olim ostensa fuisse, sed quæ neque satis inter se cohærerent, vel ullius valoris essent, nisi quinque hi Articuli familiam ducerent, ac præstituerentur. Vt miseratione igitur dignum sit, eas larvas indutos, fucos illitos, scrutaque assuta fuisse, quæ castissimam Religionem dedecerent, dehonestarentque: quum ejus vultus reverendus, color nativus, vestisque inconsutilis, simplex augustaque Matrona digna esse debeat. Sed & hoc pejus, quod isto pacto veris Religionis abdicatis, aut rejectis, partibus, homines athei, divinæque Iustitiæ, tum Providentiæ contemptores plerumque evaderent; aut si totam Religionem unà cum superstitionibus illi ancillantibus amplexi essent, ut sibi ipsis in foro interno imponerent, rectamque rationem illam, quæ vitæ norma optima est, desererent: Quorum neutrum fecerint, qui quinque hisce Articulis ita adhæserint, ut licet alia & alia ex Pontificali Sacerdotalique authoritate adjici sinerent, nihil tamen unde mage parabilis ad Deum cœlosque daretur adscensus, ex communi saltem Religionum consensu apud se constituerent. Et in hac sententia, puto, fuere Gentiles; si tempora enim spectes, audax omni ævo fuit facinus, ea respuere quæ Sacerdotalis Ordo ex traditionibus vel revelationibus suis in Religionis sanctionem invexerat. Siquidem populo neque proclive, neque tutum fuit, iis adversari, quæ ita fieri potuere, modò Deus vellet. Incumbebat demum affirmanti ea probare quæ doceret, liberumque interea populo judicium permittere: adeo ut heic satius longe fuerit dubitare, quam negare. Verum quinque Articulos supradictos (uti qui in corde describuntur) sine ulla hæsitatione accipiebant olim procul dubio Gentiles; de reliquis, puto, ambigebant, tum ii præsertim qui inter illos saltem Sapientiores existimabantur. Ecquis enim Sacerdotis alicujus revelationi particulari, vel ejus somnio, ubi in Templo per noctem integram cubasset, vel Dæmoni, vel Genio suo, vel ipsi Deo (uti illi videbatur) dictanti, eam fidem præstitisset; ut se totum illi crederet? Quum in re ancipiti & dubia, mendacióque simillima nihil aliud quam singularis testis de seipso loquentis verba proferrentur? At bonum aliquod saltem inde urgebat Sacerdos, dices? Verumenimverò si bonum erat, ex seipso suadebatur; sin malum, neque voci alicui articulatæ, quæ se Deum esse dictitaret, fidem adhibuerit vir Sapiens. At si è Templo, vel Tripode dictum fuisse, reponat Gentilis? Respondendum est, quis adstitit, aut præsens unà cum Sacerdote

 fuit,

fuit, qui vocem ipsam à Deo prolatam, certo sciret, & testimonium Sacerdotis confirmaret? Anne Deo ita familiaris erat olim quispiam, ut illum ex voce noverit; aut ita dicto audiens, ut voci alicui obtemperaret, quæ iniquum injustumque quippiam juberet? Quapropter arbitror quinque hosce articulos tanquam notitias communes à Gentilibus selectas, & à reliquis omnibus disparatas, & deinde tanquam veritatis incontroversas in foro interno habitas fuisse: alia porro omnia quæ ex oraculis, revelationibus, vel somniis suis adnecterent Sacerdotes, vel tanquam verisimilia tantum accepta, vel tanquam imposturam olentia, rejecta prorsus fuisse. Et quidem quum ex omni propositione nova per se expensa, novus aliquis excitetur sensus, sequetur ut tum varii probationis gradus in affirmante olim postularentur; tum ut assensus vel dissensus varii ex auditoribus inde orirentur; adeoque æquum omnino esse, ut existimemus in miro illo Religionis Centone à Sacerdotibus contexto, vel consarcinato, Gentiles hasce propositiones tanquam indubias prorsus, illas tanquam plus minus verisimiles, aut probabiles, illas tandem tanquam absurdas & absonas, aut impossibiles, aut falsas, apud se statuisse. Neque heic obstare potuit, quod non satis nudæ integræque sisti viderentur veritates supradictæ; sed neque quod mendaciis figmentisque contegerentur. Quamvis enim leviculæ quædam veritates ad modum eorum quæ in aëre se sustentant, vel aquis supernatant, ubi gravis aliqua moles superimponitur, statim deprimuntur, vel submerguntur, haut prius loco suo restitutæ, quam quæ illas onerarent, tollantur, vel decidant. Ejus divinæ tamen naturæ sunt, semperque fuere veritates quinque supradictæ, ut ad instar radiorum solarium (qui neque obrui à pondere quovis, neque difflari à ventis possint) in seipsis continuæ Animas humanas ubique terrarum collustraverint, ubi mentis aciem tantummodo advertere non dedignarentur. Hæ igitur synceri oris Gentilium Religionis partes fuere, reliquæ vel commentitiæ fabellæ, vel archetypæ nugæ, vel scitamenta quædam perhiberi possunt: inter quæ (damno mortalium) nonnulla insana, nonnulla etiam impia visebantur. Sed quum hæc omnia ex Sacerdotalis ordinis imposturis ortum traxerint, in illos præcipuæ prorsus reciderit culpa. Populus enim Pontificialis Sacerdotalisque Collegii jussis, in iis quæ ad Religionem spectabant, facile obtemperavit. Sed respondebunt fortasse Gentilium Patroni, me nimis aspere heic insectari Religiosum eorum cultum; præter seriam quippe Virtutis praxin apud illos haut secus ac nostros jejunia, eleemosynas, supplicationes publicas extitisse, inter illos Hierarchiam, Sacerdotalemque ordinem eminuisse. Brevi, nihil heic interfuisse, quam quod illi suas fides, sive ritus à majoribus suis traditos, uti nostri, fides.

fides sive ritus nostros, à nostris utique majoribus facile acceperant. Haut igitur culpandos esse Gentiles, si ea comprobarunt, quæ serie bene longa tradita essent. Et quidem Gentiles ex abstinentia ab esu carnium se ad cultum divinum peragendum idoneos reddere voluisse, satis liquet; adeo ut non Philosophos tantum, inter quos Porphyrius eo nomine insignis, sed primores viros, quales fuere Numa Pompilius, & Iulianus Imperator, jejuniis deditos fuisse constet. Amphiaraus vates summus (ut Volaterranus habet) jussit Sacerdotes, qui responsa clara accipere, & reddere sincere vellent, integrum diem à cibo, à vino autem triduo abstinere. Quod idem etiam apud Trezenios imperatum iis, qui rem divinam facerent, narrat Alexander ab Alex. lib. 6. Qui volebant Sacris Isidis initiari, illis jejunium decem dierum indictum fuisse, author est Apulejus l. 2. Quod etiam de iis qui Sacris Cybeles initiati fuere, suspicari licet, cum inter Sacra Sacerdotesque utriusque Deæ, tanta olim convenientia esset. Atque huc puto respicit locus Tertullsani, ubi de Casto Isidis & Cybeles loquitur: *Haud aliter Castos nempe ad aliquod tempus saltem decem dierum jejunium* (neque enim de pura inedia loquar, ex qua post quatriduum hominem sanum mori, docent Medici) *faciet, quam ipsa testium exectio.* Quinto quoque anno jejunium in honorem Cereris indictum fuisse, author est Livius l. 44. idque mandatum ex Sibyllinis libris. De Sacris abstemiis, sive νηφαλίοις Cereri factis, loquitur quoque Dionys. Halic. lib. 1. In luctu etiam publico Albanos ab esu carnium se continuisse, idem Dionys. est author l. 3. Eleemosynam sive largitionem quoque apud Gentiles in more fuisse, præclarus in Act. Apost. cap. 10. locus non solum firmat, sed etiam Eleemosynas viri Gentilis Deo summo acceptas fuisse, perhibet; uti supra diximus. Inter Imperatores Antonius Caracalla *non tenax in largitionem, non lentus in Eleemosynam dicebatur.* Inter Philosophos Democritum, Aristotelem; & inter Oratores, Demosthenem non segnes in Eleemosynam pauperibus & egenis erogandam fuisse, tradunt Stobæus, Laërtius, & alii. Homerus alicubi ait, *à Deo punitos iri homines, qui mendicantibus ad fores domus eorum stipem negaverint.* Sed hoc etiam probat antiqua illa indulgentia in pauperes omnes, ex quâ factum, ut paucissimi olim mendici essent. Neque diffitendum est supplicationes publicas factas fuisse olim, ubi res aliquas præclare, vel etiam sinistre gestas fuisse contigit. Cæsar *lib. 4 de Bello Gallico* etiam viginti dierum supplicationem à Senatu decretam fuisse, narrat. Cicero etiam in Catilinam de supplicatione suo nomine Diis immortalibus à Senatu decreta loquitur, eamque ad omnia pulvinaria Deorum factam fuisse perhibet. Neque aliquid frequentius olim fuit in rebus arduis, & periculi plenis, quam vota Diis nuncupare, (hinc enim ince-

ratio genuum Deorum ) & bonas preces precari. Quæ quin à Deo summo exaudirentur, haut dubitaverit ille, arbitror, qui orationem sive preces Cornelii hominis plane Gentilis, loco supra allato exauditas fuisse, secum reputat. Tandem etiam Hierarchiam apud Gentiles extitisse olim, extra dubium poni fatemur; at non juxta eandem ubique formam. Luperci, Panos Lycæi Sacerdotes, ante Vrbem conditam, ab Euandro Arcadum rege in Italiam introducti, sedes suas in monte Palatino figebant; quorum Sacra mense Februarii instituta, in purgationem incolarum facere credebantur. De Ritibus eorum insanis vide Dion. Hal. l. 1. hos feram quandam sodalitatem vocat Cicero pro Cælio. Tres ordines Lupercorum olim fuere, Fabiani, Quintiliani, & postea, in honorem Iulii Cæsaris, alii Iuliani dicti. Inter exotica Sacerdotia fuit illud quoque in Cereris honorem institutum, cujus Sacra per fœminas sacerdotes vel Sacerdotissas facta. Vetusti etiam admodum fuere Potitii, & Pinarii, Herculis Sacerdotes, qui, nomen ex duabus familiis nobilibus trahentes, curam Sacrorum Herculis ritu Græco peragendorum, per aliquot sæcula susceperant. Longe tamen ante hosce fuisse Sacerdotes, non in Græcia, Orientalibusque regionibus tantum, sed inter ipsos Aborigines; atque Reges ipsos præsertim Sacerdotes fuisse, plurima veterum loca testantur. De Numa Pompilio Livius libro primo; & Dionysius Hal. libro 2. tradunt multa Sacerdotia ab eo instituta fuisse, ipsum tamen quædam obiisse; sed ea maxime, quæ postea ad Flaminem Dialem fuerint delata; unde liquet tum Iovis *Iuvantis* scilicet Patris cultum antiquiorem, tum ad Flamines, Diales Numæ Sacerdotium transfactum fuisse. Flamines autem, qui Græcis στεφανοφόροι, duplices reperio, quorum qui majores, Patritii, qui minores, Plebeji fuere, si Festo credendum: ut falli videatur Choul, qui de Archiflaminibus, quasi gradu quodam sive ordine reliquis antistarent, loquitur. Flamines autem Diales 15 fuere numero, ut idem Festus habet, qui eos maximæ fuisse dignationis testatur, utpote qui Iovi ministrarent; Flamines quidam vocabantur Curiales, vel Curiones, nempe Curiæ, uti Quirinales Quirini, & Martiales Martis Sacerdotes. Fuerunt & Arvales duodecim fratres à Romulo instituti, quibus hostiarum Ambarvalium, ita dictarum, quod arva ante sacrificium ambirent, cura commissa fuit. Fuerunt etiam Salii 12, à Numâ Marti Gradivo instituti, qui Ancilia gestantes canebant carmina *Saliaria* dicta, cum tripudio, & saltatu, ut Livius habet l. 1 ab V. C. quibus peractis, *Cœnæ Saliares* dictæ apparabantur. Fuerunt & alii plurimi Sacerdotes. Nam Numa solus, præter Gentilia Sacerdotia, qui pro Civitate tributim & centuriatim Sacra facerent, 60 sacerdotes sive Deorum ministros instituit; qui temporibus sequenti-bus

*Suetonius in Iulio.*

bus aucti fuere: sed neque ulla venalia habere voluit Sacerdotia, neque sorte distributa, sed lege sanxit, ut è singulis Curiis legerentur bini, annum egressi quinquagesimum, qui virtute & genere præcellerent cæteros, opesque haberent sufficientes, & integro essent corpore, qui in omnem vitam honore eo fruerentur, immunesque propter ætatem à militia, & propter privilegium exempti ab urbanis molestiis essent. Quædam etiam sacra per mulieres fieri jussit; quædam porro per pueros patrimos matrimosque; quin, & (eodem authore) Sacerdotum uxores cum suis maritibus fungi Sacerdotio voluit. Romanorum denique in Sacris morem sive ritus à Græcis deprompros fuisse, docet idem Dion. Hal. inter alia ajens, quod Virgines apud Romanos præstabant, idem apud Græcos κανηφόροι, quod Camilli, idem apud Græcos Κάδωλοι. Sed uti Romanos in Græcorum morem, in sacris, & ritus transiisse heic liquet, ita & Græcos ritus suos, ut plurimum ab Orientalibus hausisse, verisimile est. Antiquissimæ enim fabulæ invulgabantur, antiquissima ab illis manavit superstitio. Vatem præterea unum ex quaque tribu sacris interesse voluit Numa Pompilius, quem Græci ἱεροσκόπον (inquit) appellant, Romani Haruspicem. De Sacerdotibus autem, Deorumque ministris legem tulit, designari eos à suis Curiis; quam electionem demum ita ratam haberi, si comprobata fuisset ab auguribus, qui cum Pontificibus & duobus sacrificis ad leges sanciendas adhibebantur: quo tempore Pontificum munus erat, ut non solum solennes preces, & vota facerent; sed ut de iis quæ ad Religionem spectant, in Senatu decernerent. Pontifices quippe Senatores fuisse, docet Cicero ad Attic. lib. 4. Pontifices porro omnes lites sacras judicasse, inter privatos pariter ac magistratus, & sacrorum ministros, author est idem Dion. lib. 2. Quin neque factorum rationem reddere Senatui, vel populo tenebantur. Hoc autem summum fuisse Sacerdotii genus, testatur idem Dion. Hal. qui Pontifices vocat ἱεροδιδασκάλους, ἱερονόμους, ἱεροφύλακας & ἱεροφάντας, id est, *Sacrorum doctores, administratores, custodes & interpretes.* Horum siquis è vitâ excesserat, in defuncti locum alius subrogabatur non populi suffragiis, sed qui Collegio maxime videretur idoneus: ex omni civium numero eligebatur, qui tum demum Sacerdotium adibat, ubi Collegii Iudicium fœlici augurio comprobaretur. Augures quippe tanquam omnium divinationum peritissimi non de avium volatu tantum, sed etiam de signis aëriis, cælestibus & terrestribus conjiciebant. Augures etiam ex diris (quæ vel omina, vel offensiones, vel voces incerto authore emissæ & auditæ, aut denique occursus hominum aliorumve animalium minus auspicatorum fuere)

fuere) ex ventis, somniis, prodigiis, oraculis, & portentis auguria captabant. Augures porro ad Legum confirmationem, & magistratuum creationem adhibiti fuere; ab Sacerdotali ordine demum ita distinguebantur, ut hi auguriis vel auspiciis solummodo, illi sacris præessent; ita tamen, ut authoritas rerum bene gerendarum augurio contineretur; uti Cicero lib. 1 de Nat. Deorum docet, qui & ipse Augur publicus fuit. Horum Collegium quoddam habebatur, cujus frequens apud authores mentio. Augures quatuor à Romulo constituti, ad numerum 15 postea aucti fuere, qui etiam Pontificum numerus fuit; inter quos, qui ætate antiquior, Magister fuit. Pontifices & Augures demum unum è senioribus designabant, qui præter cultus divini curam nulli alii præesset muneri, & *Rex sacrorum* vocaretur: quò Regis nomen ita conservaretur, Regia potestas vero ad sacra tantummodo restringeretur, Dion. Hal. lib. 5. Haruspices victimas in arâ aspiciebant, unde, juxta aliquos, nomen illis inditum: alii nomen ab *Harugâ*, loco ubi concludebatur hostia, derivari contendunt. Sed placet priorum sententia; nam Extispices iidem dicti fuere: hi pariter ac augures divinatores, velut etiam fœminæ Haruspicæ dictæ. Sed hæc integrum volumen, uti supra diximus, postulant. Libros denique quosdam sacros habuere Gentiles cujusmodi fuere Libri *Lintei* dicti, in æde Iunonis Monetæ inter Romanos servati, fata Romani Imperii continentes. Liber rubris literis conscriptus, inter Ægyptios celebris, quem ab Accipitre (avi Osiridi sive Soli dicatâ) vectum fuisse perhibebant. Inter Græcos Libri sive litteræ quædam, *Eleusyniorum* sacrorum ritus continentes, inclaruere. Fuere etiam alii, *Apollinis Libri* dicti, & *Hetruscorum* libri, & libri *Sibyllini* dicti, prædictionibus conferti, quos aperire, vel proferre penes Sacerdotem *Sibyllæ* tantum jus fuit. Fuerunt etiam alii libri *Augurales*, alii *Haruspicini*, Auguriorum & Extispiciorum mysteria continentes: alii etiam *Fulgurales* dicti, qui Fulgurum observationes complectebantur. Quidam tandem *Rituales* vocabantur, quod ritus præcipuos sacrorum indicarent; inter quos insigniores haberi possunt octo illi libri à Numa Pompilio conditi, omnia ad Religionem & sacra spectantia designantes.

*L. Flora. Ep. 9.*

*Libri Lintei.*

*Liber ab accipitre vectus.* *Libri Eleusyniorum sacrorum ritus continentes.* *Apollinis Libri.* *Hetruscorum Libri.* *Sibyllini Libri.* *Libri Augurales.* *Haruspicini Libri.* *Libri Fulgurales.* *Libri Rituales.*

Hæc inquam & consimilia Virtutis, Pietatis, Hierarchiæque priscæ argumenta, licet adducant Gentiles, imò licet Hierarchiam illam tandem ubique conspicuam fuisse, contendant; licet libros sacros vaticiniorumque plenos, ab iis qui spiritu divino propheticoque correpti fuere, proferant; quò ita perantiquus pervulgatusque illorum assereretur cœtus: licet seipsos tandem mediis iisdem (ex rectæ saltem rationis normâ) præcipuis quæ apud nostros extant, usos fuisse, quin

&

& media illa ad cæleſtem vitam conſequendam direxiſſe perhibeant. Haut efficient tamen hæc, ut ab Idololatriæ ſuſpicione, nedum ab ipſa Idololatriâ, ita ſemetipſos purgare queant Gentiles, quin anſam graviſſimam errorum populo (qui ſymbolicum illorum cultum haut ſatis forſan intellexit) ubique dederint; at neque ut non fabulares eſſent eorum Hiſtoriæ, ritus inepti; ut non Virtus, Pietaſque omnis denique à Chriſtianâ Eccleſiâ inſtaurata ornataque eſſet. Sed quid boni malive Religionibus eorum ineſſet, ulteriorem meretur diſquiſitionem. Et quidem quinque hoſce articulos bonos catholicoſque eſſe, unuſquiſque proculdubio fatebitur: ad ſalutem tamen æternam comparandam, non ſufficere perhibebunt nonnulli. Cæterum qui ita locutus fuerit, næ ille quidem audax; nedum ſævum temerariumque effatum (meâ ſententiâ) protulerit; quum nulli ſatis explorata ſint judicia Divina; quam etiam ob cauſſam, neque eas ſufficere protinus dixerim: attamen magis probabilis mihi videtur eorum opinio, qui æque piè ac leniter de Dei judiciis ſtatuunt, dum homo quod in ſe eſt præſtat; neque enim in cujuſvis poteſtate eſt, ut fides, ſive traditiones quantumvis laxæ, (præſertim ubi aliquâ ex parte controvertuntur) ad ſe ſatis pertingant, neque tandem ex rectâ communique ratione quinque Articulis noſtris addi poteſt dogma, unde magis ſinceri piique evadant homines; aut pax concordiaque publica magis promoveatur. Sat equidem ſcio plurimas ubique fere gentium, invulgari doctrinas, unde in ſpem veniæ citò adducantur peccatores; ſed & doctrinas illas ingens ſolatium peccatoribus afferre: vereri tamen heic liceat, ne doctrinæ illæ (niſi rite cauteque explicentur) peccatoribus officiant, utpote qui ex facili delictorum ſuorum condonatione, ad volutabrum citius revertantur, & in fœdiora ſubinde delabantur crimina: dum enim ex ſubſidiariâ operâ ſalutem ſuam impetrari poſſe credunt, quæ ad ſuas ſpectant partes, deſtituunt ut plurimum, vel negligunt. Sed virtutem & pœnitentiam pariter ſuaderi, vel etiam indici, reſpondebunt Sacerdotes. Verumenimvero, ut hoc etiam concedatur, communis tamen teſtatur experientia, ab externis auxiliis potius quam ex virtute & internâ pœnitentiâ ſalutem æternam peti ſolere.

Si tamen plurima alia ad Religioſum Dei cultum poſtulari, quam quæ in quinque articulis ſupra memoratis continentur, mordicus contenderint ſive prioris, ſive poſterioris, ſæculi Sacerdotes, ea nempe, quæ ex oraculo aliquo divino ſive effato, aut verbo Dei jubentur; ita quidem, pace tantorum virorum, non inepte reſponderit Laïcus Gentilis, ſcilicet ut oraculum hujuſmodi, ſive effatum, ſive verbum Dei

afferatur: hæc requirere: 1, utextra dubium omne ponatur, Deum summum oracula edere, vel articulata voce loqui solere. 2, ut Sacerdos, qui oraculum illud, vel verbum percepit, certò sciat id à Deo summo profectum esse, sed neque à bono aliquo, vel malo Angelo; quin tandem neque semetipsum exsternatum tum temporis, neque delirum, neque semisomnem fuisse: 3, ut probè constet oraculum, sive verbum illud fideliter recitatum, redditumque populo fuisse, aut ubi opus esset, scriptum, vel exaratum, & ex Sacerdotis autographo ad posteros transmissum, adeo ut si aliquid sequentibus sæculis auctum illic, vel imminutum, aut immutatum foret, id omne ex Autographi illius authoritate corrigi possit: 4, ut cunctis sit manifestum, doctrinam, quæ ex oraculo, sive effato, aut verbo Dei cuditur, ad posteros ita intime spectare, ut in Fidei articulum necessariò transeat, tum ob id potissimum, quod ex testis singularis officinâ hujusmodi omnia fere prodeant. Hæc inquam si faxint Sacerdotes, utramque paginam etiam illos fecisse fatebitur facile Laïcus Gentilis.

## CAP. XVI.

### *Censura Religionis Gentilium, ejusque occasio.*

POstquam Religionem aliquam (qualiscumque ea esset) omni sæculo & regione obtinuisse, & in eum porro finem editam fuisse intellexeram, ut homines ad ea quæ ultro facere debuissent, adstringerentur, communisque unà aleretur inter omnes concordia; nihil mihi magis admirationi fuit, quam quod eadem Religione usi ut plurimum Sacerdotes, ad ea quæ fieri non debuêre, atque inde in dissensiones contentionesque asperrimas populi animos concitarent: quapropter dubitare cœpi, num Religionibus quibuscunque non frivola tantum, sed perniciosa noxiaque bonis utilibusque admista dogmata inessent; varias deinde perantiquæ illius & pervulgatæ Religionis Gentilium partes pensitans, ad eas me præsertim contuli, quæ maxime necessariæ, & ex ratione communi depromptæ viderentur; hasce enim ante omnes asserendas, suoque nitore à situ, quo fere squalebant, vendicandas esse censui. Atque ita (sed non sine multiplici accuratâque Religionum tum dissectione, tum inspectione) quinque illos Articulos jam sæpius adductos deprehendi. Quibus etiam inventis me fœliciorem Archimede quovis existimavi. Quid enim mihi gratius esse potuit, quam ut inter plures Deos, sive Numina à Gentilibus celebrata, Maximum aliquem eundemque Optimum Deum, virtute omnimodâ & pietate

tate ante omnia coli debere, tanquam veritatem indubiam, ubique ſanciri perſpicerem? quid demum poſt tot expiationum luſtrationumque ſolemnia, in ſe ipſo æquius, aut gratiæ Divinæ in corde operantis certius ſignum, aut tutius in peccatorum abolitionem remedium excogitari potuit, quam ut homines ob delicta ſua intime dolerent, ab iiſque reſipiſcerent? Quid juſtitiæ Divinæ tandem magis congruum, quam ut unicuique ſive in hac vitâ, ſive poſt hanc vitam, pro ratione actionum, verborum & cogitationum ſuarum præmium vel pœnam retribueret Deus? Quum haſce igitur eximias veritates ſeorſum paraſſem, diſquiſivi porro, quid hiſce adjecerint, vel quidem adjicere poſſent Sacerdotes, unde certior fidei circa ſalutem æternam daretur norma, aut vitæ integritas, ſanctitaſque magis promoveretur, aut communis ubique ſtabiliretur concordia. Videbam ſatis alia atque alia heic addi poſſe, quin & addita fuiſſe; ſed quæ veritates haſce obſtruerent enervarentque potius, quam vim roburque illis conciliarent: ſed & quænam ea eſſent, ſedulo inveſtigavi. A cauſis primordiiſque Gentilium Religionis ſupra allatis ideo initium ſumens, cenſuram hanc coronidis loco attexui; parum ſollicitus ſi ſuum interponat judicium lector, quum diſſentientes heic facile feram.

Et quidem ubi à clariſſimis Gentilium Philoſophis dicitur, Deum ſummum beatum ſemper, & à curis, interpellationumque moleſtiis immunem degere vitam, eamque ob cauſam Diis inferioribus, ſed Cœlo & Stellis fixis præcipuè rerum cunctarum ſublunarium imperium adminiſtrationemque tradidiſſe, & leges ſimul æternaque mundi fœdera in illis deſcripſiſſe? quia parum veriſimile eſſet, Deum ſummum, pro ſapientiâ bonitateque ſuâ, hanc mundi Civitatem, ſine legibus, unde gubernarentur præcipuæ ſaltem ejus partes, ab initio condere velle; quum neque Vrbem aliquam vel Remp. ſine legibus heic aliquis fundaret. Eaque ex cauſâ in Cœlo & Stellis fixis præſertim, ſed & in ipſis etiam Elementis quodammodo, totâque denique rerum naturâ legem quandam divinam, ſive fatum, ſive ordinem datum fuiſſe, à quâ nunquam recederet, vel quidem recedere vellet immutabile æternumque Dei ſummi conſilium. Inter quas quidem leges ortus & interitus, periodos quaſdam conſtitui, media ad vivendum heic commode, tum ad meliorem vitam poſthac adipiſcendam ſubminiſtrari, præmia bonis, ſupplicia malis deſtinari, compluraque alia, quæ vel ſupra attulimus, aut ex conſtanti rerum obſervatione affirmare licet, docebant ſaniores ſaltem Philoſophi. Quæcunque demum uno eodemque modo ſeſe habent, ubique ad æternas illas leges revocari poſſe. Quibus etiam

præfinitis mundum hunc conditum fuisse à Deo summo, sed qui Diis aliis supercælestibus ante omnia sæcula stipatus esset, asseverabant.

Res vero cunctas mundanas, quæ varias exlegesque mutationum vices subeunt, nulloque certo tenore comprehenduntur, à Sole & Lunâ & reliquis Planetis administrari; quas idcirco præ reliquis Stellis à mortalibus colendas esse contendebant Gentiles. Rerum vero omnium compositarum, quæ aliqua ex parte immutabiles essent, ex aliâ mutationem subirent, ab stellarum fixarum & Planetarum zyzygiis variis peti debere, docebant Gentilium profundiores Philosophi. Sed & Elementorum in se recursus & operationes heic quoque speculabantur, adeo ut Elementa etiam, & totum denique mundum coli oportere perhiberent Gentiles. Humanarum denique rerum, sed earum potissimum quæ ex arbitrio humano penderent, vel deducerentur, non præsides, judicesque tantum, sed patronos etiam & mediatores Heroas quosdam, ex meritis suis in Cælum relatos, à Deo summo indictos esse; ad quos igitur mortalium preces dirigendæ essent, quum (Deo ita volente) in id munus sufficerentur, ut particularium curam gererent? Beatum quippe Deum particularium (nisi quatenus in specie genereque suo continerentur) rationem habiturum, ab antiquioribus ἄπαν, vel absurdum esse existimabatur; adeò ut satius ducerent particularium administrationem hominibus probe hac vitâ functis demandatam à Deo summo fuisse; quos ideo sacrificiis conciliandos esse suadebant Sacerdotes. Deos subcælestes demum, putà dæmones, Lares, Lemuresque & alios supra adductos, uti qui ancipitis essent naturæ, sacrificiis etiam ritibusque compluribus coli debere, ne nocerent; quum homini non minus intersit mala avertere, quam quæ bona, sibi comparare. Contumeliam denique Deo Opt. Max. illaturos, qui malorum nostrorum causas (nisi ubi in peccatores ex justitiâ Divinâ animadversum esset) à Deo Opt. Max. accerserent. Hæc inquam paucis expendemus, quum plura alia huc spectantia suo loco videre sit. Ita tamen ut hoc pensum, ab celebri aliquo Authore accuratum iri velim, quum Gentilium Religionum minutias exequi, neque per ætatem, neque per otium satis liceat. Non quidem ut ea quæ longe profligaverim, patrocinio tuerentur, sed ut erroribus Gentilium excussis, præstantiores ejus saltem emicarent partes. Haut enim sine aliquibus rationum momentis condi potuit, quæ per tot sæcula longe lateque viguit Religio. Historiæ, sive fabulæ Deorum Gentilium etiam pueris notæ, ab iisque explosæ sunt; principia verò causæque, unde tota primo constiterit Religionis eorum fabrica, neque à sagacissimis, puto, viris satis adhuc percipiuntur;

piuntur; sed in re arduâ aliquid prætentandum est. Atque primo ubi dicitur Deum summum ab initio legem quandam divinam, sive Fatum, sive ordinem quendam naturalem constantemque in rebus posuisse, id quidem in iis omnibus, quæ, ex naturæ impulsu, necessario agunt, manifestum satis esse opinor. Verumenimvero ut ab Cœlo stellisque fixis, aut ab ipsis tandem Elementis, simpliciter hujusmodi actiones cunctæ penderent, nulla satis suadet ratio, quum uniuscujusque rei naturalis formæ aliquid à Deo summo indi possit, à Cælesti vel elementari naturâ adeò diversum, ut huic vel illi individuo, vel speciei solummodò sit proprium. In quam sententiam eò potius inclino, quod non in hominum tantum intellectu, sed in ipsâ ejus conscientiâ, notitiæ quædam particulares describantur, quæ nulli præterea animali ex usu forent: adeo ut si homini tanquam insigni hujus mundi parti notitiæ illæ immediate à Deo summo potius, quam mediantibus Cælo, vel stellis fixis, inserantur, haut necesse erit primas illas rerum naturalium, uno eodemque modo se habentium, causas à Cælo vel stellis fixis, vel Elementis, accersere. Hoc tamen libens concesserim, nempe à Cælo, & stellis fixis præsertim, rerum omnium hujusmodi ubique causas, si non proximas, saltem præcipuas peti debere. An verò leges divinæ in Cælo & stellis descriptæ, uti ad ortus & interitus causas, vel etiam ad media unde victus vel vestitus conquiritur, spectant: ita etiam decreta æterna circa præmia, vel pœnas, in se contineant, haut satis mihi compertum est. Licet enim eodem recidat, ubi media finibus apte connectuntur, ut dixeris, præmia virtutibus ante omnia sæcula, supplicia vitiis à Deo summo decreta fuisse, vel ea in tempore quodam sequenti, & juxta particulares hominum actiones indies constituta esse; quum utroque modo de reipsâ conventum sit: Quia tamen non ita necessarias, ac voluntarias heic respicit actiones Deus, ex iisque homines sive bene, sive male se gessisse judicat, ideo quidem ab æternis Dei decretis (aut non iis tamen quæ cælo vel astris describuntur) præmii vel pœnæ caussas petierim; quum nihil Deo sapientissimo maximoque dignius vel imaginari fas sit, quam ut omnia quæ citra arbitrii humani violationem (quod character infinitatis divinæ in homine existit) constitui ab æterno possent, ea etiam omnia constitueret. Tum denique, quod perinde fere sit, ut præmia aut supplicia ab æterno hominibus daret, ac si homines illis decretos fuisse dixeris. At quorsum preces bonæ, inquies, si fixæ rataque præmiorum virtutis, suppliciorum vitii ab æterno sint leges? verumenimvero si preces bonas inter media ad salutem illam æternam adipiscendam enumerare oportet, virtuti quædam præmia, sed intervenientibus bonis precibus dabuntur,

 ne

ne aliter forsan nimis fastidiose semet quis attolleret virtutibus prædi-tus. Qua etiam ex caussa,ad humiliandum hominem, pœnitentiam, sive dolorem ob peccata internum, tum ea omnia quæ hominem in officio contineant, à nobis exigit ex æterno suo decreto Deus; ut interea heic quoque parum intersit, ubi mediis debitis apte usus fuerit mortalis, an salutem illam æternam Virtuti, Pietati, fideique suæ decretam ab initio fuisse; an ejus momenta de die in diem exorata esse statuerit. Haut mi-nus scilicet ea lege voti compos erit homo, quam si Deum ex votis pre-cibusque quotidianis ad nova & repentina consilia sollicitaret, flecte-retque: verum hoc, de legibus Dei ab mundi initio positis, dogma inter doctiores solummodo obtinuit; quod haut aliter viderint quomodo vel à curis liberaretur, vel beatitudine sua propria satis gauderet Deus. Po-pulis quippe satis habebat media debita tum adhibita olim à *Deo fuisse*, tum adhiberi ex illorum parte deberi, ut bene beateque viverent. Ne-que vexata inter illos erat quæstio, utrum ea quæ à superis flagitaverint, ab initio decreta, an ex novis consiliis profecta essent. Quod deos super-cælestes quosdam, consortes fœlicitatis suæ ab æterno habuerit Deus summus, neque probari satis, neque negari potest; ut magis verisimile tamen illis existimaretur, Deum summum aliquos beatitudinis suæ con-sortes ab æterno habere voluisse, quam ut miseros homines in beatum illum statum subsequentibus temporibus, adsciscеret. Quid, quod tran-quillus aliquis respectu sui ipsius solummodo, fœlix beatusque non nisi respectu plurium proprie prædicari soleat?

Quod rerum omnium anomalia ab Planetarum diversis *aspectibus &* motibus inter se comparatis pendeat, eò magis haberi poterit verisimi-le; siquidem rerum omnium, quæ uno eodemque modo se habent, caussas ab stellis fixis unice peti debere, satis probatum adhuc esset, tum præsertim, si ex stellarum fixarum & erraticarum (pro variis ea-rum configurationibus) inter se comparatione, ea quæ *vicissitudinem* aliquam induunt, deducerentur. Cæterum in re ardua *aliquid* statue-re, haut ita proclive est; ut ingenue tamen heic fatear, Ethnicorum sen-tentiam adeo probabilem mihi hic videri, ut nullam ex certa ratione il-larum rerum adduci posse caussam magis idoneam, existimem. Hoc so-lummodo dicimus, quod stellas fixas vel erraticas cultu proprio, eoque simpliciter divino afficere, ingens mihi videatur error; adeo ut nisi symbolicus Dei summi, tum Dei summi in Stellis, tum Stellarum in Heroïbus, tum Heroum in statuis cultus olim esset, Gentilium heic opi-nionem prorsus rejecerim. Neque obstat quod Indi, tum Orientales, tum Occidentales, plerumque Solem, Lunam, Sydera, Cælum & Ele-menta hodierno die colunt, quum recens nato nihil adeo in veneratio-nem

nem patere affirment : licet enim in ſingulis Mundi partibus cognoſcatur, in cunctis ſimul junctis recognoſcatur Deus ſummus ; an ideo partes illæ colendæ ſunt, quapropter Deum ſummum ſolum tutò coli poſſe, cenſemus. Cæterum longe minus incongruum mihi videtur, ut Stellas erraticas potius quam Cælum, aut fixas religioſe colerent Gentiles, quum in Cælo & ſtellis fixis inexorabile illud Fatum deſcribi exiſtimarent : in Planetis vero, forſan quod impetrari poſſet. Aſt quia non ſolum ab Cælo, aut aſtris fixis, aut ab erraticis, ſed ab Elementis, inferioribuſque quibuſdam principiis, uti ſupra adnotavimus, plurima heic neceſſario deduci putarent Gentiles, adeoque Mundum univerſum coli debere ſtatuerint : de hoc quidem dogmate idem ac de priore cenſeo : nempe niſi ſymbolicus fuerit, erroneum mihi prorſus videri cultum illum. Cæterum quod ſymbolici fuerint olim hujuſmodi cultus, multæ, quas ſupra adduximus, ſuadere videntur rationes : ſed ſuo judicio heic quoque utatur Lector. Quod haut omnia ex Cælo & Stellis fixis ſimpliciter, aut ex Planetis, aut ex ipſis tandem Elementis heic pendeant, ſed quædam etiam ex arbitrio illo, quod hominibus ( ex ſingulari Dei bonitate ) inditur, id quidem tum rectæ rationi conſentaneum, tum ex ſenſu interno ſatis probari poſſe, arbitramur. Quin & ex arbitrio illo bene vel male impenſo, rationem boni vel mali, unde Deus ſummus de hominibus cognoſcat, peti debere exiſtimamus. Adeo ut licet ex prioribus principiis mala Pœnæ (ſed interveniente Iuſtitia Divina) deducuntur ; ex arbitrio humanò ſolum mala culpæ accerſantur. Quod tamen actionum illarum, quæ ex arbitrio humano ortum ducunt, heroës Gentilium in Cælos relati, vel Præſides, in hac vita, vel Patroni, vel Mediatores, vel Iudices poſt hanc vitam conſtituerentur ; id quidem ut à recepta inter plurimos hodierno die ſententià non prorſus abhorreat ( quum heroibus Gentilium ea ipſa propemodum munia, quæ olim divinis ſanctiſque animis in Cælum receptis, ſæculis fieri poſterioribus tributa ſint ; ) in ſimplici conjectura poſitum eſſe credimus ; quum neque ex vi rationis,aut fida aliqua experientia,conſtare poſſe hoc dogma cenſeamus. Quis enim Cœlites quoſvis precibus votiſque veterum ita flexos olim fuiſſe ſcripſit Author, ut eorum quæ peterent, compotes ſtatim fierent ? ſiquidem quæ ex æternæ Legis præſcriptis juſta æquaque eſſent, peterent ſupplices, heic quidem votis precibuſque eorum ubique animi, nullus dubitaverim : ſin minus, irrita ceſſiſſe vota. Fruſtra quippe vociferationibus, vel clamoribus ullis, vel artificioſiſſima quavis eloquentia à Cælo exorare conati fuiſſent Gentiles, quæ inique peti videret Deus ſummus. Quapropter ut preces in ordine ad vota noſtra conſequenda, ab æterno ſtatuantur, haut inde tamen

æterna

æterna Dei inhibentur consilia, justa avertuntur judicia. Sed Gentiles reponent, Deum semper beatum & à curis particularium (nisi quatenus in specie genereque suo continerentur) solutum, hanc provinciam bene meritis heroïbus ab initio donasse; adeoque verisimile saltem esse, vota precesque mortalium haut ita neglectas fuisse, quin à superiori aliquo Numine procurarentur: haut tandem in re dubia adeò idoneum aliquod statui posse medium, quam ut à Deo summo homines hominum sive Patroni, sive judices constituerentur, heroas suos sententiarum suarum certitudinem ex legibus æternis depromere; atque ita neque fallere neque falli posse. Cæterum neque ex hoc argumento satis evincitur Gentilium doctrina, quum Dei summi natura intima adeo parum nobis sit cognita, ut quæ beatitati providentiæque suæ congrua sint opera, ex ingenii nostri dimenso, judicare nequeamus. Si tamen priora Gentilium de Deo summo, beato, & à curis soluto, tum etiam de Cælo, Astris, & Elementis dogmata firma satis validaque essent; hanc quidem opinionem ex consequentiâ quadam haut ita ineptè deductam esse, existimaremus. Sed ut nihil heic statuamus, quam quod ex præmissis satis probabilis illis videretur saltem hæc opinio; cæterum quod Heroes Gentilium, qui nobis ab antiquitate consignantur, hoc munere digni essent, absurdum esse putamus, quum etiam complurima turpia ab illis patrata fuisse, neque pueros ipsos lateat: sed peccatorum veniâ impetratâ Heroïbus suis, ubi Dii facti essent, haut minus leges ex re nata judiciarias, ac Cælo ac Astris fixas æternasque leges tradi à Deo summo potuisse, asseverabant Gentiles. Verum heic quoque respondeo, Heroës illos, licet Cælum ex peccatorum suorum condonatione adipiscerentur, haut eos tamen fuisse, ut hominum optimi præstantissimique haberentur. Quis enim non quædam à Iove, Mercurio, Venere, aliisque eorum Diis gesta, non aliquando rideret, non sæpissime damnaret? sed heic quoque respondebunt Gentiles, inter plurimos Ioves, Mercurios, & Veneres, qui olim celebrati fuere, *hujus vel illius* Iovis, Mercurii & Veneris Sacerdotes alios exterarum nationum omnes sugillasse, vel subsannasse, dum quæ homines olim in terris fecere, ea omnia, sive Poëtica, sive Sacerdotali licentia Heroïbus illis, postquam in Deos relati essent, affingerent: hoc etiam vice versa ab aliis sacerdotibus, sive scurris præstitum fuisse! nihil demum non confusum, non temeratum in Gentilium de Diis suis historiis extare; ut tamen ex communi hominum suffragio nulli fuerint tunc temporis magis eximii, aut cultu quovis inferiori digniores viri. Verum ut hoc quoque detur, cur non saltem fabulas illas ex publico aliquo edicto, vel lege suppresserunt Gentiles, ne exempla patrociniaque delictorum suorum ex

Dii

Diis illis peterent mortales, ſuaviuſque inde peccarent ? cur non damnatæ fuerunt hiſtoriæ, quæ in Deorum hominumque contumeliam redundarent ? ſed allegoricum aliquem ſenſum in fabulis veterum ſubfuiſſe, cujus expoſitio à Sacerdote haurienda eſſet, dicunt Gentiles. Non heic repugno : vix enim aliquid aliud ita ridiculum, aut fatuum inſipidumque vel imaginari licet, niſi ſub tegminibus fabularum illarum aliquid nuclei lateret. Haut tamen ita effugient Gentiles, quum quæ ſcitu digna apertiſſime doceri etiam invitis Sacerdotibus oporteat. Sed perhibebunt denique Gentiles, præclariſſima quævis Religionibus eorum ineſſe ; eximia demum de Diis ſuis narrari ; hiſce fidem adhibendam eſſe, reliqua vel tanquam dubia in medio relinqui, vel ſaltem ex authoritate Pontificis Sacerdotaliſque Collegij aſſeri debere. Hoc etiam ut affirmarent, ita fere argumentabantur Sacerdotes : Credendum eſſe iis omnibus quæ à fide dignis circa res quantumvis miras priori quovis ſæculo geſtas patrantur. Rudis & temerarii hominis indicium eſſe, ea tanquam falſa reſpuere, quæ ita fieri potuere, & in Dei ſummi gloriam cederent : Prophanis hiſtoriis ſuam fidem demum ; ſed divinis longe certiorem adhibendam eſſe. Cujus Achillei eorum argumenti vis tantum apud mè potuit, ut Authoribus undique quæſitis, non miracula ſolum, ſed communiores etiam eventus, qui in Dei ſummi gloriam laudemque eſſent, ſedulo inveſtigaverim. At quum pias veterum hiſtorias fabulis ſimillimas, Traditiones, adhuc magis incompertas dubiaſque, Revelationes tandem ipſas nonniſi ſemiſomnium Sacerdotum, poſtquam in templo cubaſſent viſa, vel deliria ; Oracula denique, & ( ut paucis dicam quod res eſt, ) cuncta hujuſmodi figmenta, aliunde fere quam ex Sacerdotis alicujus ſingulari teſtimonio aſſerta eſſe non deprehendiſſem, haut ejus momenti videbantur ut ſolidum aliquem fidei articulum inde aſtruerent ; nedum ut à poriſmate aliquo, quod ex recta communique ratione deductum eſſet, diſcederent Gentiles. Vt libere tamen fatear, Gentilium circa eos qui verè eſſent Heroës, doctrinam haut ita pingue vel peregrinam ſonare, ut non aliquid pulchri eximiique alat. Neque enim vel pigri ſedere, vel nudæ contemplationi ſeſe totos dedere, vel, tanquam inutiles hujus mundi partes, res mortalium, unde originem duxerunt, negligere putabantur ! ſed ea ubique procurare, quæ tum naturæ eorum convenientia, tum Diis hominibuſque grata eſſent. Brevi vix aliud utilius, aut quod vero ſimilius eſſet, invenire potui inter Gentiles dogma, dummodo in Hiſtoriis Heroum enarrandis intra fines aliquos ſemet ipſos continuiſſent, ſive vetulæ, ſive Poëtæ, ſive Sacerdotes. Immortalitatem quippe animorum, præmiaque virtutum, hoc pacto ſanciebant. Attamen licet hæc omnia, quæ à Gentilibus circa Heroas ſuos affir-

affirmabantur, vera essent, haut alium ideo quam Deum summum precibus orandum esse, existimaverint. Neque enim verisimile est Deum summum curam particularium ita heroibus sive sanctis suis commisisse, ut seipsum debito honore & gloria fraudaret, vel ut alium præter seipsum invocari sineret. Quapropter ut causæ mortalium ad Heroes illos remitterentur, Deo summo soli tum preces concipiendas, tum gratias agendas esse censuerint. Quod Heroes suos postquam fato heic functi essent, syderum nomine, vel sydera Heroum nomine vocitarint Gentiles, id non ita Sacerdotum vitio, ac mœrentis adulantisque populi, aut successorum illorum Heroum impotenti studio verterim: non parvus tamen inde ad virtutem stimulus suffigebatur. Quidvis enim præclari vel ardui facile attentarit homo, qui non caput tantum, sed nomen ejus etiam astris inferri posse crediderit. Ex Astrorum & Heroum ὁμωνυμίᾳ miram hallucinationis caussam aliquibus, in doctrinis veterum parum versatis, datam fuisse, silentio haut heic premendum est. Dum enim sub nominibus hominum Astra, vel sub Astrorum nomine homines cultos fuisse nescirent, quin & non symbolicum, sed proprium præcipuumque illis cultum tributum fuisse, plerumque autumarent, non uno tantum modo sibi ipsis imponebant scioli; ingentem interea hanc adulationem, quâ nulla unquam quæsitior, vel forsan antiquior, tanquam ambitiosam nimis, & indecoram reijcio; licet Heroïcos tamen honores illis pro more veterum concedi potuisse, haut abnuerim, ut homines ita ad virtutem excitarentur.

Quod Deos aliquos, sed comprimis subcælestes, uti qui ancipitis essent naturæ, & nunc in bonum, nunc in malum præstandum, pro variâ eorum in homines habitudine, propensi essent, nidore sacrificiorum aliisque ritibus placare, vel sibi conciliare studerent Gentiles, (quod corpoream eorum naturam pabulo indigere crederent) id quidem licet caute factum dixerit quispiam, ne aliter forsan ab Diis illis subcælestibus læderentur, Dei Opt. Max. majestatem *læsisse potius* (quasi suos non satis tueri posset, vel vellet) existimaverim. Quid, quod ignominiosum sit, ut ille qui Deo Opt. Max. heic militat, in aliena castra transfugiat? Quid noxium demum homini accidere potest, cujus causam non à seipso petat? crimina, pravasque cogitationes qui abigit, dæmonas fugat: nihil sine permissione divina à dæmonibus fit, neque fieri potest, nisi ubi in nos prius tota reciderit culpa. Frivola demum videtur opinio hæc. Quis enim commercium aliquod inter Deos hujusmodi, sive Dæmones, & humanum genus ostenderit? Et ut detur, inter Dæmones illos aliquos aëriis vestiri corporibus, quis tamen eos publice conspexit? quis unquam aperte homines

mines invasit Dæmon? Incolas quidem Aëris, Ætheris & Orbium Cælestium dari, prorsus concedo: sed cujus naturæ sint, aut quomodo propitiari debeant, me latet: Adeo ut nihil aliud heic tuto statui posse arbitrer, quam ut qui pie sanctequc heic vivit, sibi à Dæmone nullo metuere necesse habeat. Quapropter etiam sacrificia veterum inter callida Sacerdotum inventa adnumero ac pono, sive ut ea abligurirent, sive ut populus ad religiosam aliquam formulam eà ratione obstringeretur. Epulæ enim inde ut plurimum factæ, quarum cura tandem, propter sacrificiorum multitudinem, Epulonibus quibusdam à Pontifice commissa fuit, uti in Livio & Cicerone videre est; & inscriptione quàdam veteri à Choul allatà. Atque hæc quidem de cultibus Gentilium diversis, eorumque causis, quatenus eas conjecturâ assequi possum, ex libris eorum qui supersunt. Loco Varronis claudam, quum supradictis lucem adferat: *Tria sunt genera Theologiæ, eorumque unum Mythicon appellatur, alterum Physicon, tertium Civile. Mythicon appellant, quo maxime utuntur Poëtæ; Physicon, quo Philosophi; Civile, quo populus. Primum quod dixi, in eo sunt multa contra dignitatem & naturam immortalium ficta; in hoc enim est, ut Deus alius ex capite, alius ex fæmore sit, alius ex guttis sanguineis natus. In hoc, ut Dei furati sint, ut adulteraverint, ut servierint homini; denique in hoc omnia Diis attribuuntur, quæ non modo in hominem, sed in contemptissimum hominem cadere possunt. Secundum genus est quod demonstravi, de quo multos libros Philosophi reliquerunt, in quibus est Dii qui sint, ubi sint, quod genus, quale, ex quonam tempore, an à sempiterno fuerint, an ex igne sint, ut credit Heraclitus; an ex numeris, ut Pythagoras; an ex Atomis, ut Epicurus: hic alia quæ facilius in scholâ, quam extra in foro ferre possunt aures. Tertium, Civile nempe, genus est, quod in Vrbibus Cives, maxime Sacerdotes, nosse, & administrare debent; in quo est quos Deos publicè colere, quæ sacra & sacrificia facere quemquam par sit. Prima Theologia maxime accommodata est ad Theatrum: secunda ad Mundum: tertia ad Vrbem.* Ex quibus Varronis verbis, non minus quam ex Platonis Platonicorumque sententià supra allatâ, quum satis constet, Theologiam Gentilium partim ex recta ratione, partim ex Mythicis Poëtarum fabulis, partim ex Sacerdotum sanctionibus concinnatam fuisse, æquum est, ut post duas priores partes, pro viribus enarratas & examinatas, ad tertiam, quæ circa ritus & Sacerdotales sanctiones versatur, accedamus. Quum verò ritus illi sanctionesque integrum volumen postulent, nolo in illis explicandis diutius heic morari, tum ob id potissimum, quod præcipuas rituum illorum partes in iis quæ supra adduximus, videre sit; de quibus ita censemus; haut saniores quam eorum fides sive fabulas haberi debere; quum quidvis potius quam pium

*Aug. lib. 6, de Civ. Dei, cap. 5.*

Iustitiæ divinæ timorem, aut gratam misericordiæ Divinæ commemorationem minuere viderentur; quumque in externam quandam ostentationem potius, quam in Dei summi honorem comparati ritus illi, populi animos ab interno Dei cultu ad magnificas quasdam pompas aliquando, nonnunquam etiam ad inanes quasdam cæremonias non sine veræ Religionis detrimento avocarent. Quin & festa, ludi, & spectacula, quæ in hunc finem à Pontifice, vel Sacerdotali ordine instituebantur, populum ad quidvis aliud, quam ad castum Dei cultum adducebant, ut non ea tamen ita Sacerdotum studio tribuerim ubique, ac Magistratuum solertiæ; quum (ut Cicero ad Att. lib. 2 docet) populi sensus maxime Theatro & spectaculis perspectus esset. Sed quia Idololatriæ & superstitiones passim Gentilibus exprobrantur, de iis quædam adnotabimus; quæ ut facilius intelligantur, *præmittendum* est dupliciter peccari circa Religiosum cultum, 1 ubi vero Deo falsus cultus exhibetur: 2 ubi falso Deo verus. Priori modo superstitionis crimen præcipue committitur: secundo modo, Idololatriæ. Quænam utriusque sit definitio, investigandum est. Et quidem, ex B. Thomâ, *Superstitio* vitium est *Religioni* oppositum, secundum excessum. Sed id omne etiam quod castum Dei cultum vitiat, vel corumpit, aut eum obducit obtegitque, *Superstitio* proprie est. Pro quâ acceptione verbi illius non Gentiles tantum peccasse olim, sed & alios cœtus peccare etiam hodierno die, censemus. Circa plurima enim lis & contentio est, quæ ad salutem æternam comparandam haut ita sunt necessaria. Superstitionis authores præcipui non Sacerdotes tantum, sed fœminæ olim fuere, quum vix aliquem sine uxoribus viventem superstitiosum fuisse, ex Menandro tradat Strabo. Nihilo secius fœminis haut ita succenseri heic velim, ac Sacerdotibus Gentilium, quos homines nequissimos, vanos juxta, ac avaros, immò & nebulones vocat Bullingerus, de Or. Cu. Divorum. Nisi enim Sacerdotes fœminarum illarum superstitiones fovissent, haut ita invaluisset error; qui tamen adeo communis fuit olim, ut non Gentilibus *solum*, sed etiam Iudæis, ex quorundam sententia, competeret; quum plurima in eorum Legibus ceremonialibus, sive jussa, sive prohibita essent, quorum nulla ratio pro captu humano satis idonea reddi posset. Ideo non solum Quintilianus de superstitione Iudaicâ mentionem facit, sed & alii authores veteres in Iudæorum religionem animadvertunt, uti in eorum operibus videre est. Præclare Cicero, de superstitione loquens, ait, eam fusam per Gentes omnium animos fere oppressisse. Idololatria, ex eodem B. Thomâ, est creaturæ cultus Divinus, sive λατρεία, sed tum præcipue ubi simulachro, sive Idolo alicujus rei cultus

ille

ille exhibetur. Adeo ut nisi proprius (potius quam symbolicus) vel divinus, potius quam Heroïcus cultus ille fuerit, haut in Idololatriam simpliciter ex ejus sententia, nî fallor, impingebant Gentiles: sed hæc ad Scholasticos nostros relegemus. Haut ita antiquam, vel universalem fuisse Gentilium Idololatriam, satis liquet ex Authoribus antiquis; quod & ipse Tertullianus fatetur: Romanos enim plusquam annos CLXX Deos sine simulachris coluisse, testatur Varro: quod si adhuc mansisset, inquit idem author, *castius Dii observarentur*. Subjungit porro: *Qui primi simulachra Deorum populis posuerunt, eos civitatibus suis & metum dempsisse, & errorem addidisse.* Ægyptiorum quoque templa vetustiora sine statuis & simulachris erant, uti supra adnotavimus. Persas neque Templa, neque statuas habuisse, tradunt Herod. & Strabo. Seres etiam, Eusebio teste, legem olim promulgarunt, ne quis idola veneraretur. Posterioribus itaque sæculis, sed non ubique Gentium, succrevit imaginum vel idolorum cultus, sive ex artificis peritia in admirationem, & admiratione inde paulatim in religionen transeunte; præsertim (ubi quovis modo eximia circa ista aleretur opinio) sive ex pietate publica in homines optime de patria sua, aut humano genere meritos, aut pietate privata filiorum & nepotum in progenitores suos; aut etiam patrum in filios & nepotes; ubi acerbum funus esset, aut quacunque alia ex caussa. Sunt & plura alia in Gentilium religionibus extantia, quæ ad superstitionem & Idololatriam à nostris trahuntur, sed quæ vel suo loco perstrinximus; aut, si non illic satis animadversum sit, Lectoris censuræ permittenda duximus; suo enim judicio per me heic utatur doctior quilibet. Vt hoc tamen passim in animum inducat, eorum complurima quæ à nostris superstitiones vocantur, illis nonnisi mysticam reconditamque fortasse Numinis alicujus ignoti venerationem significasse: quæ Idololatriæ porro à nostris perhibentur, iis nonnisi Symbolicos quosdam Dei summi cultus fuisse. Sed nolo eâ de re contendere. Satis manifestum est, sæpissime lapsos fuisse Gentiles, sed tum præsertim, ubi Imperatoribus suis (quorum quidam pessimi) divinum honorem exhibendum esse decernerent, Sacerdotesque ex eorum nomine vocarent; quod factum sæculis Augusti, Helvii, Antonini, Aurelii, & ipsius Faustinæ, observare licet. Vt non adeo mirum videri debeat, Sacerdotes (ex eorum nomine appellatos) illis dicatos fuisse, quum Diis aliis alios Sacerdotes constituendos esse, antiquissima sit Lex (ut ex Cicerone l. 2. de Leg. constat) inde tamen evenit (quemadmodum supra adnotavimus) ut quæ veram castamque Religionem evertebat olim *Superstitio*, ea ipsa ab *Adulatione* eversa esset, populi credulitate in tantum provecta, ut quæ à Senatu vel Pontifice indicerentur, accipere animisque

*Tertul. l. 1 de Idolol.*

misque infigere potius quam controvertere mallent; quum tutius hominibus heic esset cum Superioribus suis errare, quam Philosophorum suorum ( quibus superstitiosi semper displicuere cultus ) sincerioribus doctrinis penitus hærere, adeo ut intermissis castioribus cultus divini partibus, tota paulatim ad superstitionem traduceretur Religio. Nec quicquam jam fere sani in Republica præter leges esset; nisi ubi quinque Articuli nostri, gravi mole errorum propemodum obruti, à perspicacioribus viris perciperentur: ut refragari tamen non possent Gentiles, in peccata & errores propensiores fuisse homines tum temporis, quam ut ex ipsis Legibus à flagitiosis saltem criminibus coërcerentur. Aut ut universalis aliqua ex quinque Articulis nostris conficeretur Religio, adeo ut in fœda illa errorum colluvie nulla emergens Religio, quæ errores profligaret Gentilium, non ex usu tunc esset. Mucius Scævola Pontifex Max. uti etiam Varro, quædam in Religionibus corrigere, tum fabulas potissimum explodere conati sunt: Quin & Iulianus Imperator Gentilium Religionem à sordibus recrementisque suis purgare voluit, sed frustra; quum invaluissent jam errores. Sed & Platonici, Stoici, Philosophique omnes fere tum temporis Religionem ad Virtutem & Pietatem in Deos & homines revocare aggressi sunt; ut in operibus eorum videre licet, quo pervulgatis erroribus mederentur. Cæterum Christianis per id sæculum meliores sanctioresque Philosophorum illorum doctrinas sive extrahentibus sive confirmantibus, reliqua tota, tanquam Chymicorum nostrorum caput mortuum, inutilis & exucca concidit Gentilium Religio, & tanquam exanimata obiit. Dum quippe virtutem omnem vitæque puritatem sectatoribus suis imperarent Christiani, haut aliæ permansere veteris illius Religionis partes, quam quæ Patres Ecclesiæ facile riderent. Quorum operâ tandem factum, ut alii fidei Articuli loco priorum substituerentur, qui, licèt per aliquot sæcula tarde crederentur, obtinuere tandem; & hodierno etiam die passim obtinent. Permansit etiam Hierarchia, penes quam Sacrorum authoritas esset. Sed de hoc argumento, si modo Deus vitam suppeditaverit, opportunius suo loco agemus. Atque ex his satis patere arbitror, Philosophica Gentilium tum temporis dogmata circa leges quasdam æternas in Cœlo & stellis fixis, ac deinde in Planetis & Elementis descriptas, adeo verisimilia fuisse, ut vix alia illustrior ex communi rationis dictamine excogitari potuerit doctrina; licet quæ leges illæ forent, tandem arduum explicatu esset. Cæterum ut inde proprio cultu colerentur Cœlum, Astra, & Elementa, nefas esse. Quod Heroes in Cælum relati de particularibus, tum præcipue de hominum actionibus, cognoscerent, quo ita à molestiis & curis liberaretur Deus summus, ex præmissis satis probabilem videri sententiam,

tiam, ſed ut alius quam Deus ſummus precibus oraretur, haut ita colligi poſſe: ſed neque inde ſatis probari, hunc in rebus ordinem ab initio circa particularia Heroibus datum fuiſſe. Quod ad cultum Deorum ſubcæleſtium, ne nocerent, attinet: cum quidem majeſtatem divinam lædere, quaſi ſuis patrocinandi voluntas, aut facultas deeſſet, aut aliter in tuto eſſe non poſſent homines, niſi cum inferioribus Diis illis fœdus inirent. Quæ ſuperſtitionem Idololatriamque ſapiunt, nulla ex interpretatione ita ſalvari poſſe, ut ea abolere non ſatius eſſet. Quinque Articulos noſtros ex Religionibus legibuſque Gentilium elicitos, tanquam optima ad meliorem vitam comparandam, haberi media debere. Errorum denique & rixarum cauſas in fabulas & figmenta quædam, quibus fidem adhiberi ſuadent Sacerdotes, & in Rituum Gentilium ineptias, quæ ex eadem officina prodierunt, rejici oportere. Vt tandem finem primi hujus Voluminis faciam, Cenſuram hanc noſtram cenſuræ & judicio Catholicæ & Orthodoxæ Eccleſiæ, non utique impetuoſorum illorum Providentiæ Divinæ Vniverſalis Paciſque publicæ hoſtium, ſubmitto.

FINIS.



INDEX

# INDEX RERVM,

## Quæ in hoc volumine continentur.

E.



F.



G.

N.



O.



P.

## Q.



## R.



## S.

T.

FINIS.



non po
rent ,
summi
vocare
pœnite
ut oracu
ve de no
nes oracul
huc magis
scilicet pop
ratione ab
divinorum
quod an
credulitate
terea mihi v
blice olim
quem autho
lum , aut ip
derit , illud
præstinavera
auderet ex I
mos. Ita
cra vel orac
teratas susp
voluntas fu
mana habeb
dotalis frau
plorum ady
Sacerdotem
igitur aliqu
tur , se Sac
speciem ta
quam ut c
lis aliquid
ut in religi
ne fortasse
ab omni
similibus
rent , ab
olim piiq



L.



M.

## Q.



## R.



## S.

## T.

FINIS.



